This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

MENTEM ALIT ET EXCOLIT



K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

74.J.25

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Coll.
74. J. 25.

Digitized by Google

Digitized by Google

MISCELLANEA ITALICA ERVDITA

TOM. II.

Digitized by Google

Digitized by Google

MISCELLANEA ITALICA ERVDITA

TOM. II.

Collegit Gaudentius Robertus Carm. Cong.

PARMÆ, Typis Hippolyti, & Franciſci Mariæ de Roſatis
Anno MDCXCI. *SVPERIORVM PERMISSV.*

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO, ET ILLVSTRISSIMO
S. R. I. PRINCIPI, AC DOMINO

DOMINO AVGVSTINO REDING

EXEMPTI MONASTERII EINSIDLENSIS
ORD. S. BENEDICTI

ABBATI

DIGNISSIMO.

††

Digitized by Google

REVERENDISSIME ILLVSTRISSIME,
AC SAPIENTISSIME DOMINE.

Mihi de Patrono, sub cujus hęc Eruditorum Scriptorum lucubrationes apparerent Nomine, cogitanti; ac hijs etiamsi alienis muneribus, alicujus Primarij Viri Gratiam incundam putanti, TV solus ex omnibus (ILLVSTRISSIME PRÆSVL) in mentem

veniſti; cui hoc Miſcellaneorum Volumen dicarem, TVOq; Orbi notiſſimo inſcriberem NOMINI. Cum tota Reſpublica litteraria eximia TVA Scripta laudum præconijs extollat, & celeberrimum NOMEN TVVM vbiq; reſonet, non poſſum ipſe tot inter meritorum TVORVM præcones ſilere, ſed ſuavi compellor obſeqvio ad proceriores Helvetiæ Montes, ad Auguſtum Einſidlenſe Cœnobium, ad TVÆ Paladis Aram hoc perenne meæ obſervantiæ ſacrificium litaturus accedere. Quantis enim poleas virtutum dotibus, quanti valeas non eſt cur exprimam; id enim apertiſſimè demonſtrant Ingenij TVI fœcundiſſimi partus, quibus *Baronij defenſionem* contrà oppugnantes excitaſti, *Concilij Tridentini Veritatem inextinctã* quinque voluminum facibus illuſtraſti, *Vtramq; Theologiam*, ad Tredecim Tomos extenſam, ac demum *Pontificiæ Authoritatis Vindicias*, ſolidiſſimo Doctrinæ robore decoraſti. Quis TVAM (VIR PRÆCLARISSIME) morum integritatem, ſuavem in imperando urbani-

banitatem, urbanam in ſubditos ad miraculum conditam manſvetudinem attingere, nedùm exprimere valeat? omnia quidem mereris genera laudum, aſt omnia laudum genera ſupergrederis. Sciunt univerſi quanto ardeas Religionis Zelo ad Eccleſiæ bonum vel procurandum, vel promovendum, vel augendum. Sunt iſta, quæ me ad Helvetiam rapuere, non TVA tantùm, per orbem jam diſtracta, ſapientiſſimæ Virtutis Monumenta, ſed TE ipſum exculturum. TV (PRÆSVL AMPLISSIME) tale votum læta ſuſcipe fronte; vive diù Litterarij, ac Germanici Imperij Splendor, Decus, & Ornamentum; meq; TIBI, omnibus devinctum obſeqvijs, qua ſoles, amplecti benevolentia non dedigneris.

Reverendiſſimæ, ac Illuſtriſſimæ Dominationis TVÆ

Parmæ ex Muſæo Carmelitico
Idibus Novembris 1691.

Addictiſſimus, ac Obſeqventiſſimus Servus
Gaudentius Robertus Carm. Cong.

Digitized by Google

Lectori Benevolo
Gaudentius Robertus S.P.D.

Tsi varijs distractus, non tàm proprijs, quàm incomparabilis Amici erumnis, quæ potiùs Europæ universæ Litteratorum animos angunt quàm nostros, en Tibi (Lector optime) secundum exhibeo eruditorum ex Scriptoribus Italis Miscellaneorum Volumen, in quo prima fronte suas exhibet PETRVS SERVIVS juveniles ferias, Romanis Antiquitatibus undequaq; refertas; Ipsius in sequenti Tomo, intra paucos dies explendo, adnectam Opusculum de Odoribus, *quod mox indulsit ex copiosa suis & luris, & eruditis studijs congesta Bibliotheca Illustrissimus, ac Reverendissimus Hieronymus Tuschius Regiensis Cathedralis dignissimus Archidiaconus, a quo plura hujusmodi expecta relicet; Is enim, dum fuit à Secretis Romanæ Physico-Mathematicæ Academiæ apud Illustrissimum, ac Reuerendissimum Ioannem Ciampinium, verum eruditi, ac perfecti Præsulis exemplar, ab Ipso Litteras, Litteratosq; semper incredibili prosequi amore percepit.*

In

Digitized by Google

In AGESILAI MARISCOTTI *Syntagmate* de Perſonis, & Larvis *non ſine animi oblectamento planè percipitur, quot Larvarum, & Perſonarum genera fuerint apud Priſcos in uſu, quam vis noſtratibus etiam temporibus apud ipſos (proh ſeculi mores! heu perditorum hominum recens proditio!) apud ipſos inquam, perfectam ſinceritatem profitentes, plura & multiformia non deſinit Perſonarum genera, nam larvata undiq; pietate*

Omnia ſub velo fictæ virtutis aguntur,
Atq; ars eſt vultus nunc habuiſſe pios. Beuerin. Carm. lib. 3. Eleg. 3.

FORTVNIVS LICETVS Vir ſummus, in Philoſophiæ Peripateticæ, & ſui laudem natus *in ſuis* De quæſitis per Epiſtolas à Claris Viris Reſponſis *pleraq; præſtitit, ad eruditionem ſpectantia, ſcilicet cur olim Romani pultifagi dicerentur, ac an de vetuſtioribus alijs dictum fuerit; de vario Muſarum numero apud Antiquos; de Annullorum ferreorum, & aureorum uſu apud Romanos; de Mithræ Luco in Chyndonactis Druidarum Principis Epitaphio; de Lucerna, & alijs Ferrariæ in Sepulchro Cominiæ repertis; ac de Lapide Maguriano, ad Aponi Thermas effoſſo, dilucidatio; quæ decerpere in hunc uſum juremeritò duxi.* Crus de VViti-chind. C. 3. N. 15.

ALEXANDRI SARDI proſequuntur de Moribus, ac ritibus gentium Libri *rerum varietate refer-*

referti, ex quibus à Nuptijs usq; ad funus ipsum, quæ fuerint Priscorum instituta, qui ritus, qui mores cognoscere est; Hujus eruditissimi Auctoris plura supersunt inedita, quæ singulari humanitate præbuit Illustrissimus Franciscus Nigrisolius Excellentissimus nedum Medicus, ac ut præclarissimus Phylologus; undè quæ ad eruditionem spectant, Orbi Litterario istius favore communicabo.

BONAVENTURA CASTILIONEVS Gallorum Insubrum Antiquas *præbet* Sedes, *undè obsoleta variorum locorum, Montium, ac fluminum Nomina, veræ origines, incolæ primevi singulari studio conquiruntur, graviorũ Scriptorũ Authoritate illustrãtur, vetustioribus Inscriptionibus roborantur.*

ÆNEAS deniq; VICVS Vir diligentissimus *effulget, mei Patrij soli fulgor, qui* ab adolescentia cognoscendis veterum maximè, quales in Nummis reperiuntur Antiquitatibus ætatem consecravit. In hoc studiorum genere scientiam singularem sibi comparaturus duodecim annos, non modò intra Italiam, sed etiam extra eam inquirendis nummis impendit, *ex quo maligni quidam detractores percipiant quantum ad eruditionem conferant itinera, è quibus ea speranda est prudentia, quam Homerus Vlissi ob eadem adscripsit, quamvis, & ipsi Teste Dione Chrisostomo,* contigit, ut contemneretur ob peregrinationẽ.

Georg. Fabric. de Roma Cap. 1.

Kancke Tom. 2. P. 1. Cap. XXVI.

Orat. XLV.

Nos

Digitized by Google

Nos F. Clemens Maria Felina à Bononia Sac. Theologiæ Mag., ac Doctor, nec non Congregationis Mant. Regularis, & Antiquæ Obseruantiæ Ord. Carmelitarum Vicarius Generalis.

Opus, cui Titulus *Miscellanea Italica Erudita*, plurimis constans Voluminibus, ad studiosorum mentes erudiendas à Reu. Adm. Patre Gaudentio Roberto in eadem Congregatione Sac. Theol. Mag. peculiari diligentia congestum, ac à Nobis recognitum, vt ad publicam vtilitatem prodire possit, præsentium tenore, quantùm in Nobis est facultatem elargimur.

In quorum fidem &c.

Datum Bononiæ in Carmelo Nostro S. Martini Majoris die 20. Iulij 1691.

F. Clemens Maria Felina Vic. Gen.

F. Franciscus Brusebi Mag. Socius, ac Secretarius.

Digitized by Google

IMPRIMATVR.

F. Ioannes Carolus Falconus Sac. Theolog. Magiſter, ac Inquiſitor Generalis S. Officij Parmæ, & Burgi Sancti Donini &c.

IMPRIMATVR.

Iulius dalla Roſa Vicarius Generalis Parmæ.

Vidit Nicellus Præſes Cameræ.

Digitized by Google

SYLABVS AVTHORVM & OPERVM

Quæ in hoc ſecundo Volumine continentur

PETRI SERVII Medici Romani Iuveniles Feriæ, quæ continent Antiquitatum Romanarum Miſcellanea pag. 1.

AGESILAI MARISCOTTI Bononienſis de Perſonis, & Larvis, earumq. apud Veteres uſu, & origine Syntagmation. pag. 97.

FORTVNII LICETI Ianuenſis Miſcellanea erudita, decerpta ex ejus Libris *de Quæſitis per Epiſtolas a Claris Viris*. pag. 169.

ALEXANDRI SARDI Ferrarienſis De Moribus, ac Ritibus Gentium Lib. III. Opus rerum varietate refertum, omnibus ingenijs vtile, ac neceſſarium. pag. 249.

BONAVENTVRÆ CASTILIONEI Mediolanenſis Gallorum Inſubrium Antiquæ Sedes. pag. 453.

ÆNEÆ VICI Parmenſis de Numiſmatibus Antiquorum Lib. II. in quibus recenſentur errores Scriptorum Priſcorum, & recentiorum circa Romanas Hiſtorias. *Italico Idiomate*, pag. 541.

Reue-

Digitized by Google

Rev. Adm. Patri Mag.

GAVDENTIO ROBERTO

Ex genio virtutibus dedito
eruditorum ſcripta
colligenti

Clemens Maria Felina Vicarius Generalis
Congreg. Mantuanæ Carmelitarum.
Lætam ſalutem
precatur.

DAs literis nomen; ſemper tua *Nomina* vivent,
Tu quoque vive diu, *gaudia, robur* habe.

Digitized by Google

PETRI SERVII MEDICI ROMANI IVVENILES. FERIÆ

Quæ continent Antiquitatum Romanarum

MISCELLANEA

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO

Reuerendiſſimoq; Domino

D. IOSEPHO MARIÆ SVARESIO

Epiſcopo Vaſionenſi

IOAN. PIOT TYPOGRAPHVS

Auenionenſis. S. D

QVÆ *ad me miſiſti, Iuuenilia Seruij typis excudenda, Illuſtriſſime Præſul, reuolant in ſinum iſtum tuum humanitatis, ſcientiarum & eruditionis theatrum. Etenim ſicuti hortatu, iuſſuque tuo è domeſticis tenebris, in quibus diu latuerunt, in lucem prodeunt; ita ſupplicia ad te recurrunt patrocinium imploratura. Neque verendum eſt, ne quem auctorem impulſoremque agnoſcunt, vt publica fruantur luce, eum certiſſimum acerrimumquè Patronum nanciſcantur, in cuius ſinu tutò conquieſcant. Tu itaque pro tua humanitate hæc & libens accipe, tanquam auctoris meaquè in Te obſeruantiæ monumentum; & foue atque defende, tanquam clientem in tuam fidem & patrocinium ſeſe recipientem. Vale Auenione* MDCXXXIIX.

Digitized by Google

PETRO SERVIO

Medico Clariſſimo

Gabriel Naudæus Pariſinus S.P.D

MVSAS meas, *Petre Serui Medicorum diſertiſſime*, iratas omnes mihi habeam, ſi non tuæ, licet elegantes, & amabiliſſimæ ſupra quàm dici poteſt, miris profectò modis, & quod ſuſpicor, etiam flagitioſis, a Typographo Auenionenſi violatæ fuerunt. Sanè ipſum Caſtalioni valde amicum fuiſſe oportet, qui in ſumenda de eius cenſore vindicta, nihil eorum omiſit, quæ deturpare librum tuum, etiam cum ipſius Caſtalionis, ſi viueret, miſeratione, poſſent. Quid enim ingentes lacunæ ſibi volunt, de induſtria relictæ ad fœditatem, cum minimo ſumptu expleri potuerint? Quid tot plagarum vibices, & corium varijs modis lacerum ſignificant? Quid denique tam crebra vlcera, & turpitudines infinitæ declarant, niſi aut immaniter iratum in te fuiſſe, aut oppidò negligentem Typographum. Sed quid opus eſt, rem maximè omnium ingratam tibi, atque moleſtam, verbis ab arte tua deſumptis amplificare? cum ego potius ex mea, quæ tota fermè in excolendis præſtantium virorum amicitijs poſita eſt, fidem tibi facere poſſim, ad animi tui ſolatium, quòd ſapientiſſimus Antiſtes Vaſionenſis, qui hunc fœtum e domo tua, velut altonem de columna ſuſtulerat, tam grauiter de hoc eius infortunio mecum conqueſtus eſt, vt nihil vnquam ſibi magis diſplicuiſſe contendat, quàm eiuſmodi hominum, qui prælis Auenionenſibus præſunt, non incuriam modò, aut indiligentiam, ſed ſocordiam meram, quæ eò iam perducta

Digitized by Google

ducta erat, vt huic euellendæ ex eorum animis, non ſtudium omne ſuum, nec auctoritas, qua plurimum tamen apud omnes valet, ſatis eſſe potuerint. Vnde ſi maximos etiam dolores lenire poſſunt amicorum officia, cum recentibus illis tempeſtiuè admouentur; exiſtimo ego, *Petre Serui*, multum iam fomenti iuſtiſſimo tuo acceſſiſſe ex incredibili mœſtitia, quam optimus ille, & doctiſſimus Antiſtes Suareſius, ſe ex ea re percepiſſe, vt poſtremis ad me ſuis literis, ita etiam & in illis, quas ad te frequenter, vt opinor, ſcripſit, teſtatus eſt. Sanè quantum ad me attinet, doleo maiorem in modum, Iuueniles illas Ferias, quas tam eleganti, & arguto ſtylo; tam varia & accurata doctrina; iudicio tam maturo, & exquiſito compoſueras, vt nihil in illis ſit non ſummopere terſum & emendatum, nævos eiuſmodi à typographis tuliſſe, qui de natiua earumdem pulchritudine licet nihil detrahant, multum tamen operis totius perfectæ, & conſummatæ felicitati videntur officere. Et hercle cum Beuerouicij noſtri, aut aliorum auctorum libros euoluo, qui ab Elzeuiriorum officina prodeunt, non ſecus ac de Palladis arcula, aut Darij ſcrinio, & vſque adeò culti, ac elaborati ſunt, vt rudes etiam, & nedum calamo, ſed ligoni aſſuetos homines, in ſui amorem pellicere valeant; non poſſum profectò non iniquo animo pati, & maximopere rurſus non dolere, quod huic tuo, cui cuncta per te ad ſummam laudem abundè ſuppeditata ſunt, nihil aliud quominus illam conſequeretur defuerit, quam Elzeuiriorum Fratrum, aut id genus Typographorum, qui libros tam ſcitè comunt, & exornant, diligentia. Sed querelarum plus eſt fortaſſe, quàm oportuit, maximè cum remedio non deſit locus, & quidem certo, vltimo, expedito, & cum amicis tuis multum conducibili, tum verò etiam tibi non valde moleſto, ob expectationem ſcilicet, quam de laboribus tuis, apud Bibliopolas Romanos, qui tuas Inſtitutiones Medicas placere omnibus, & celerrimè diſtrahi vident, magnam omninò, & prorſus

prorsus singularem; concitasti. Hoc autem est, vt Ferias illas Iuueniles, Romæ ex autographo tuo rursum excudi cures, quemadmodum antea librum de Sero, & lacte fecisti. nam cum huius noua expolitio tibi feliciter cesserit, audeo ex ea futurum quoq. tibi polliceri, quod licet Symmachus epist. 61. lib. 9. dixerit, *Patres auaros esse voti, nec vlla filiorum bona putare esse perfecta, desiderio & cupiditate potiore*, nihil tamen in hisce Ferijs, tua cura, & solicitudine purgatis, relinquetur incommodi, propter quod, illæ minùs in posterum tibi placere possint. Verè enim tibi dico, *Petre Serui*, optimæ sunt, elegantes sunt, argutæ sunt, accuratæ sunt, & ex ditissimo antiquitatum penu depromptæ. Nec dubito medius fidius, quin si te in hoc scribendi genere, in quo plurimum vales, exerceas. breui reuiuiscentes in te visuri simus Mercuriales, Cagnatos, Fracastorios, Iunios, & eiusmodi Medicos omnes, qui in vtraque illa Medicinæ simul, & humaniorum literarum palestra, maxima cum nominis sui commendatione, versati sunt. Quę quidem verba, siquis a me non tam veritati, quàm auribus tuis data fuisse existimet, næ hunc ipsum valde in Musarum castris peregrinum esse oportet, cum Exercitationes tuæ *de sero lactis*, iampridem editæ Parisijs, & Romæ postea; ac recentes Feriæ de rebus ad antiquitates Romanas spectantibus; breuesquè illæ Institutiones, quibus Tyrones ad Medicinam informantur, tam facilè possint facundiam tuam non vulgarem, & lectissimæ doctrinæ, & eruditionis præstantiam ostendere, quàm promptum est vnicuiquè facem videre in tenebris, aut Solem intueri pleno meridie. Quamobrem perge, si me audis, in illis te studijs gnauiter exercere, in quibus non opinione tantummodo quorumdam hominum, sed publica Vrbis testificatione, quam nemo bonus eleuare possit, iam magnus es lingua, & calamo; quibus adminiculis vt Spartam nostram ornare non desinas, orant te docti omnes, qui ex Iuuenilibus Ferijs in spem aliarum

Digitized by Google

rum obſeruationum veniunt, quas tu proferre in lucem quotieſcumque volueris, minimo negotio potes. Obteſtantur quoque fidem, & induſtriam tuam in rebus Medicis, qui dilatare illas & augeri quotidie lucubrationibus tuis vident; Et ego pariter, vt illorum omnium vota ſecundare non recuſes, poſtulo, quantus eſt amor in me tuus, quem certè non eſſe mediocrem, præclara illa Proluſio Iatrophilologica, quam in nomine meo non ta pridem apparere voluiſti, ſatis ſuperquè declarat. Vale *Vir Clariſſime*, & cum obuios habebis Baldum, & Zacchiam, tui iuxta, meiquè amantiſſimos, & eruditiſſimos homines, complectere illos, quæſo, meo nomine libenter; ac vtrique etiam principium anni, quod ingredimur, felix precare, Reate ix. Kalend. Ian. MDCXXXIIX.

Digitized by Google

LECTORI

HAEC, Lector, prima ferè adoleſcentia, cum a philoſophiæ medicinæq. ſtudio iurè feriatus, ad antiquæ noſtræ Reipub. mores rituſq; noſcendos animum iucundè traducerem, in Aduerſaria conieci, nunquam recenſenda, ne dum typis excudenda. Sed verè

Habent ſua Fata libelli.

Fato factum eſt, vt, licet nugæ tricæque, doctis viris placuerint; præſertim verò Ioſepho Mariæ Suareſio, eruditiſſimo viro, Vaſionenſium Epiſcopo. E domeſticis igitur tenebris in publicam lucem a Suareſio typis Auenionenſibus prolata fuerunt. Sed (vide fortunæ viciſſitudinem) tot tantiſq. mendis inquinata prodierunt, vt ſententiæ quà obſcuratæ, quà peruerſæ, quà mutilatæ fuerunt: vtq; propterea ab omnibus, qui ea legerint, malè precatum ſit turpi operariorum hominum negligentiæ. Itaq; omnia recenſere, & ab omnibus eratis vindicare neceſſe fuit. Addere quamplurima atque alteram decadem adſcribere, erat in animo, hortantibus, imò impellentibus amicis. Sed noua impendebat inuidorum procella, quam euitare difficillimum erat. inſtare enim videbam

Digitized by Google

debam liuidum, nigrum, malèq; moratum medium, verè μισοφιλόλογον, *atque apertis me obtrectationibus vrgere, tanquam totum in ſtudia planè diuerſa incumbentem. Eiuſmodi enim eſt quorundam natura, vt non niſi alieni nominis ruina ſe ſe, ingenio humiles, & abiectos, erigere poſſe exiſtiment.* Ars medica, *inquiunt*, longa eſt, vita breuis *adeò, vt etiam si ingeniosiſſimus quiſq. in eam toto pectore incumbat, vix tamen animo eam comprehendere poſſit: qui verò alijs, imò alienis ſtudijs addictus mentem ab ea tantiſper reuocat, fieri, inquiunt, non poteſt, vt quicquam proficiat, vt hilum proficiat. Sed hi sicut malè animati moratique ſunt, ita malè ſentiunt. Ea eſt hominis conditio, vt, cum diu acriterq; in res arduas intentus fuerit, remiſſione aliqua opus habeat, per quam tempeſtiuè ac moderatè ab ijs laxetur. nam si diuturnis curis laboribuſque prematur, percellitur ita, atque proſternitur, vt noua ſubire onera non poſſit. De me ſanè illud affirmare poſſum, vt alij penè omnes ferias æſtiuaſq; horas, aut latrunculis transigunt aut aleis, cœnis, amicorum conſuetudine, musica, aliove simili laxamento; ita ego, ab his ferè omnibus natura alienus, in hæc similiaque ſtudia, nonnunquam animi cauſa libentiùs diuerto, viresque reficio. Ceterùm, vt vt eſt, hæc Iuuenilia, typographicis mendis inquinata, nouis typis emaculare neceſſe habui, vt tu, Lector, ea liberè minimèq; hæsitans aut insiſtens legendo percurrere poſſis, Vale, & si merui fauе.*

His tibi, Lector, ſcriptisq; typis commiſsis, rogatu Typographi, propriæ exiſtimationi conſulentis, iterũ te de Accentu deq; Ortographia moneo. Tunc ſolùm eo vtendum cenſui, eum ambigua verba diſtinguenda eſſent: ambigua, inquam, non longitudine, aut breuitate, ſed ſignificatione tantùm. Et ſanè quid refert in ſoluta oratione Cum *verbi cauſa, vel* A, *aut* E, *ceteraq; huiuſmodi ſupraſcripto apice notare, nulla in ijs naſcente amphibolia? nulla ſententiæ obſcuritate? Ergo longè aptiùs a me conſultum eſt, vt ea ſolùm verba accentu*

Digitized by Google

notarentur, quæ significationis essent ambiguæ. De Ortographia autem illud scias. Cum nonnulla nomina ab antiquorum recentiorumque doctissimis variè scribantur, non est, cur modo hac, modò illa ortographia uti non possimus. Neque enim una est, atque sola recta scribendi ratio, quæ penes doctorum arbitrium est. Hæc, Lector, te monendum prius duxi, quàm librum introspiceres, ne Typographi incuriæ tribueres, quæ consultò a me scripta sunt, iterum vale.

Digitized by Google

TOGÆ VIRILIS
Sumendæ Tempus:

Suetonius, Tacitus, Tertullianus
Cicerone illustrati, &
conciliati.

CAP. I.

AD IO: BAPTISTAM DONIVM.

DEO' pacem amamus & otium, vt vel in ipso armorum fremitu, Martisque furore *Togam* sumere audeamus. *Sua*, vt est in veteri prouerbio, *vnicuique Minerua*: nobis, Togæ addictis, etiamsi omnia ad arma spectent, Togam tamen tractare, & licet, & libet. Ceterùm & in ipsa Toga bellum offendo: adeò nimirum parua respondent magnis. De tempore, quo Virilem puramve sumebant Romani, certant viri docti. Lipsius ad Tacitum decimoquarto ætatis anno eam pueris dari consueuisse, probare contendit ex eodem fere Tacito xij. Annal. vbi hæc habentur: *Ti. Claudio quintùm Ser. Cornelio Orfito Coss. virilis toga Neroni maturata* his verò Coss. Neronem XIV. inijsse annum, liquidò constat. natus enim fuit anno Vrbis conditæ

Digitized by Google

DCCXC. Claudius verò, & Orfitus consulatum gesserunt anno DCCCIII. Tacito præferendus Tertullianus, qui lucem rei affert haud exiguam; fidem certè summam ac singularem: *Ethnici* (inquit lib. Virg. Veland.) *feminas quidem a* XII. *annis, masculos verò a duobus amplius ad negotia mittunt*. Hoc autem aliud est nihil, quàm togam virilem dare: nam prætexta indutis ne prodire quidem licebat in forum, magistro semper adhærentibus, a quo ad bonas artes informarentur. Virili autem accepta, priuata simul ac publica suscipere negotia licere videbatur. Vnde ea toga non solùm *Virilis* dicta est, quòd eam induti in virorum album relati viderentur: non solùm *Pura*, quòd alba esset, nulla ei purpura, nullove purpureo limbo prætexto: sed etiam *Libera*, quòd ea sumpta adolescentes a pædagogi latere, cui semper ad eam vsque diem hæserant, quasi libertatem adepti, ad negotia discederent. His accedit vetus Horatij interpres, a Lipsio productus: *Nobiles pueros prætexta veste sub disciplina vsque ad annum xiv. vsos*. Quòd si adolescentes vsque ad annum XIV. prætexta vsi sunt, iam tunc eam exutos, virilem induisse perspicuum est.

At verò Sigonius XVII. anno Virilem sumi consueuisse, ex Suetonio in Augusti Vita perspicuè intelligi posse credit: huius hæc sunt verba: *Duodecimum annum agens* (Augustus) *auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit: quatriennio post virili toga sumpta militaribus donis triumpho C. Cæsaris Africano donatus*. Apertiùs id conijcere possumus ex Valerio: apertiùs, inquam, quia reuerà ex Suetonio solùm liquet, Octauium eo anno togam accepisse: id verò num ex consuetudine ac lege, an potiùs ex arbitrio, inde suspicari, ne dum certò scire, non possumus. Fieri enim potuit, vt per morem ac legem prius licuerit; sed, quia non libuit, distulit in annum XVII. In quo sanè peccant Sigonius, Manutius, ceteriq; nobiles antiquarij, sibi ex hoc vno Suetonij loco persuadentes, initium anni XVII. fuisse virili togæ sumen-

dæ

dæ constitutũ. Ex Valerio igitur planè conijcio, nec acceptã, nec accipi ante eum annum licuisse. lib. V. cap. IV. hæc habet verba: *M. Cotta eo ipso die, quo togam sumpsit virilẽ, protinus, vt e Capitolio*, vbi dabatur toga, *descendit, C. Carbonem, a quo pater eius damnatus fuerat, postulauit, protractumq; reum iudicio affixit, & ingenium, & adolescentiam præclaro opere auspicatus*. Ex quo sanè intelligimus, Cottæ nihil potius fuisse, nihil antiquiùs, quàm virilem sumere, vt Carbonem accusare, eiusque persequi iniurias posset, cum statim eo ipso die, quò togam sumpsit virilem, eum accusauerit. Prius ergo eam non sumpsit, quia prius non licuit: si enim licuisset, accepisset vtique, vt paternas iniurias vlciscereturr. Porrò autem M. Cottam XVII. tunc annum inijsse, ex eo coniecto, quòd *Postulauerit*. nam, vt est apud Vlpianum de Postulan. *Minorem decem, & septem annis Prætor prohibet postulare*. Si ergo M. Cotta Carbonem postulauit, XVII. egisse annum necesse est. Itaque ex instituto, aut lege XVII. anno Virilis toga sumebatur.

Magna profectò auctorum varietas, summa dissensio, quàm nullus (miror) componere aggressus est. Quid igitur? An aliud alio tempore in more positum? Haud vana est, haud futilis mea hæc coniectura: fulcitur enim Ciceronis loco in Oratione pro Cœlio: *Nobis quidem olim annus erat vnus ad cohibendum brachium toga constitutus*; hoc est, vt ipse interpretor, nobis pueris, aut patrum nostrorum ætate annus erat vnus ad sumendam virilem togam constitutus. nam prætexta, quàm ante virilem induebant pueri, non adeò demissa ac protracta erat, non adeò longa lataquè, vt brachio eam colligere oporteret. At virilis, cum longius defluere, latiùs pateret, ac multùm lacinioſa esset, brachio manuq; colligenda erat, & in tergum reijcienda.

Hæc

Digitized by Google

Habes hìc exemplum Capitolinæ statuæ, quæ Marij esse creditur, imò & aliarum sexcentarum, quæ Romæ sunt vbique locorum, in qua vide togæ amplitudinem, vide longitudinem, sinus, lacinias, manu collectas, reiectasq; in tergum. Vide cohibitum brachium, implicatumq; ità, vt promptè huc illuc verti non possit. Verè igitur, cum sumebatur toga, vnà brachium cohibebatur. Ergo si olim ad cohibendum brachium, etiam ad sumendam Togam annus erat vnus constitutus. Iam si *Olim* status erat, & constitutus annus, sequitur, vt alijs temporibus incertus fuerit, minimèq; constitutus. Ergo *Aliud alio tempore in more positum.*

PLEBS, PATRITIVS

A. Gellius illustratus, aduersus Lipsium defensus, & obiter de A. Gelij nomine.

CAP. II.

AD PETRVM PVTEANVM *Nobilem Parisinum.*

EA Plebis diffinitio, quæ ex Capitone tradita est ab A. Gellio, adeò torsit doctissimorum ingenia virorum, vt vel Iustus Lipsius, rerum antiquarum scientissimus, non modò hæsitauerit, sed grauiter etiam offenderit. Nam Epist. LV. primæ centuriæ selectar, Antuerpiæ apud Plantin. impressæ 1586. rescribens Vuiltio, qui hac de re eum consuluerat, hæc post multa de A. Gellio habet verba. *Illud lib. x. cap. xx. Plebs verò dicitur, in qua gentes Ciuium Patriciæ non insunt, obscurum mihi, imò falsum. Omnesne in Plebe, qui non*

non sunt Patricij? Vniuersi ergo Equites, & plerique è Senatu Plebs sunt. Hæc Gellius, hæc Lipsius, circa quæ eo diligentius versandum est, quò non solùm obscurior, sed etiam præclarior cognitio est. Cum verò vniuersa rei scientia ex Ciuium partitionibus maximè pendeat, eas primò hìc breuiter perstringere necesse est.

Populum Romanum iam inde a primordio Vrbis bifariam partitum fuisse animaduerto, Primò enim diuidebantur ita ciues Romani, vt alij Senatores essent, Equites alij, alij De plebe. Huius diuisionis auctor censetur Romulus: is enim Senatum constituit, Equites legit, & Plebem ab his secreuit. De Senatu constituto præsto sunt auctores maiorum gentium, Liuius, Dionysius, Plutarchus, Salustius, Velleius, ceteri fide dignissimi. Hi omnes centum, vt notum est, pluresuè homines a Romulo selectos scribunt, quorum consilio atque prudentia rerum publicarum gubernacula tractarentur: eosque ab ætate Senatores, quasi seniores; a munere Patres appellatos. De Equitibus electis, Equestriqae ordine instituto ijdem sunt auctores. Et Liuius quidem, *Trecentos*, ait, *Romulus ad custodiam corporis, quos Celeres nominauit, non in bello solùm, verùm etiam in pace habuit.* Et Festus apertè docet, quos Romulos Celeres, aut Trossulos alij Reges, eos deinde Equites nuncupatos fuisse. Eius hæc sunt verba: *Celeres antiqui dixerunt, quos nunc Equites dicimus a Celere, Remi interfectore, qui initio a Romulo ijs præpositus fuit, qui primitus electi fuerunt ex singulis curijs deni: ideoque omnino trecenti fuerunt.* Et alibi, *Trossuli*, inquit, *Equites dicti, quòd oppidum Tuscorum Trossulum sine opera peditum ceperunt.* Iam verò reliqua omnis ciuium multitudo, quæ nimirum neque in Senatorium ordinem, neque in Equestrem ascita fuit, Plebis nomen sibi vendicauit. Tripartitus ergo est vniuersus populus Romanus in Senatores, Equites, De plebe. Vnde Ausonius.

Martia Roma triplex Equitata, Plebe, Senatu.

Cete-

Digitized by Google

Ceterùm ne illud quidem silentio prætereundum videtur (conducit enim maximè huic argumento) tres hasce ciuium partes, siue ordines censu, exactis Regibus, constitutos fuisse. Docet hoc Seneca Declam. lib. 2. *Senatorium gradum census ascendere facit, census Romanum Equitum a Plebe discernit.* Senatorium autem censum tradit Suetonius in Augusto his verbis: *Senatorium censum ampliauit, & pro octingentorum millium summa duodecies H. S. taxauit, suppleuitq; non habentibus.* Itaque antè Augusti Principatum senatorius census erat XX. millium nummorum aureorum, post verò XXX. millium. Porrò autem equestrem declarat idem Suet. in Iulio Cæsare; atque simul plebeium innuit Horatius in Epistolis.

Si quadringentis sex septem millia desint, Plebs eris.

Rectè igitur subducta summa equestris census quadringentorum millium HS. erat; plebeius verò eo tenuior, quamuis reuerà nullus plebi census constitutus fuerit. nam ad hoc vt aliquis in plebem censeretur, hoc est, in tertium infimumque ordinem, nullius pecuniarum summæ ratio habebatur: hoc ipso, quòd nec in Senatorium, nec in Equestrem ordinem pecuniæ caritate referretur; necessariò relinquebatur in Plebe. Atque hæc est prima ciuium Romanorum partitio in Senatores, Equites, De plebe, censu constituta.

Secundò verò diuidebantur ciues Romani (confusis, & quasi neglectis ordinibus) in Patricios, & Plebeios. Illi dicebantur, quicumque a centum Patribus, a Romulo in Senatum primò lectis, alijsque deinde adscriptis siue ab eodem Romulo, siue ab alijs Regibus, aut etiam a Bruto, originem duxerunt. Plebeij verò ceteri omnes, qui neque in Senatum tunc lecti, neque ab eis oriundi fuerunt.

Hæc ciuium Romanorum partitio adeò conducit rerum antiquarum scientiæ, vt huius ignoratione Leges, Magistratus, Sacerdotia, aliaq; aut penitus ignoremus, aut sub-

Digitized by Google

obscurè intelligamus. Et sanè quì fieri potest, vt quispiam aùt Sacratam aut Sacratas Leges intelligat, hanc si ignoret partitionem? Quomodò Corneliam de Connubijs, Publiliam de Magistratibus, Liciniam, & Ogulniam de Sacerdotijs, ceterasquè patriciorum ac plebeiorum iura aut dirimentes, aut communicantes assequetur? Quomodo Ædiles Curules, quos e plebeis creari nefas erat; Ædiles Plebis, quos e plebe creari iusserunt leges? Quomodò Interregem, Flamines maiores, Dialem, Martialem, Quirinalem; Regem Sacrificulm, Salios q; intelliget? Nonne e solis patricijs creabantur? Nonne soli plebeij excludebantur? Omitto Consulatum, Præturam, Censuram, alios que curules magistratus, ad quos Patricijs dumtaxat longa, & continuata annorum serie aditus patuit: Vnus ille sacrosanctus magistratus, qui contra vim insolentiamq; patriciorum tanquam populi clypeus & propugnaculum, institutus fuit, testis est, & vindex huius veritatis. Hunc vt solis plebeis inire liceret, lege cauit Plebs adeò inuiolata, vt Dolabella & Clodius, viri ambo patricij, vt eum Magistratum adipiscerentur, adoptione, vel priuilegio ex patriciatu in plebem migrare coacti fuerint. Vnde Cicero De Petit. Cons. *Si Patricius*, inquit, *Tribunus Plebis fuerit, contra leges sacratas esse.* Iam verò, ne mihi videar somnia fingere, hanc populi partitionem in Patres & Plebem apertissimis scriptorum veterum testimonijs aperiam: idq; eò libentiùs, quòd Lipsius huius ignoratione deceptus A. Gellium tam immeritò accusauerit. Dionysius lib. 2. loquens de Romulo, qui vniuersum populum in Curias ac Tribus distribuerat, hæc habet: *Atque hæc est vna diuisio tam virorum, quàm agrorum, in qua Rex summam æqualitatem seruasse visus est. Nunc alteram dicturus sum virorum duntaxat, quæ ad subditorum curas, bonores, ac dignitates pertinet. Illustres genere, & virtute celebres, opibusquè, vt tum ferebant tempora, abundantes, quibus essent liberi, secreuit ab obscuris, egenis, & humi-*

humilibus. Inferioris fortunæ homines Plebeios vocauit: hi Græci sunt δημοτικοι *Potiores verò Patres: siue quod ætate antecirent alios, siue quòd haberent liberos, siue propter nobilitatem generis, siue propter hæc omnia.* Hæc Græcus auctor: sed in re Romana præstat Romanum audire Sallustij in Orat. ad Cæs. hæc sunt verba: *In duas partes ergo ciuitatem diuisam arbitror, sicuti a majoribus accepi, in Patres & Plebem.* Ratum igitur ex his omnibus, firmumq. est, non solùm dupliciter partitum fuisse populum Romanum; primò bifariam in Patritios, & Plebeios; deinde tripartitò in Senatores, Equites, de Plebe: verùm etiam alterius diuisionis partes ita ab alterius membris seiunctas esse, vt illi cum hac, huic cum illa, nihil omnino commune sit. Ergo cum de patritio loquimur, deq; plebeio, secedunt senatores, secedunt equites, ipsaquemet plebs, siue, vt verius loquar, ciues ipsi de plebe (nam longè aliud est de Plebe esse, & Plebeium: quod etsi ex ijs, quæ dicta sunt, conijci potest haud obscurè, inferiùs tamen clariùs innotescet,) Hæc adijcere necesse habui longiuscula accurataq; indagatione, vt quæ Gellius dixit, quæquè Lipsius obiecit, vniuique liceat diiudicare.

Plebs verò dicitur, in qua gentes ciuium patritiæ non insunt, rectè sanè, & omnino ad veritatem. Nam qui patres aut patritij non sunt, plebem, aut plebeios esse necesse est. Diuisus namque fuit populus Romanus in Patres & Plebem: adeò vt nullus esset ciuis, qui vel plebeius non esset, vel patricius.

Habemus itaque quod maximè optabamus, firmum ratumq. Gellij enunciatum: quæ verò obiectat Lipsius modò examinemus. Duo sunt, quæ tanquam absurda ab hoc obijciuntur A. Gellio, si plebs ea esset, in qua gentes ciuium patriciæ non insunt; *Et vniuersos Equites esse Plebeios, & plerosque etiam e Senatu.* Quæ, cum eruditionem contineant non vulgarem, paulò diligentiùs a me sunt expendenda.

Digitized by Google

Et quidem si ex Lipsio quærerem, cur primum illud & Gellio sequatur, nempe vniuersos equites esse plebeios, si plebs ea esset, quæ ab eo definitur: respondebit profectò, Quia nullus Eques est Patricius. neque enim posset aliter respondere. Sed errat toto cœlo. nam complures equites esse patricios, illud primò argumento est, quòd patriciorum non pauci eò pecuniarum non peruenerint, vt octingentorum millium HS summam explerent. Hos in senatum legere non licebat: in equestrem igitur ordinem, si pecunia & gratia apud Censores pollerent, censebantur. Quinimo apud Ciceronem constat in Orat. pro Murena, Ser. Sulpicij Rufi patrem, & equestri loco natum, & patricium fuisse. Et apud Liuium lib. 39. scriptum est, C. Claudium Neronem, eum, qui anno V.C.DXLVI. cum M.Liuio Salinatore Consul fuit, inter patritios natum, meruisse tamen equum publicum. Quid? Non patritij modò, verùm ipsi etiam plebeij in equestrem ordinem relati fuerunt. Liquet hoc apertissimè ex Liuio Salinatore, quem nominaui. Is enim ex plebeio natus ad equestrem ordinem euectus fuit. Liquet & ex Cicerone, plebeio homine (nam Tullia gens in quatuor diuisa erat familias: duas patricias, Longos, Tolerones: duas verò plebeias, Deculas, Cicerones) Equestris tamen dignitatis, si credimus Pediano in Togà Cand. Liquet demum ex Pompeio Magno, quem tum plebeium fuisse, tum equum publicum, cum Consul esset, ante Censores Lentulum & Gellium duxisse sua manu, docet Plutarchus in eius vita. Itaque liquidò constat, & patricios & plebeios equestris ordinis fuisse.

At verò num absurdum sit, quod tanquam absurdum à Lipsio obiectatur Agellio, *Pleroſque e ſenatu plebeios eſſe*, ambigi posse videtur haud iniuriâ. Nam summum amplissimumq; ordinem, in quem vel nascente Republica nonnisi summi ampliſſimiquè viri relati fuerunt, plebeis hominibus patuisse, consentaneum non videtur. Ceterùm explora-

tum

tum eſt, T. Annium Milonem, M. Antonium, M. Tullium, Cn. Pompeium, M. Æmilium Pætum, M. Licinium Craſſum, C. Memmium, C. Duillium, M. Catonem, M. Manilium, T. Coruncanium, Q. Cædicium, T. Didium fuiſſe plebeios: cum a centum pluribusve illis patribus, a Romulo in ſenatum lectis, alijsve deinde adſcriptis originem non duxerint. At eoſdem ſenatores fuiſſe, Lipſius, vt ingenuus, non diſſimulabit. conſtat enim Ciceronem, Pompeium, Antonium, Craſſum, Duillium conſulatum geſſiſſe, cuius ferme iure (nam Cenſorum prætereà lectione opus erat) ſenatorium ordinem adipiſcebantur. Ergo pleroſque e ſenatu plebeios eſſe, non eſt, vt putat Lipſius, abſurdum.

Sed hìc, Lector, eſt cur aliquid de Nomine addam eius auctoris, quem defendimus. Apud pleroſque viros doctos inualuit opinio, apud Tranſalpinos omnes vſus obtinuit, vt, veteri Auli Gellij nomine repudiato, Agellius appelletur. Ego verò antiquum retinendum eſſe, nullus dubito. id vt credam, faciunt ſex Vaticani codices, impreſſi libri omnes, & romanus vſus. Etenim, vt hinc exordiar, Agelliam familiam vix, imò ne vix quidem apud Romanos reperies; Gelliam verò apud Ciceronem, Liuium, Dionyſium, Valerium, Plutarchum, Aſconium, Faſtos Capitolinos. Accedit quòd ſi Agellij nomine gentilicio appellandus eſt (nam quæ in ivs deſinunt, gentilicia ſunt) prænomen ei neceſſariò imponendum, neque enim fieri poteſt, vt quiſpiam prænomine, hoc eſt, proprio nomine careat. At Agellij prænomen apud neminem videre eſt aut veterem, aut recentiorem auctorem: ergo neceſſariò ſequitur, vt Aulus ſit prænomen, Gellius nomen gentilicium.

Quòd verò ait Lipſius lib. V. Epiſt. Quæſt. VIII. idcò Agellium dicendum eſſe, quòd, auctore Priſciano, *Ab agello fiat agellius*; planè alienum eſt. Ab agello fiant agellij ſexcenti: non recuſo: ſed nihil hoc ad rem pertinet; nihil ad A. Gellium, Noctium Atticarum ſcriptorem. nam quòd

Priſcia-

Priſcianus dicat, ab agello fieri agellium, ſolam docet agellij ab agello deriuationem, non verò probat, agelliam eſſe Romanam familiam; multò minùs auctorem noſtrum Agellium dicendum eſſe. De libris verò manu ſcriptis, quos Agellium habere, affirmat Lipſius, mirari ſatis non poſſum. Vbique locorum inuehitur in ignaros librarios, eorum accuſat negligentiam, carpit oſcitantiam, qui verba commutent, peruertant ſententias, addant, demant, ſusq; deq; plurima non rarò agant: & tamen hìc non animaduertit exiguum eorum erratum, qui nomina diſiuncta vno calami ductu copulant: aut qui puncto medio duo nomina non ſeiungunt. nam & A. Gellius dempto puncto fit Agellius, & puncto adſcripto migrat in A. Gellium. Neque verò *g.* littera, minuſculo caractere ſcripta, faceſſit negotium. nam in vno eodemq; lib. Vaticano, qui ſolus habet *Agellius*, modò *Agellius* ſcriptus eſt per *g.* minuſculam, modò per maiuſculam, ita, *A Gellij liber quartus*. Vnde conſtat planè oſcitantes fuiſſe librarios, nec de maiuſculis, aut minuſculis litteris, multò minùs de punctis laboraſſe. nemo enim non videt, *A Gellij*, interpretandum eſſe *Auli Gellij*, & puncto intermedio ſeiungendum, aſſentientibus omnibus alijs Vaticanis libris, quorum plerique habent *Auli Gellij Noctes Atticæ*, prænomine ſcilicet omnibus litteris ſcripto: alij *A. Gellij*, prænomine ex antiquo more exarato per vnicam litteram A. puncto terminatam. Omnino igitur retinenda eſt vetus nomenclatura, & Aulus Gellius appellandus.

ORDI-

Digitized by Google

ORDINES ET GENERA

Ciuium Romanorum: Nobilitas: Etiam Plebeij verè Nobiles: Dionysio & Salustio Lux Data.

CAP. III.

Ad Fridericum Comitem Vbaldinum.

SVperiori apologiæ veluti appendices hærent, ciuium Rom. Ordines & Genera. Nam ex ijs, quæ ibi Gellij defendendi gratia scripsimus, fluxerunt nonnulla, quæ sicuti vulgaria non sunt, minimèq; obstrepunt, vt dici solet, in quadriuijs; ita rerum antiquarum studiosis haud iniucunda futura, imò maximè necessaria videntur. neque enim historias, plurimasq; alias veterum scriptorum sententias quisquam assequi rectè potest, nisi hæc animaduertat. Ciuium Rom. ordines & genera varijs inter se modis commista esse animaduerto. Nam quis simul esse poterat

1. Senator, eques, & plebeius: vel
2. Senator eques & patricius: vel
3. Patricius, & de Plebe: vel
4. Patricius, & Eques: vel
5. Patricius, & Senator: vel
6. Plebeius, & Senator: vel
7. Plebeius, & Eques: vel
8. Plebeius, & de Plebe.

Etenim Cn. Pompeius, M. Cicero M. Æmilius Pætus, L. Piso, C. Marius, M. Bibulus, L. Calpurnius, cum non sint a Patribus oriundi, plebeij sint, necesse est. equestrem ordinem assequi potuerunt (spectio potius, quod fieri potuit, quàm

quàm quod reuerà fuerit. nam in magna antiquitatis caligine vel Lynceus cæcutiret. de Pompeio certum est, eum fuisse equestris ordinis.) ad amplissimam demum senatoriam dignitatem consulatus aliorumq; beneficio euehi. Ergo simul esse poterant.

1. Senatores, | Iure Magistratus, & lectione Censorum.
Equites. | Censu, Censorumquè beneficio
Plebeij. | Quia non duxerunt originem a patribus.

At C. Iulius Cæsar. Q. Fabius Maximus, M. Antonius, L. Sergius, P. Seruilius Priscus, M. Cornelius Maluginensis, P. Scipio, L. Sulla, alijq; e patribus oriundi, non equestrem modò, verùm etiam senatorium ordinem adipisci potuerunt; fuissent igitur

2. Senatores, | Magistratu alijsquè.
Equites | Iure census, Censorumquè lectione.
Patricij. —— Progenie a patribus.

Ceterùm si horum aliquis vel pecuniarum caritate, vel ignominia aliqua, vel alia quauis causa aut non lectus in Senatum, aut lectus quidem, in censu tamen præteritus a Censoribus fuisset, quamuis esset patricius, a senatorio tamen, equestrique ordine exsulabat. Ergo erat

3. Patritius, & | Ortu.
De plebe. | Rei familiaris inopia.

Quòd si & patrimonio, & gratia locupletior apud Censores fuisset, dubio procul meruisset equum publicum. Igitur fuisset

4. Patricius & | Origine a patribus.
Eques. | Censu, Censorumq; lectione.

Iam verò Ser. Sulpicius, M. Æmilius. C. Antonius, L. Iunius, P. Valerius Poplicola, C. Claudius Regillensis e Patricijs orti, si equestri ordine præterito neglectoque in senatum

Digitized by Google

natum statim sese insinuassent, fuissent procul dubio.

5. Patricij & Senatores. | Progenie. | Censu, Magistratu, lectione.

At Brutus, Metellus, Rufus, Liuius, Decula, ceteriquè plebeij si consulatus aliorumve gratia in senatum irrepsissent, certè fuissent, vt reuerà eorum plerique fuerunt.

6. Plebeij & Senatores. | Quia non e patribus oriundi. | Magistratu.

Idem si tenuiori fuissent censu, hoc est, octingentorum millium HS. summam eorum patrimonium non expleuisset, ad quadraginta tamen millia peruenisset, equo publico donabantur. Ergo

7. Plebei & Equites. | Eadem de caussa. | Censu, & lectione Censorum.

Quòd si ne equestrem quidem ordinem census tenuitate adepti essent, iacebant procul dubio in plebe. Ergo erant

8. Plebeij & De plebe. | Quia a patribus non oriti. | Rei familiaris inopia.

Iam verò planè animaduerto, me lectoris menti, qui in antiquitate inuestiganda minùs versatus sit, multas offudisse tenebras; quæ tamen discutientur facilè, duo si animaduertantur. Primum vnumquemquè ciuem Romanum in duplici illa, a me superiori capite allata, populi partitione, quarum altera Ordo, Genus altera dicebatur, concluſum fuisse. Ordine partiti ciues vel Senatores erant, vel Equites, vel De plebe. Genere vel Patricij, vel Plebeij. Quarè Cn. Pompeius ordine Senator erat, Q. Cicero Eques, C. Poppeus de Plebe. Genere verò C. Cæsar Patricius, M. Antonius Plebeius. Ordine, & genere simul T. Merenda adhuc pubes ordine de Plebe, genere Patricius; M. Curius Dentatus ordine Eques, genere Plebeius.

Alterum animaduertendum diximus, longè aliud esse. *De plebe*, & *Plebeium*, nam hic esse dicitur, qui non est Patricius; ille qui nec Senator, nec Eques. Plebeius ergo ad

Digitized by Google

Genus spectat, de Plebe ad Ordinem. Pompeius itaque Senator est, Eques, Plebeius, non de Plebe. Catilina, si decoxit, Patricius & de Plebe, Q. Cicero Eques, Plebeius, M. Frater Senator Plebeius, neuter de Plebe. Demum Poppeus Plebeius, & de Plebe.

Sed hæc hactenus: Plebeiorum nobilitatem modò examinemus: de qua video non solum hæsitare vulgus, verùm proceres etiam, ac maiorum gentium Antiquarios. Vulgo quidem, vt arbitror, dubitandi ansam dedit peruagata huius nominis notio. nam hoc ipso, quòd aliquis e plebe natus dicitur obscurus & ignobilis vulgo censetur. His verò Dionysius imposuisse videtur, qui lib. 2. loquens de populi partitione in Patres, & Plebem hæc habet: *Illustres genere, virtute celebres, opibusque, vt tum ferebant tempora, abundantes secreuit ab obscuris, egenis, & humilibus; Inferioris fortunæ homines Plebeios vocauit, potiores verò Patres.* Et Sallust. ad Cæs. de Rep. ord. *Sæpius in ciuitate secessio fuit, semperquè nobilitatis opes diminutæ, & ius populi amplificatum.* Hunc nodum, qui complures nobiles Antiquarios, & eruditione claros (Aleandrum præcipuè) implicauit, perbellè expedit ipsius origo nobilitatis. Hæc apud Romanos ex imaginibus proficiscebatur: imagines verò ex curuli magistratu. Etenim cum quis vel Consulatum, vel Præturam, vel Aedilitatem curulem, aliumve maiorem magistratum adipiscebatur, ius etiam suæ imaginis ponendæ obtinebat. Imagines autem, hoc est, celeberrimi alicuius viri (vtor Polibij verbis) artificiosè effictum simulachrum in insigniori domus parte armario ligneo concludebatur, ad memoriam posteritatemque prodendam. Qui ergo, curuli functo magistratu, sui imagines domi positas habebant, ij Noui: qui maiorum suorum, ij Nobiles: qui neque suas, neque maiorum, ij demum Ignobiles censebantur. Quarè Liuius: *Ancus Marcius*, inquit, *nobilis vna imagine Numæ*. Et Suetonius in Vespas. *Flauia gens obscura illa quidem, & sine vllis maio-*

Digitized by Google

maiorum imaginibus. Iam complures plebeio loco natos magiſtratus curules geſſiſſe, imagineſque proinde, quaſi nobilitatis ſeminarium, poſteris reliquiſſe, tam certum eſt, quàm quod certiſſimum, nam ab anno Vrbis CCCLXXXVII. ad vſque extrema reipub. tempora vel ambo vel alter Conſul. e plebe creatus ſemper fuit. Eo enim anno L. Sextius, & C. Seruilius Stolo Tribuni plebis lege lata interdixerunt, ne ambo Conſules e patribus crearentur, Anno verò CDXVI. Prætor etiam e plebe, acriter repugnante Sulpicio Conſule, Q. Publicius Philo primùm creatus fuit; cum antea ſolis patricijs ad eum magiſtratum aditus pateret. Cenſura & ipſa curulis magiſtratus, plebi communicata fuit anno, ſi credimus Liuio, CDII. C. Sulpicio Petico, T. Quintio Penno Coſſ. Omnes demum alios maiores magiſtratus plebem ſibi vendicaſſe, vt facilè probare poſſem, ita rem præſtarem & minùs neceſſariam, & omnino exploratam. Si ergo plebeij homines adepti ſunt curules magiſtratus, Imagines poſteris reliquiſſe, neceſſe eſt: ac proinde nobilitatis originem ac ſeminarium.

Sed hoc clariùs innotefcit apud Aſconium in Tog. Cand. vbi C. Antonium, & L. Caſſium, Ciceronis competitores, plebeios nobiles appellat: *Sex* inquit, *competitores in Conſulatus petitione Cicero habuit: duos patricios, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam: quatuor plebeios, ex quibus duo nobiles, C. Antonium, L. Caſſium Longinum*. Et Liuius lib. 22. apertè meminit plebeiorum nobilium; atque Cicero in Orat. pro Sextio: *P. Sextus*, inquit, *natus eſt homine, & ſapiente, & ſancto, & ſeuero: qui cum Tribunus plebis primus inter homines nobiliſſimos factus eſt*. Sed plebeiorum familias accuratè examinemus. Clariſſima eſt, & omnium ferè nobiliſſima Pompeiorum familia, ſeu, vt veriùs loquar, gens Pompeia. nam ſplendet ſeptem Coſſ. quatuor magnificentiſſimis triumphis, Præturis, Aedilitatibus, Cenſuris: hanc non ſolùm plebeiam, ſed humilem ad annum

DCXII. iacuisse, liquet ex Q. Pompeio Consule, cui Metelli, & Cæpiones inimici patrem tibicinem exprobrabant. Licinia gens, vt constat ex eodem Licinio, qui primus e plebe Tribunus militum consulari potestate fuit renunciatus an. CCCLIII. plebeia fuit, sed tamen clarissima. nam. & Calui, & Luculli, & Crassi, & Murenæ (nam ea gens in has quatuor familias distributa erat) nobiles fuerunt. Et Calui quidem duobus consulatibus, tribunatu militum, equitumq; magisterio. Crassi longè nobiliores Caluis, octo nimirum Consulibus, duobus Pontif. Max. quatuor Censuris, ouatione, ac triumpho. Luculli, & ipsi plebeij, ac nobiles. Illud docet P. Licinius Lucullus tribunus plebis an. DCXLIII. hoc L. Licinius Lucullus Consul anno DCII. & M. Licinius Lucullus, qui a M. Terentio Varrone adoptatus, M. Terentius Lucullus dictus est: & L. Licinius Luculus Consul cum Aemilio Cotta an. V. C. DCLXXIX. cuius non solùm res gestæ, ac triumphi acti, sed etiam cænæ, piscinæ, villæ, vt regij apparatus, splendoris, ac magnificentiæ celebrantur. Cæcilia gens plebeia quidem, sed tamen clara, & illustris non Pontificatu solum, Cicliatura, ac Censura; verùm multò maximè nouem triumphis, ac viginti Consulibus: adeò vt *Naeuius*, vt est apud Asconium, *Fato Metellos fieri Consules* (nam Metellorum familia e gente Cæcilia fluxit) *dictitaret*. Eam tamen fuisse plebeiam, declarat Q. Cæcilius Metellus tribunus plebis anno DCXCI. qui Ciceronem concione prohibuit. Præterea quis negat, Aurelios, Domitios, Marios, Aelios, Oppios, Minucios, Liuios esse nobiles? Quis eosdem plebeos esse inficiatur?

Neque verò Dionysius, aut Salustius aduersantur. ambo enim de primis Reipub. imò regni temporibus loquuntur: qua ætate quæ obscuræ, egenæ, & humiles erant familiæ, temporis processu claræ, & illustres magistratu, aliorumq; beneficio euaserunt. statim enim atque plebi aditus patuit ad maiores nobilioresq; magistratus (nam primis Reipub. tempo-

ribus

ribus omnia penes patres: plebs & imaginibus, & auspicijs carebat, non secus ac serua, &, vt ipsa apud Liuium de se loquitur, (*Dijs inuisa*) honorem, gloriam, Nobilitatem sibi comparauit. Quarè Liuius lib. 6. *Plebeij, de communicando consulatu agentes, dicunt ex illo in plebem uentura omnia, quibus patricij excelluntˇ, imperium atque honorem, gloriam belli, genus, Nobilitatem.* Salluſtius de ijſdem antiquis temporibus apertè loquitur, ſuperiùs enim dixerat, *Antea in patribus: ſumma auctoritas erat, uis multò maxima in plebe*; ergo hæc non protulit de ea, quam degebat, ætate, ſed de multò antiquiori.

ANTIQVÆ NVMERORUM Notæ, nunc primum ex columnæ roſtratæ inſcriptione reſtitutæ.

Priſciani & Antiquariorum ſententiæ examinantur.

CAP. IV.

Ad Iacobum Puteanum Nobilem Pariſinum.

NOn vereor, ne non temeritatis notam effugiam, ſi de veteribus numerorum notis antiquariorum antiquatis decretis, nouam eas deſignandi rationem comminiſcar; ſiue potius vetuſtam & iam obſoletam quaſi a poſtliminio reuocem. Nam etſi Paulus Manutius, Aldusq. filius hoc argumentum fusè, ingenioſeq. tractarunt, tamen cum adeò difficilis ſit rerum antiquarum perſcrutatio, adeò obſcura cognitio, vt ſæpiſſime non modò caligare, verum etiam cæcutire contingat; ſi non laudandus, ferendus ſaltem erit conatus meus. Illud tamen Manutiorum induſtriæ ingenioq. abrogandum non eſt, ingenioſiſſimum eſſe eorum commentum. nam ex hac nota I. ceteras fluxiſſe omnes, planè conſentaneum videtur. V. enim duæ primæ notæ I. videntur eſſe infima parte coniunctæ. X. nil aliud, quàm numeri quinarij duæ notæ, in acuto angulo coeuntes. At L.

Digitized by Google

quid eſt, niſi prima illa nota I. recta & altera proſtrata ſimul iũctæ? Cui ſi addideris in ſumma parte aliam primam notam item proſtratam fiet [centum. non enim, inquit Manutius, priſcis temporibus pro centum ſcribebant C. quod ad ætatem noſtram permanſit: ſed] quæ erant tres primæ notæ conſociatæ, vna recta, duæ proſtratæ cum recta coniunctæ, vna in ſuperiore parte, altera in inferiore. Quingenta verò feciſſe videntur addita ad tres notas, quas proximè nominauimus, quarta recta cum duabus proſtratis coniuncta hoc modò [I]. qua figura duplicata factum videtur mille, hoc modò [[I]. vnde poſtea librariorum arbitrio & incuria (I), ceteraſq; paſſim obuiam, factas fictaſq; credit Manutius.

Ceterum vt ingenioſum eſt Manutij commentum, ita in antiquis libris, lapidibus, nummis, æreisve tabulis nunquam mihi obſeruatum. Ingenioſum, inquam, &, vt credo, deriuatione verum; ſed in vſu non poſitum, monumentis omnibus veteribus id atteſtantibus.

Priſcianus verò auctor & doctrina & antiquitate nobilis, hac de re multa ſcripſit libro de Pond. & Menſ. nonnulla quidem [ingenuè loquor] futilia, & inania, quæ nimirum e Græcia accerſiuit, quæq; de origine V.X.L.C.D. ceteriſq; commentus eſt: aliqua autem vero ſimilia, & antiquis monumentis conſentanea, vt inferiùs fiet perſpicuum.

Illud autem affirmare non dubito, veras ac veteres numerorum notas non ex proprio cuiuſq; ingenio & commento, aut ex codicibus antiquis deſumendas eſſe, vt hi auctores feciſſe videntur; ſed ex ijs quæ ab antiquis ipſis ad noſtra vſque tempora eas fideliter aſſeruarunt: hoc eſt, ex lapidibus, nummis, æneiſq; tabulis, Nam ſicuti libri etiam antiquiſſimi quiq, ſexcenties ab incuroſis ignariſque amanuenſibus deſcripti ſunt, fœdiſſimiq; proinde ac turpiſſimi errores irrepſerunt; ita lapides a temporum iniuria integri ſemel olim exculpta, ſincerè & incorruptè tuentur. Inſcriptiones ergo hac in re fidem omnem

ſibi

sibi vendicant. Inter has autem vt antiquissima, ita fidelissima censetur, quæ olim C. Duilio in foro posita, indeq; multis ab hinc annis eruta in Capitolio asseruatur. Et quidem vt huius inscriptionis antiquitatem simul & nobilitatem assequaris, scias C. Duilium anno Vrbis Conditæ CDLXXXXIII. Co. primo Punico bello cum Hannibale, Giſconis filio, Carthaginiensium duce classe ad Liparas dimicasse, eoq. victo primum Romanorum ducum naualis victoriæ triumphum duxisse: columnamq; rostratam cum honorifica inscriptione ob res prosperè gestas a S.P.Q. R. in foro ei positam anno CDXCIV. fuisse. Huius autem columnæ inscripta basis anno superioris sæculi LX. effosa e Romano foro, & ab Alexandro Farnesio Cardinali in Capitolium translata, veteres illas ac veras numerorum notas incorruptè custodit. eius hoc est exemplum, à me summa cura ac fide exscriptum.

Omnis

Omnibus & verbis, & numerorum notis fideliſsimè deſcriptis, impreſsiſquè: ipſa fides non potuiſſet fidèliùs.

. . ANO . . . . . .
. . D. EXEMET. LECIONES. . . . . .
. XIMOSQVE. MACISTRATOS. . . . . .
. VEM. CASTREIS. EXFOCIONT. MACEL. . .
.VCNANDOD.CEPET. ENQVE. EODEM. MAC. . .
.EM. NAVEBOS.MARID. CONSOL.PRIMOS. . . .
.LASESQVE.NAVALES PRIMOS. ORNAVET. PA. .
.VMQVE.EIS.NAVEBOS.CLASEIS.POENICAS.OM.
.VMAS.COPIAS.CARTACINIENSIS.PRÆSENTE...
.ICTATORED.OLOROM.IN. ALTOD. MARID. PVC.
..OVE. NAVEIS. CEPET.CVM.SOCIEIS.SEPTE. . .
.... QVE . TRIRESMOSQVE . NAVEIS. X . . . . .
..M. CAPTOM. NVMEI. ↀↀↀ D . . . . .
..TOM.CAPTOM. PRAEDA. NVMEI ↀ . . . .
. . . CAPTOM-AES. ↀↀↀↀↀↀↀↀↀ
. ↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀ
. . OQVE. NAVALED, PRAEDAD. POPLO. . . .
. . . ARTA . . . . . NVOS . . . . . .

Digitized by Google

Veteres itaque, si credimus vetustissimæ huic inscriptioni, CCVI. annos ante perpetuam Cæsaris dictaturam incisæ, his vtebantur notis, pro centum C. pro quingentis D. pro mille ↀ pro centum millibus, quæ summa erat Plinio teste, apud eos supputatio, ↀ D. Ex quibus credibili, perspicua, & vera coniectura ducor, quinque millia hoc modo significasse Ɔ, externo nempe semicirculo rectæ lineæ coniuncto, interno nulli adhærescente: decem milla sic ↀ D, & sic Ɔ quingenta millia, internis, externisq; semicirculis eodem, quo in superiore nota, modo ductis. Hoc Priscianus etiam haud obscurè innuit, eo tamen discrimine, quòd is externum semicirculum, quem apostrophum vocat, cum recta linea, quam I. literam perperam appellat, cum nota, non litera sit, non coniugat, sed hoc modo notet, I). (I).

Iam verò vt notas omnes, apud veteres in vsu positas, quisq; possit statim animo concipere, sic ob oculos ponendas duco.

I. vnus	1
V. quinque	5
X. decem	10
L. quinquaginta	50
C. centum	100
D. quingenta	500
ↀ. mille	1000
Ɔ. quinque milia	5000
ↀ D. decem millia	10000
Ɔ D. quingenta millia	50000
ↀ ↀ. centum millia	100000

Qua quidem in re illud moneo, a prima nota I. vnum significante, adusque quintam. C, centum designantem, cum Manu-

Manutijs me, cum Prisciano, cum ceteris omnibus ferè sentire: ab ea verò ad extremam vsque ab ijs omnibus longè dissentire. nam & D. & Ⅾ. Ⅾ. Ⅾ. Ⅾ. Ⅾ. ex vna duiliana inscriptione innotescit.

Et quamuis Hieronymus Aleander, magno vir ingenio, magnaq; literatura, & plerique alij inscriptionem interpolatam esse suspicentur: tamen illud certissimum est, antiquissimis temporibus & accuratè interpolatam: & sicuti priscam illam loquendi rationem EX FOCIONT. NAVEBOS. MARID. CESET. OLOROM. summa fide custoditam; ita numerorum notas fideliter incisas.

Neque mihi, vt plerisque, negotium facessit, quòd incostantem habeat ortographiam in PRAEDA. & PRAEDAD. in NAVEBOS. & NAVEBOS, in CLASES. & CASEIS. nam præter quàm quod Duilij ætas, diuturnis bellis, imperioq; propagando maximè intenta, negligentius literas coluit, interpolatæ non sunt, neque mendosæ æreæ tabulæ Genuensis; legis Thoriæ, Seruiliæ, ac Termensium; lapideum Kalendarium Farnesianum, ac Vallense, inscriptioq; Scipionis & Fratrum Arualium: quæ licet sint monumentorum omnium, aut re, quam continent, aut antiquitate nobilissima; tamen variam habent ortographiam. Et in Genuensi quidem lego FLOVIOM, & FLOVIVMbis terue vtraque certè ortographia: POSEDET, & POSEDEIT: item NE. NI, & NEI. In fragmento legis Thoriæ MVVCIO, & MVCIO. duplici nempe ac simplici V. sæpius vtrumque. In lege Seruilia ita prorsus IOVDICIVM. IVDICATIO: & inferius eadem quidem verba, sed commutata ortographia. IVDICIVM. IOVDICATIO. In Thermensium legis fragmento VTI VTEI. VVTEI. In ærea tabula apud Capranicos idem VTI. VTEI. & VVTEI. præterea IVS & IVRE. at sæpius IVVS In inscriptionibus Fratrum Arualium, VOVEMVS, & VOVIMVS. eiusdem planè temporis. In Kalend. Farnesiano ac Vallense diligentissimè a me notata hæc leguntur verba, in

illo quidem, MENSIS. IANVAR. in hoc verò, MES. IANVAR; nullibi, Lector, erratum fabrile: nam & Mensis & Mesis, addito nempe, ablatoq; N, scribebant antiqui viri docti: &, vt auctor est Velius Longus lib. de Orthographia, *Cicero Foresia, & Magalesia, & Hortesia sine N, litera libenter dicebat*, pro forensia, Magalensia, & Hortensia: & in Hortensio quidem antiqui pene omnes Græcos imitati, qui ὁ Ὁρτήσιος scribunt, N, respuebant, vt notat Vrsinus. Tandem me exemplis sim molestus, Inscriptio Scipionis, barbati filij, antiquitate omnium planè nobilissima, ætate Duilianæ propinqua, & omnium iudicio, nunquam interpolata, rem planè declarat. in ea enim legitur accusatiuus casus M, respuens, vt CORSICA. ALERIA. SCIPIONE. pro Corsicam, Aleriam Scipionem: & tamen idem casus aliquando M. admittit: in LVCIOM, Itaque Duiliana inscriptio ex inconstanti orthographia negligenda non est, vt morosis negligitur.

At verò vnde, inquies tanta orthographiæ diuersitas in allatis præcipuè inscriptionibus, quæ, vtpote publicæ, ceteris emendatiores esse deberent. Triplex, mea sententia, causa esse potest: prima operariorum hominum inscitia ac negligentia. Sed vt verum fatear, in re magni momenti, ac publica vix eorum aut inscientiam, aut incuriam sustinere puto erroris culpam: in alijs peruicaciùs non nego. Altera est orthographiæ consuetudo, vsusq; diuersus, atque diuersa doctorum virorum opinio, vtraque tamen probabilis & vsurpanda. Nomina gentilicia, vt hæc in exemplum adducam, in CIVS, & TIVS desinentia protulerunt doctissimi antiquorum, vt Marcium, Fabricium, Sulpicium; vt Plautium, Horatium, Lucretium; ergo Porcium & Portium, Mucium, & Mutium cum legimus in antiquis monumentis, non est, cur de mendacij orthographia, fabriliq; mendo suspicemur. in eâdem æneâ tabula est MVCIVS & MVTIVS. de eodem Catone in diuersis inscriptionibus legitur PORCIVS, & PORTIVS: vt videre est cap. 9. Obserua etiam (ne pigeat, obsecro te, Lector,

lectio-

lationis obseruationisq; meæ) obseruo, inquam, non adhuc obseruatam ortographiam, in monumentis, a mendi suspicione alienis; *Apsum*, *Optineo*, *Puplicum*, *Apsoluo* per P. omnia, B. reiecto In lapide Farnesiano, florente imperio & eloquentia Romana inciso, est APSENTI. CONTVLIT, & in inscriptione reperta in Marij trophæis. III. CONSVL APSENS. CREATVS. EST. In Genuensi tabula, a Volieta fidelissime exscripta, L. Cæcilio, & Q. Mutio Cos. incisa, POPLICVM. In fragmento tabulæ æneæ apud Capranicos, OPTINENT. In sepulcro pyramidato C. Cestij ad portam Ostiensem, OPVS. APSOLVTVM. ita prorsus cum P, littera, quã in B, qui inscriptionẽ exscripserunt, nimis oscitãter cõmutarunt. Hæc non sunt errata fabrilia (quis enim sibi persuadet, in exigua, ac paucorum verborum inscriptione, celebri ac magnifico operi primaribus litteris adscripta, adeò negligentes fuisse operarios, adeò oscitantes operi præfectos, vt alienã ac fœdam appegerint ortografiam?) non sunt, inquam, errata fabrilia, sed vsu recepta scribendi ratio. Tertia causa est, quia non rarò eodem, quo pronunciabant, modo scribebant. exempla obseruo in lapidibus, nummis, & æneis tabulis. In lapide in Pantheo, olim a me diligenter exscripto, legitur FEELIX. duplici E: nempe quia eam litteram duplici tempore, vt ita loquar, efferebant, ac proinde duplicare pronunciatione videbantur, ideoque eminatam verè expressêrunt. Eandem orthographiam obseruo in alio lapide, in quo est HONOREEM. In Eborensi municipio, in domo Q. Sertorij celeberrimi ducis, ac ciuis Romani lapis extat, in quo legitur, *Pro salute & incolumitate* DOMVVS *Q. Sertorij*. Scipionis verò Barbati filij inscriptio, superiùs laudata, huic rei lucem affert haud exiguam: ibi enim legitur, CEPIT. CORSICA. ALERIAQVE. VRBE. &c. hoc est, Cepit Corsicam, Aleriamq; vrbem. Kalendarium vetus Farnesianum habet FABA. SERENTES, & inferiùs OLIVA. LEGENT. hoc est Fabam serentes, & Oliuam legent. Cur, inquies, hoc

por-

portentum in Latina ortographia? nempe quia interdum eodem, vt dixi, quo pronunciabant, modo scribebant. M, littera obscurè sonat, imò, vt aiunt veteres grammatici, & notant Aleander, ac Sirmondus, mugit intra os, atque interiùs compressis labris coercetur, & quodammodò non profertur, vt est apud Quintilianum lib. 9. cap. 4. Ergo cum scriptio interdum pronunciationem imitetur, facillimè factum est, vt M. omissa fuerit, &, vt ita dicam, in fabri scalpro lateat, vt in loquutione labris coercita in ore deliteſcit. Iam verò in nummis non rarò VAALA obseruaui & VAARVS. In fragmentis æneis veterum legum MVVCIVS. PEQVVNIA. PEQVLATVV. In Genvensi tabula ARBITRATVV. In Capranica AA. CETERIS. IVVS. VVTEI.

Iam vt ad rem propositam reuertamur, ratum est, diuersam ortographiam non probare, Duilianam inscriptionem aut interpolatam esse (quod tamen obstinatè non inficiar) aut, (quod omnino prorsus nego,) mendosè interpolatam, atque aliena a consuetudine vsuq. Latino a fabrorum inscitia, negligentiaq; eorum, qui operi præerant, inscripta.

AN-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTIQVARVM MVLIERum Romanarum: Nomina Prænomine Eas Insignitas: Ciceroni, Festo, Varroni, Inscriptionibus Lux Data.

CAP. V.

Ad Leonem Allatium.

RErum antiquarum cognitio, vt omnium ferè iucundissima est, ingenuo quoque, imò Principe homine, dignissima; ita valde obscura, summisq; nodis implicata. Nec profectò mirum. nam si leges ipsas, monumentaque reipublicæ, quæ, vt temporum iniurias effugerent, æternaque essent, in æs, metallum durissimum incisa fuerunt; tandem labefactauit, & confecit vetustas: non est, cur miremur, instituta ac mores, non lapidibus aut metallis, sed infirmæ, fugaciq; consuetudini commendata, vel omnino interijsse, vel labefacta ad ætatem nostram peruasisse. Nominum verò ratio hoc præterea peculiare habet, vt variari, commutariq; ad cuiusque libidinem liceat. Quare ferendi sunt quicunque *De Nominibus* hactenus scripserunt, si in re lubrica, & obscura, vel ambigant, vel offendant. Ego autem, etsi agrestioribus musis, ac medicinæ addictus, exclususq; senatu cætuq; illo, ad eius tamen quasi Tribunus plebis limina stare, eorumq; S. C. intercedere, nunc audeo Neque Robortellus suo *de Nominibus* libello, neque Castalio Disputatione sua *Aduersus Prænominis Feminarum Assertores* me reuocat ab hoc audendo; imò verò magis magisq; impellit, & incitat. Aio itaque Romanas feminas prænomine insignitas: aio, proboq; adeò apertè, vt apertiùs

Digitized by Google

nihil desiderare quisquam possit. Sagunti haec extat inscriptio.

VALERIVS. MAXIMVS
TI. AELIA. M. F

Hoc est, Valerius Maximus Tiberia Aelia Marci filia, quam inscriptionem vetustissimam esse, res, qua de agitur, & praesertim breuitas atteſtatur. auctor enim est Antonius Augustinus, breuitatem certissimum esse antiquitatis argumentum. *Alaquas* Hispaniae ex Grutero in aedibus Agulniorum Publia & Mania praenomina leguntur.

2. P. L. F. POSTV
MENIA
M. AVRELIÆ
B. M. F

Hoc est, Publia, Lucij filia, Postumenia Marcæ Aureliæ bene merenti fecit. & Patauij Lucia.

L. AELIA. L. F....
DECRETO: DEC....
LOCVS. SEPVLT...
PRAEFECTVRA....
STATVAM. MARMOR...
VIVA. FECIT. SIBI

Romæ prope aedem D. Marcelli.
Tiberia.

.....
TI. FLAVIÆ.....
....GIÆ. GALATIA....
CONIVGI. KARISSIMÆ
FECIT

Et in hortis olim, vt refert Aldus, Fabiani Montij, vbi Caia

DIS. MANIBVS
C. IVLIÆ. IOLES
IVLI. VMBRI. LIB
CN. SEIVS. CRISPVS

CONIV.

Digitized by Google

CONIVGI. SVÆ. BENE
MERENTI. FECIT

hoc est, Dis Manibus, Caiæ Iuliæ, & in hac inscriptione duo animaduersione digna obseruo: alterum CAIA prænomen non omnibus fuisse, mulieribus commune: alioqui enim feminarum complures duobus prænominibus vsæ fuissent: quod quàm sit alienum ab antiquitatum obseruatione, notissimum est. Alterum, falsum esse, quod scribunt antiquarij, Caia prænomen inuersa littera Ↄ scribendum esse. Fateor ea, qua dicunt, ratione sæpè scribi; sed sæpius C. consequentes litteras spectante. Et illam quidem scribendi rationem in libertorum libertarumque monumentis hac ratione, EVTYCHES. Ↄ.L. hanc verò in ingenuis ac liberis obseruo; vt in allata inscriptione videre est.

Extra Taraconem esse ferunt epigramma, in quo Lucia.

L. AMENIO. I. F
GAL. SATVRNINO
ÆD. II VIR. FLAM
P. H. C.
LVCIA. VALERIA

Id est, Lucio Amenio, Lucij filio, Galeria, Saturnino Aedili, Duumviro Flamini ponendum hoc curauit Lucia Valeria.

Patauij in ædibus, vt aiunt, Liuianis Publia.

P. SERVILIAE. VIRG
P. SERVILIA
VIRG. VEST. ET. SIBI
V. F

Hoc est, Publiae Seruiliae Virgini Publia Seruilia Virgo Vestalis, & sibi viuens fecit.

Apud Ian. Gruterum idem prænomen videre est.

P. VALENTINÆ.

Romæ apud Alexandrum Pichinum e regio ne ædium Farnesianarum Aula.

Digitized by Google

DIS. M
P. CORFIDIO
SIGNINO
POMARIO
DE. AGGER
A. PROSEVCHA
Q. SALLVSTIVS
HERMES
AMICO. BENEMERENTI
ET. NVMERVM
OLLARVM. DECEM

Et Aquileiæ, vbi Caia.

OCTAVIA. C. L. PROCINE
C. OCTAVIA. L. HELENO
CVPITAE. DELIC

Et Romæ in domo olim Ciampolinorum, vbi Lucia.

C. CISPI. C. L. NICEPHORI
CRISPI
CISPIAE. C. L. FAVSTAE
L. EVBOTIAE
L. QVARTAE
T. ANNI. T. L. SALICI

Apud Appianum iterum Lucia.

L. BABIAE. ROMANAE
NOBILI. PARDVS. SA
GVNTINVS. AMICVS
AMICAE. OPTIMEQVE
DE. SE. MERITAE
F. C

In villa Egle agri Treuirenſis ſpectatur nobiliſſimum venerandæ antiquitatis monumentum (vtor Gruteri verbis, quo nec cis alpes inſignius aliud extare exiſtimamus, in quo *Publia* videre eſt. D. T.

Digitized by Google

D. T... SECV..... O..... M
N..... LIS. SECVNDINI
SECVRI. ET. PVBLIAE. PA
CATAE. CONIVGI. SE
CVNDINI. AVENTINI
ET. ISA
CCIO. MODESTO. ET
MODESTINO. MACEDONI
FILIO
ET. IVST..... SECVNDI
NVS. AVENTINVS. ET
SECVNDI
.....SECVRVS. PAREN
TIBVS. DEFVNCTIS ET
...VIVENTIAE. EP.....
ERVNT....

Sexaginta ferè aliæ nobis præſto ſunt inſcriptiones, prænomina feminarum præſeferentes: quas cum inferiùs adſcripturus ſim, hinc reijciam. Prænomina tamen, nominaq; hìc apponenda duxi, ne quiſquam a Caſtalione hac de re ſibi perſuaderi patiatur. Nam hic auctor tantùm tribuit proprijs obſeruationibus, vt iuramento affirmet, nullam omninò reperiri inſcriptionem, in qua feminarum prænomen legatur: *Quod ſi quis* (inquit in libro Aduerſus feminarum Prænominis Aſſertores) *ne iurato quidem mihi fidem habendam cenſeat, velim ipſe ſingulos lapides inſpiciat, notet, obſeruet: ſic profectò fiet, vt in meam ſententiam facilè concedat*. Quæ verò ipſe, vetuſtos lapides ruderaque voluens adhuc adoleſcens, obſeruaui mulierum prænomina, hæc ſunt.

A. Aemilia
App. Aurelia
B. Valentina, i. Burra
C. Atilia
C. Samnia
C. Fulùia
Cn. Seia
Cn. Cocceia
L. Fortunata
L. Babia

L. Ae-

L. Aelia
L. Afrania
L. Aurelia
L. Atilia
L. Cæcilia
L. Domitia; iterum
L. Domitia
L. Peducæa; iterum
L. Peducæa
L. Plotia
L. Tertulla
L. Quarta
L. Valeria
M. Aelia
M. Postumia
M. Vlpia
N. Julia
N. Iunia
P. Aelia; iterum
P. Aelia
P. Accia
P. Aemilia
P. Iulia
P. Liuia
P. Paccia
P. Postumia
Q. Cornelia
Q. Fuluia
Q. Nonia
Q. Sallustia
Q. Valeria
Sex. Acinia
T. Attia
T. Iulia
T. Munnia
T. Paternia
T. Domitia
T. Aelia
T. Valeria
V. Atilia, i. Volera

Hæc aliaquè similia obseruaui mulierum prænomina, cum non adhuc Medicinæ sacris initiatus, totus moribus noscendis Populi Romani, institutis, legibus, omnique antiquitati præclarissimæ Reipublicæ inuestigandæ addictus essem. Neque verò lapidibus dumtaxat nostra nititur opinio, sed antiquorum etiam fulcitur testimonijs, Valerij, Festi, Ciceronis, Varronis, ceterorum. & M. quidem Varronis de Analogia lib. 2. hæc sunt verba, vulgata quidem apud Antiquarios; sed (abſit verbo & superbia & iactantia) malè omnino accepta, & perperam intellecta: *In nostris*, inquit, *nominibus, qui sumus in Latio, & liberi analogia necessaria. Itaque ibi apparet analogia, ac dicitur Terentius vir, Terentia femina, Terentium genus. In prænominibus ideo non fit item, quòd hæc instituta ad vsum singularia* (singularium puto legendum, aut singulorum) *quibus discernerentur*

nerentur nomina gentilicia, vt a numero, Secunda, Tertia, Quarta: in viris Quinctus, Sextus, Decimus: Et paulò inferiùs: *E quibus quædam accidunt feminis proportione appellata, declarant prænomina mulierum antiqua, Mania, Lucia Poſtuma*. Hæc Varro, quibus Feſtus adſtipulatur, *Prænominibus*, inquiens, *feminas eſſe appellatas, teſtimonio ſunt Cæcilia & Tarratia, quæ ambæ Gaiæ ſolitæ ſunt appellari: pari modo Lucia & Tertia*. & Valerius lib. x. *Antiquarum mulierum frequenti in vſu prænomina fuerunt Rutilia, Caſſellia, Rodicillæ, Mutrulla, Burra: iſta prænomina à viris tractæ ſunt Caia, Lucia, Publia, Numeria*.

Ceterùm clamitantes audio Caſtalionem, Robortellum, Panuinium, alioſque feminarum prænominibus infenſos, priſcis tantùm, iiſque perpaucis vſurpata fuiſſe prænomina, ex Valerio, Varrone, Feſto intelligi poſſe. Nam Valerius, *Antiquarum*, ait, *mulierum frequenti in vſu prænomina fuerunt*. & Varro, *Prænomina mulierum antiqua Mania, Lucia*. Ergo, inquiunt, ſolæ antiquæ feminæ prænominibus inſignitæ. Longæ tamen aliud, atque opinatur Caſtalio Panuinius ac Robortellus, Valerium, & Varronem ſibi velle liquidò conſtat, ſi eorum verba diligentiùs attendantur. Et Varro quidem non de omnibus mulierum prænominibus mentionem facit, ſed de priſcis duntaxat & obſoletis. Etenim alia antiquitus, alia recentioribus temporibus vt viris, ita mulieribus prænomina vſurpata. Agrippa, exempli cauſſa, Hoſtus, Ancus, Opiter, Volero, Tullus, Vibius priſcis prænomina fuerunt frequenti in vſu; vt Agrippa Menenius, Hoſtus Lucretius, Ancus Poblicius, & Ancus Marcius, Opiter, Virginius, Volero Poblilius, Tullus Hoſtilius, Vibius Seſtius. Vt igitur hæc virorum prænomina antiquitus ſolùm frequenti in vſu poſita fuerunt, ita quæ afferuntur a Varrone Lucia & Mania, non niſi antiquioribus feminis vſurpata. Declarant id apertè eius verba, *Prænomina mulierum antiqua*: Aperтius quę ſequuntur, *Videmus Maniam*

matrem

matrem Larum dici, Luciam Voluminam Saliorum carminibus appellari, Postumam a multis post patris mortem etiam Nunc appellari. En igitur hoc est, quod dicebam, Maniam prænomen Larum matri, antiquissimæ fœminæ, insitam, Luciam Volumniæ; Postumam verò non priscis modò fœminis, Verùm etiam recentioribus (*Etiam Nunc*, inquit Varro) impositam. Varro igitur non sibi vult, antiquis solùm fœminis prænomen vsurpatum, adeò vt recentiores omnes eo caruerint; sed affert in medium ea tantùm prænomina, quæ apud antiquas fuerunt in vsu posita: non negat proinde recentiores fœminas prænomen vsurpasse: imò verò id ait, affirmatq; clarissimis verbis: *Postumam a multis post patris mortem etiam* Nunc *appellari*. Hæc de Varronis loco: de Valerij autem eius ipsa loquuntur verba: *Antiquarum*, inquit, *mulierum frequenti in vsu prænomina fuerunt Rutilia, Cæsellia, Rodocilla*. Refert nimirum Valerius, vt Varro, antiquiora illa, & abſoleta mulierum prænomina, non tamen negat, recentiores fœminas prænomine vsas fuisse, quinimò id asserit paulò superius, *Puellis non ante, quàm nuberent, prænomina imponi moris fuisse, Q. Scæuola auctor est.*

Instat rursus Castalio multò acriùs quodam Ciceronis loco in Epist. Famil. quo vno putat se, euersis funditusq; deletis fœminarum prænominibus, de nobis omnibus *In Disputatione contra mulierum prænominis assertores*, tanquam in amplissimo Capitolio triumphare. Audiamus eius verba: *Mihi quidem* ait, *vnum illud, quod a Panuinio ex Cicerone laudatur, a me tamen nusquam in Cicerone repertum, ad omnia istorum argumenta subuertenda, validissimum videtur*: *Habuit*, inquit Cicero, *prænomen nescio quid virilitatis & dignitatis. Ex quo inferri sanè potest, ad viros tantùm prænomina, quæ virilitatem referant, pertinere.* Non est, Castalio, adeò firmum hoc ex Cicerone depromptum argumentum, vt, quod ais subuertat, prosternat, obteratq; opinio-

opinionem nostram: non est mehercule, si quæ libro X tradita sunt a Valerio, diligenter attendamus. Vt feminis, inquit, non prius, quàm nuberent, ita viris non nisi sumpta virili toga prænomina imponebantur. Quod institutum, etsi consequutis temporibus religiosè custoditum non fuit, ipsius tamen Valerij ac Sceuolæ (nam ex huius sententia ea tradit Valerius) ætate planè cultum, mihi persuadeo. Eo verò tempore (ineunte anno XVII.) licebat adolescentibus in Forum venire, accusare, defendere, priuata omnia ac publica domi forisq; suscipere; & vt cum Tacito loquar, *Adolescentes tunc primùm Reipublicæ capessendæ habiles videbantur*: adeò vt eo tempore a pueritia ad virilitatem quodammodò migrare viderentur. Si ergo tunc imponebantur prænomina, quis non videt, ea nescio quid virilitatis ac dignitatis habere? Nam haud exigua, imò amplissima dignitas est, virili toga indutum in forum prodire, in Rempub. sese insinuare, ceteraq; obire, vnde laus, gloria, dignitas. Quòd si Castalio Valerium contemnat, ac tanquam spurium eius locum reijciat, refellam hominem alio non minùs firmo ac valido argumento. Prænomina non differentiæ tantum causa fuerunt vsurpata, vt nimirum alter eiusdem familiæ (nam gentes cognomine distinguebantur) ab altero discerneretur, vt M. Tullius Cicero a Q. Tullio Cicerone, Cn. Cornelius Lentulus a P. Cornelio Lentulo: verùm etiam honoris gratia ac dignitatis. quod vel ex eo liquet, quòd Cicero lib. 7. Famil. Epist. 32. P. Volumnio, nobili ac senatorio viro, a quo litteras sine prænomine acceperat, respondens admiretur, tam familiariter a viro graui & nobili secum esse actum, vt sine prænomine, hoc est, serio & honorifico titulo litteræ ab eo scriptæ fuerunt: *Quod sine prænomine, familiariter, vt debebas, ad me epistolam misisti, primùm addubitaui, num a Volumnio senatore esset*. Si ergo honoris causa & amplitudinis apponebantur prænomina, quæ virorum non mulierum propria

Digitized by Google

ſunt, vtique vel ex hoc innoteſcit, prænomina habere neſcio quid virilitatis ac dignitatis. Accipe, Caſtalio, vtram lubet ad tuum argumentum reſponſionem: ego in poſtremam tuam rationem, *Ad prædam potius, quàm ad pugnam inſtructam*, irruo. Inſtas vltimo loco, feminas ex eo fuiſſe prænomine expertes, quòd in antiquis epigrammatis eſt, exempli gratia, *Antonia Reſtituta*, *Nonia Quintula*, *Cornelia*, *Procula*, aliæquè, vt ais, ſine prænomine. Reciè quidem ſi omnia, vel plurima antiqua epigrammata legiſſes, eaquè reperiſſes prænomine carentia. ſed quia nec omnia, nec plurima tibi fuerunt obuiam, ſententiam tuam probare non poſſum, imò cogor accuratiùs improbare. Quod etſi paulò ſuperiùs a me factum eſt, hìc tamen re enucleatiùs examinata, idem breuiter perſtringere viſum eſt. Aio itaque, infirmo niti fundamento opinionem tuam, ſi ex eo prænomina e mulieribus Romanis explodi cenſeas, quòd non pauca reperiantur epigrammata, ijs quæ careant. Nam præterquam quod ſituæ inſcriptiones eorum ſunt expertes, præditæ ſunt aliæ a me ſuperiùs allatæ; hac ratione e viris etiam prænomina certò poſſem eximere: cum facilè poſſem ſexcenta proferre epigrammata, virorum prænominibus carentia: poſſem & ex auctoribus antiquis prope innumera loca depromere, vt Ciceronis ad Atticum lib. 1. Epiſt. 2. *Quod ad me de Lentuli & Sextij nomine ſcripſiſti, loquutus ſum cum Cincio*. Et lib. 3 Ep. 9. *Pompeius abeſt, Appius miſcet, Hirtius parat*. Et lib. 12. Ep. 22. *Conſularium putat leniores fuiſſe* (ſententias) *Catuli, Seruilij, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellij, Volcatij, Figuli, Cottæ, Glabrionis, Silani, Murenæ*. Et lib. 2. Ep. 19. *Tulit Cæſar grauiter, litera ad Pompeium volare dicebantur: inimici erant Equitibus, qui Curioni ſtantes plauſerant*. Et Salluſtius de bello Iugur. *Cuncta a Beſtia, Albino, Metelloq; imperata gnauiter fecerant*. Et Cæſar lib. 3. de bello Ciuili: *Libo a colloquio Caninij digreſſus ad Pompeium proficiſcitur*. Et Velleius lib. 2.

Ante-

Digitized by Google

Antonius Cæsarem auunculum, Lepidus Paulum fratrem, proscripserant. Quēmadmodum igitur ex eo, quòd ex nominatis viris prænomina sint explosa, non licet ea omnibus eximere: ita ex eo, quòd mulierum pleræq; absque prænomine legantur, eas prænomine caruisse, non licet affirmare.

Sed, his omissis, Castalionem lapidibus pugnantem lapidibus aggrediamur. Apud Aldum in Ortographia legitur in epigram. Fabius Maximus sine prænomine,

FABIO . MA
XIMO . V. C
CONDITORI . MO
ENIVM . PVBLICO
RVM . VINDICI
OMNIVM . PECCA
TORVM . ORDO . ET
POPVLVS . ALLIFA
NORVM . PATRONO

Ibidem legitur Dionysius.

D . M
CANINIA . PIA
DIONYSIO . FECIT
CONIVGI . CARIS
SIMO

Apud eundem Cocceius,

COOCEIVS
PATRVINVS
PRINC
PEREGRINO
RVM

Itidem Atius,

DIS . MANIBVS
ATTIÆ . T . F . QVINTVLÆ
ATTIVS . PHLEGON . PATER
ATTIA . QVINTA . MATER

Ibidem Attius,

ATIO. L. F
III. VIRO
PATRONO

Hoc est, Atio Lucij filio Tertiumuiro patrono. Apud eundem Ælius,

D. M
ÆLIVS. LVCTVS
QVI. VIXIT. ANN. X
P. ÆLIVS. DECIMIANVS
EQ. SING. AVG
BVCCINATORI. HERES
PIENTISSIMO
AMICO. TITVLVM. FECIT

In agro Veronensi ex eodem Aldo visitur inscriptio, in qua legitur FIRMO. VI. VIR. in alia LICINIVS. CRISPVS. in alia ATTIO. PROCVLO. & IVLIO. PROCVLO. Neapoli ALVENTIVS. MATVRVS. Romæ AGRILIVS. IANVARIVS. Ad D. Clementis IANVARIVS. Ad D. Paulli de Regula, CLODIO. TALLO. Apud Aldum CORNELIO. IVCVNDO. Ad Tabernas obscuras ATTICVS. Spoleti SATVRNINO.

Iam verò, Castalio, si quispiam ex his alijsq; huiusmodi inscriptionibus, e quibus prænomen exemptum est, nobis persuadere contenderet, viros vsos non fuisse prænomine, nonne faceret ridiculè, nonne ineptè? Nam etsi detur, eos, quos modò retuli, prænomine caruisse, compertum tamen exploratumq; est, alios omnes eo insignitos fuisse. Ergo si a te in medium allatæ inscriptiones mulierum prænomen non præseferunt, non est, cur eas ipsas feminas, aliasq; omnes eo planè caruisse contendas.

Illud tamen moneo, Prænomen non omnibus vulgò fe mi nis vsurpatum: cum enim habeat, vt ait Cicero, *nescio quid dignitatis*; dignioribus forsim ac nobilioribus vsurpatum existimo, quod apertè confirmat Horatius, cum ait,

Gaudent

Gaudent prænomine molles Auriculæ. Hinc factum esse opinor, vt in plerisque antiquis epigrammatis prænomen non sit adscriptum, neque apud auctores veteres frequenter reperiatur, quod non solum Castalioni minorum gentium antiquario, sed etiam Robortello, imò & ipso Panuinio, nostri senatus Principi, & omnium, qui sunt, quiq; fuerunt, antiquariorum præstantissimo, imposuisse videtur.

NVM COGNOMINE Vsæ sint Feminæ Rom. Plutarchus, Suetonius, Epigrammata Enodata.

CAP. VI.

Ad Iacobum Buccardium.

PROXIMO superiori æuo summis contentionibus disputatum fuit *De Romanarum mulierum cognomine*. Etenim Franciscus Robortellus, qui primus ex ijs, qui eo tempore floruerunt, antiquarijs, *de Romanorum Nominibus* libellum conscripsit, non nisi gentilicium nomen antiquas feminas vsurpasse affirmat. At verò Sigonius, summus ille in litteris vir, haud multò post idem argumentum luculentiori commentario tractans, tribuit quidem eis gentilicium, & prænomen; cognomen verò, tanquam à veterum consuetudine abhorrens, explodit. Non defuerunt tamen, qui Sigonianæ sententiæ propè bellum indixerint. Et primò quidem Robortellus ipse in *Emendationum* libro, contra Sigonium edito, vel pristinæ sententiæ pertæsus, vel oblitus eorum, quæ prius in libro *de Nominibus* scripserat, palinodiam canens, feminas cognomine vsas, summis argumentorum viribus

ribus probare contendit. Robortellum sequutus Honufrius Panuinus, Paulus Manutius, & Antonius Augustinus idem, magna argumentorum vi coacta, comprobare nituntur. Sed, vt liberè dicam, non ex concepta spe, non ex voto. Nam eodem, quo petunt Sigonium, gladio pereunt: adeò ambiguæ sunt & ancipites ab ijs aduersus hunc allatæ rationes, vt ijsdem hic suam fulciat opinionem. Et quidem ex eo, quòd apud Plutarchum, Tranquillum, & alios legatur *Fausta Maior*, *Fausta Minor*: & in antiquis lapidibus *Nonia Quintula*, *Cornelia Procula*, & huiusmodi sexcenta, verè affirmare non licet, feminas cognomine insignitas. posset enim quispiam in Faustis Maiorem & Minorem, in Nonia Quintulam, in Cornelia Proculam cognomina esse belle & omnino negare, ac prænominum loco vsurpata haud iniuriâ contendere. Profectò, si meam liceret interponere sententiam, planè affirmarem, ea (præsertim Maiorem & Minorem) prænomina potius, quàm cognomina fuisse. Nam cum prænomen sit, quo tanquam peculiare ac proprio nomine alter eiusdem familiæ ab altero distinguebatur, vt de M & Q. Tullijs a me superiùs dictum est; certè nomen Maior & Minor, quo duæ illæ sorores inter sese discernebantur, prænomen esse verisimile est. Ceterùm si rem quasi aurifica trutina, vt dici solet, examinemus, non prænomen id esse, (multò minùs cognomen) sed notam quandam, & extemporale signum, seu ad tempus, non perpetuò appositum nomen, reperiemus. Conjicio id haud obscurè ex M. Tullio in Epistolis ad Familiares, & Atticum, nam lib. 8. ep. 9. loquens de Balbo eius nepote, pro quo adhuc extat illius Oratio, hæc habet: *Balbus minor ad me venit*. Et ep. 11. *Balbus Minor hæc eadem mandata* & lib. 11. ep. 12. *Postea-que quàm mihi litteræ a Balbo Cornelio Minore missæ essent.* In hoc Balbo nomen *Minor*, non prænomen reuerà, neque cognomen est, sed nota quædam extemporalis, qua hunc ab eo, quem oratione Cicero defenderat, discerneretur, fortasse

tasse enim eodem, quo patruus, prænomine vtebatur, dicebaturquè L. Cornelius Balbus. Quare Tullius, vt hunc ab eo distingueret, *Minor*, quasi notam quandam appofuit. nam cum amphiboliæ suspicio de patruo ac nepote esse poterat, nominabatur hic idem Balbus absque minoris nomine. Att. lib. 14. ep. 23. *Ad me autem, cum Cassij tabellarium dimisissem, statim Balbus.* Et lib. 13. ep. 22. *Balbo quidem intelligebam satisfaciendum fuisse.* Et lib. 12. ep. 8. *De Balbo & in codicillis scripseram.* Idem conijcitur ex Maiore, Minorequè Africano; Catone Maiore, ac Minore. Cum aliqua ambiguitas de Africanis, aut Catonibus esse poterat, adiuncto Superiore, vel Inferiore; Maiore, Minoreve extemporali nomine discernebantur, cum verò nulla amphibolia, nullum tale nomen apponebatur. id apud Ciceronem, Plutarchum, Valerium, ceterosq; liquidò constat.

De Quintula & Procula mihi dubium non est, quin ea prænomina sint. Cum animo nomen Quintum non in viris modò, verùm in ipsis etiam feminis prænomen sit, vt cap. v. a nobis probatum est, Quintulam, per diminutionem a Quinta dictam, prænomen esse necesse est. Proculam verò prænomen itidem esse, Valerius & Plutarchus attestantur. Nam qui natus fuit patre sene, quasi procul ætate progresso: siue potius qui patre peregrinante, patria procul natus est, is Proculi prænomen sibi vindicauit. Sed hæc quasi obiter: ad institutum de cognomine feminarum sermonem reuertamur. Infirmæ sunt & omnino ambiguæ Panuinij, Manutij, Castalionis, aliorumq; rationes, quibus femineum cognomen ostendere nituntur. At non infirmæ, sed apertæ planèq; perspicuæ, quæ ex epigrammatis antiquis, ex Cicerone, Sallustio, ceterisque nobis præstò sunt. Romæ apud lapicidam retrò D. Siluestri hanc vidi exscripsique inscriptionem.

D.M

D. M
C. POPPAEO
IANVARIO
POPPAEA
IANVARIA
PATRONO. BE
NEMERENTI
FECIT

Illud primò (παρέργως tamen) animaduertas, non omnia gentis nomina in IVS desinere, vt antiquarij opinantur. POPPAEVS enim VS, non IVS claudatur. Item ANNEVS in epigrammate apud Aldum: VELLEVS in lapide Canusij: PEDVCEVS in Mutinensi lapide: PERPERNA; & NORBANVS in Fastis Capitolinis: ille Consul. ann. DCXXVI. hic verò DCLXX. cum L. Scipione Asiatico. & alter Norbanus Consul cum Ap. Claudio Pulchro anno DCCXV. Præterea scias (quod prora & puppis est) in nostra inscriptione IANVARIAM cognomen esse, vt liquet non solùm ex C. Poppæo Ianuario, cuius hìc mentio; sed etiam ex alia in ædibus Columnensium, vbi legitur P. AGRILIVS IANVARIVS: sub porticu capitolina in regionum fragmento, P. ALBINIVS IANVARIVS, & L. FLAVIVS IANVARIVS: & in hortis Perettorum viminalibus, C. CLAVDIVS IANVARIVS. Quod si hanc nostram Ianuariam tamquam libertam contemnas (nam reuerà libertorum longè alia, atque ingenuorum, quod ad nomina spectat, est conditio) aliam accipe omnino liberam ex hortis Perettorum.

D. M. S
T. FL. AVG. LIB. HERMES. ET. AE
LIA. IANVARIA. FECERVNT

Hoc est, Dijs Manibus sacrum Titus Flauius Augusti Liber-

Digitized by Google

Libertus, Hermes, & Aelia Ianuaria fecerunt. Ibidem alia est inscriptio, in qua legitur,

POPAEA. IANVARIA

Et in viridario pontificio collis Vaticani,

IVNIAE. C. SILANI. F
TORQVATAE
SACERDOTI. VESTALI
ANNIS. LXIIII.
CAELESTI. PATRONAE
ACCIVS. L

Hoc est, Iuniæ Cai Silani Filiæ Torquatæ, Sacerdoti Vestali annis quatuor & sexaginta Cælesti Patronæ Accius Libertus.

Et infra Capitolium de eadem, opinor, Iunia hæc extat, posteriùs incisa.

IVNIÆ. C. SILANI. F
TORQVATÆ
VIR. VEST. MAXIMÆ
IVVENIO. L

Id est, Iuniæ Cai Silani Filiæ Torquatæ Virgini Vestali Maximæ Iuuenio Libertus. Iuniam, nemo est, qui nesciat, nomen esse gentilicium. Torquatam verò cognomen esse, T. Manlius Torquatus, A. Manlius Torquatus, M. Manlius Torquatus, celebres in repub. viri, apertè declarant.

Apud Gruterum hæc extat inscriptio.

CALPVRNIAE
MARCELLAE
M. SEMPRONI
V . . . . . DVS
VXORI. OPTI
MAE. ET. DI
GNISSIMAE

Calpurnia est nomen gentilicium, vt ex C. Calpurnio

Digitized by Google

Asello, L. Calpurnio Macro, C. Calpurnio Fabato, L. Calpurnio Pisone, L. Calpurnio Bestia, M. Calpurnio Bibulo liquidò constat. Marcellam verò cognomen esse, præter C. Claudium Marcellum, & alios eiusdem familiæ nobiles, ea, quæ sequitur, inscriptio declarat magis appositè,

CLAVDIÆ
L. FIL. FIRMÆ
L. CALPVRNIVS L. F
MARCELLVS
VI. VIR. AVG
CONIVGI. B. M
ET. SIBI

Hoc est, Claudiæ Lucij Filiæ Firmæ Lucius Calpurnius, Lucij filius Marcellus sextumvir, Augur coniugi benè merenti, & sibi.

Alia visitur Tibure.

D. M
TIB. CLAVDIO. AVG. LIB
HERMETI
M. PVEROR. DOM. AVGVST
ET
CORNELIÆ. MODESTÆ
MATRI B. M
ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQ
POSTERISQ. EORVM
HOC. MONVMENT. SI. QVIS
DONARE. AVT. VENDERE
VOLVERIT. INF. ARKAE
PP. ROM. HS. L. M N

Hoc est Dis Manibus Tiberio Claudio (obiter obserua Tiberium prænomen non vnica T. vt inscitè Robortellus, neque semper TI. vt contendit Sigonius; sed TIB. tribus literis vt Ser. Seruius, Mam. Mamercus, Sex. Sextus, scribi consueuisse) Augusti liberto Hermeti Magistro puerorum domus Augusti, & Corneliæ Modestæ matri benè merenti, & li-

Digitized by Google

& libertis, libertabuſquè, poſteriſquè eorum. Hoc monumentum ſi quis donare, aut vendere voluerit, inferat arkæ Populi Romani ſextertios quinquaginta millia numero. At Corneliam eſſe gentis nomen, nemo eſſe poteſt, qui dubitet. Modeſtam verò cognomen eſſe, tum ex alijs, tum maximè ex ea, quæ apud Inſubres extare fertur, liquidò conſtat.

DOMITIO
CN. F. OVF
PLACIDO
VI. VIR. IVNIOR
C. DOMITIVS
MODESTVS
MILES. COH. VII

Id eſt Domitio Cnei filio, Oufentina, Placido, ſextum viro iuniori (Iuniorem potius, quàm Iuniorum interpretor quamuis aliter doctiſſimum virum ſentire ſciam. nam ſicut: qui recenter in Senatum legebantur, Iuniores Senatores dicti ſunt; ita qui nuper in ſexvirorum Collegium, Iuniores ſexviri) Caius Domitius Modeſtus miles cohortis ſeptimæ.

In Hadriani mole, Arce S. Angeli, & haud abſimilis in ædibus de Valle.

D. M
TVRPILIÆ
EVTICHYÆ
GNESI. LIB
PRIMVS. CONSERVÆ
SVAE; BEN. MER. FEC
VIX. AN. XXXV

Eutychiam cognomen eſſe, liquet ex alia inſcriptione, vbi legitur *L. Aelius Eutychius*, & in alia apud Aldum *M. Aurelius Euthychius*.

In via Appia non procul ab vrbe hæc extat omnium nobiliſſima

Digitized by Google

CÆCILIÆ
Q. CRETICI. F
METAELLAE. CRASSI

Hoc est, Cæciliæ, Quinti Cretici Filiæ, Metellæ Crassi (nempe vxori: huiusmodi est illud Lucani lib. 2.

---Liceat tumulo scripsisse Catonis Marcia.

Vxor nimirum Catonis) Hæc Cæcilia Metella vixit Ciceronis ætate. nam filia est Q. Metelli qui anno DCXXXIV. Proconsul Creta insula subacta, Cretici nomen sibi peperit. Nupta fuit M. Licinio Crasso, qui a Parthis bello victus, & interemptus fuit anno Vrbis DCC. Constat igitur hoc Epigramma incisum fuisse vigente Repub. Iam verò in Cæcilia Metella Cæciliam esse nomen gentilicium, Metellam cognomen, eius pater perspicuè declarat. Is enim vocabatur Q. Cæcilius Metellus. Auctores omnes idipsum testantur. Cicero 1. de Diuinatione mentionem facit Cæciliæ Metellæ, non eius quidem, quam proximè nominauimus, sed alterius paulò antiquioris. In Epist. ad Famil. lib. 8. Ep. 7. *Paulla Valeria, soror Triarij, diuortium sine caussa, quo die vir e prouincia venturus erat, fecit.* In Epist. ad Attic. sæpe mentio fit Cæciliæ Atticæ, Attici filiæ, M. Agrippæ vxoris, & Agrippinæ, quæ Ti Claudio nupta fuit, matris. quæ quidem Agrippina a Tacito lib. 3. Annal. Vipsania Aggrippa appellatur, nimirum nomine gentilicio & cognomine. Sallustius in Coniuratione meminit *Aureliæ Orestillæ*. Aurelium nomen esse gentilicium, liquet ex L. Aurelio Cotta anno DCXXXIV. Cos. ex M. Aurelio Scauro, qui Consulatu functo Legatus interfectus fuit a Cimbris, & ex L. Aurelio Oreste, anno DXCVI. cum sex. Iulio Cæsare Cos. Ex quo Orestillam esse cognomen apparet. dicta namque fuit Orestilla per diminutionem ab Oreste, vt Agrippina, Tulliola, Atticilla ab Agrippa, Tullia, Attica: quod

non

non solùm ex Cicerone liquet, sed etiam ex epigmate apud Roccios,

D. M
VALERIÆ. T. FIL
FAVSTÆ
CONIVGI. ET
ARTORIÆ. L. F. ATTICILLAE
QVAE. VIXIT. ANN. VII
MENS. IV. DIEBVS. XXVII
L. ARTORIVS
ATTICVS. PATER
ET. SIBI

Hoc est, Valeriæ, Titi Filiæ, Faustæ coniugi, & Artoriæ, Lucij filiæ, Atticillæ, quæ vixit annis septem, mensibus quatuor, diebus duo de triginta, Lucius Artorius Atticus Pater, & sibi. Vnde prætereà feminarum cognomen apertè conijcimus.

At verò, si testimonijs Auctorum veterum, posthabitis, rem ipsam attendamus, rem ipsam faciliùs assequemur. Quid enim est Paullum aut Metellum esse, nisi ex Paullorum aut Metellorum familia natum esse? Quis Ciceronem eum esse negabit, qui e Ciceronum familia natos fuerit? Quarè nulla certè ratione mihi suaderi potest, mulierem suæ familiæ nomen respuisse. Ergo quæ in Metellis Metellæ, quæ in Paullis Paullæ, quæ in Maximis Maximæ, in Lepidis Lepidæ, in Marcellis Marcellæ, in Camillis Camillæ, in Poplicolis Poplicolæ, in Rufis Rufæ, in Torquatis Torquatæ, in Brutis Brutæ, in Crassis Crassæ, in Cottis Cottæ; in Blesis, Geminis, Albinis, Messallis, Regulis, Læuinis, Pulchris, Cethegis, Gracchis, Tuditanis, Lentulis, Longis, Longæ, Lentulæ, Tuditanæ, Gracchæ, Cethegæ, Pulchræ, Læuinæ, Regulæ, Albinæ, necessariò dicebantur. Sed quid multis opus est? Tullia gens in quattuor diuisa erat familias, in Tullios Decullas, Tullios Tollerones, Tullios Longos, Tullios

lios Ciceroues. Tullia in Deculatum familia nata a Tullia nata in Longorum familia suæ familiæ nomine, siue, quod idem est, cognomine distinguebatur, dicebaturq; Tullia Decula. Et Valeria è Læuinorum familia cognomine discernebatur a Valeria e familia Maximorum & Coruorum, ac proinde vocabatur Valeria Læuina, vti aliæ Valeria Maxima, & Valeria Corua. Quòd si in vsu id non positum, quæ, obsecro, perturbatio & confusio fuisset in Cornelia gente? In nouem familias hæc tributa fuit, in Dolabellas, Lentulos, Sullas, Cossos, Rufinos, Cinnas, Merulas, Maluginenses, Scipiones. Cornelia igitur in Dolabellis orta Cornelia Dolabella necessariè vocabatur: & ita Cornelia Lentula, Cornelia Sulla, Cornelia Cossa, Cornelia Rufina, aliæquè eodem modo.

Illud tamen vltro confiteor, non omnes mulieres familiæ nomen, hoc est, cognomen sibi vendicasse, ac frequenter vsurpasse, nempe quia non satis aptè id aliquibus accomodaretur. Nam Capitonis filia, Cæsaris, Maluginensis, Cursoris, Scipionis & aliorum similium ineptè vocatæ essent Capita, Cæsara, Maluginensa, Cursora, Scipia, vel Scipiona: quæ tamen, vt aliæ etiam non paucæ consonantioris nominis, aut prænomine innotuerunt, aut patre, aut marito, aut filijs. Valer. lib. 8. cap. 3. *Gaia Afrania pro se apud Prætorem verba fecit*. & lib. 8. cap. 14. *Claudia Auli filia* 115. *expleuit annum* & lib. 7. cap. 8. *Æbutia L. Menenij vxor, &c.* & lib. 4. cap. 4. *Cornelia Gracchorum mater*. Et quidem nominum congruentia & sonus plurimi fiebat ab antiquis. Nam Cicero, qui ex Pindenisso a se capto cognomen sibi adsciscere affectabat, non tantùm propter ignobilitatem gentis ac loci, sed, vt quidam opinantur, propter incongruam nominis appellationem, id omnino renuit.

PRAE-

Digitized by Google

PRÆNOMINE SIMVL & Cognomine, Non secus Ferè ac Viros, Feminas Romanas Vsas Esse Contra Omnes Antiquos.

CAP. VII.

Ad Renatum Moræum Medicum Parisiensem, & Professorem Regium.

ΙΛΟΤΗΝΕΙΑ (fateor) cepit me non mediocris: non ille quidem impudicus ac meretricius amor, [nam huius vel cogitationis puderet] sed cupiditas quædam, ad studium mulierum Romanarum patrocinij suscipiendi. nam adeò malè acceptæ sunt ab Antiquarijs, vt ab alijs Prænomine, Cognomine ab alijs, ab alijs vtroque orbatæ fuerint. Panuinius, Manutius, Castalio eis prænomen adimunt; cognomen Sigonius; Robortellus feminis infensus, vtrumque subripit. Age verò Cognomina simul & Prænomina vsurpare consueuisse, ostendamus. Ex epigramatibus prope innumeris ad sexaginta in medium afferam. Romæ in ædibus de Valle extat inscriptio, in qua videre est Cnæa Cocceia Irina.

D. N

COCCEIVS
CN. COCCEIAE
IRINAE, CONIV

GI

GI. ET. T. COC
CEIO. APVLAE
NO. AVO. BE
NE. MERENTIB
VS. VIX. ANNO
S. XIX. M. III. D. X

Et in domo Pichinorum e regione Farneſianarum ædium elegantiſſimis litteris ſcripta eſt Lucia Domitia Pollina, aut Pollinaris.

D. M

ZMARAGDI
L. DOMITIA. POLLIN
CVBICVLAR
EX. COLLEG

CVRANTE. NICOSTRATO
AMICO
B. M

Et apud Cechios Publia AElia Artemiſia,

D. M
L. BOIONIO
OLYMPO
P. ÆLIA ARTEMISIA
CONIVGI. BENEMERENTI
FECIT. ET. SIBI

In vinea olim Cardinalis Carpenſis ex Aldo Publia Iulia Honorata.

D. M
ÆL. LVTIANO
P. IVLIA. HONORATA
CONIVX
CONIVGI. KARISSIMO. ET. ÆL
FLAVIANVS
PATRI. PIENTISSIMO
B. M
FECER

Ad Diui Thomæ Publia AEmilia Cvnegis.

FILII. FECERVNT

P. ÆMI-

Digitized by Google

D. M

P. AEMILI. NICOMEDI. IVN

QVI. VIXIT. ANNIS. XLII
M. VII. D. XX
DOMINO. D. III. INTER. DECEM
PRIMOS
PATRI. BENE. MERENTI
DVLCISSIMO
P. AELIA. CVNEGIS. ET
P. AEMILIVS. ALYPVS. NICO
MEDES. EQ

In domo Saturninorum Marca Munatia Amotillina.

M. MVNATIAE
AMOTILLINI
SORORI. CARISSIMAE
MVNACIVS. PROCVLVS
COH. IIII. VIG
FRATER

Tita Iulia Valentina alio loco.

D. M

LICINIAE. MAGNAE. QVAE
MATRONAE. L. SEVERVS: T.
IVLIVS. VALENTINVS. T. IVLIA
VALENTINA. FRATRES
T. LICINIVS
RVSTICVS. >. LEG. III
AVG. MARITVS

Itidem Romæ alio loco Tita Petronia Rufina.

M. VARINVS. M. F
PHILIPPICVS
ORD. DEC. Q. ANN
T. PETRONIAE. RVFINAE
ET
VRANIAE. PHILIPPICAE

Digitized by Google

FILIÆ. SVÆ
SI. QVIS. IN. HAC
ARCA. ALIVM
POSVERIT. Q. Q. S. S
DABIT
COLONIÆ. NOSTRÆ
PENAI. NOMINE

Hoc eſt, Marcus Varinus, Marci filus Philippicus ordinis Decurionum, Quæſtor annonæ, Titæ Petroniæ Rufinæ, & Vraniæ Philippicæ filiæ ſuæ. Si quis in hac arca alium poſuerit quinquaginta ſextertia, vel quingentos ſextertios (nam planè diuinandum) dabit Coloniæ noſtræ penai nomine.

Apud Aldum Cnæa Seia Herennia.

CNAEAE. SEIAE
HERENNIAE
SALLVSTIÆ. BARBIAE
ORBIANÆ. AVG
CONIVGI. D. N
AVG. VALENTINI
VETERANI
ET
VETERES

Et in alio Epigrammate Aula AEmilia Priſca.

L. NVMERIO
L. F. FELICI
A. ÆMILIA
PRISCA. MARITO
OPTIMO

In alio Appia Aurelia Lupercilia.

D.M.S

Digitized by Google

D. M. S
AP. AVRELIAE
AP. FILIAE
LVPERCILLAE
ANNOR
XXXXVIII
P. I. S. H. S. E. S. T. T. L.

Hoc est, Dijs Manibus Sacrum, Appie Aureliæ, Appij Filiæ, Lupercillæ annorum duodequinquaginta: Ponendum iussit sibi: Hic sita est: Sit tibi terra leuis. Præclara quidem & perantiqua est hæc inscriptio: in quâ animaduertendum Appium prænomen, antiquæ Claudiorum genti familiare, in Aurelios irrepsisse, & duabus litteris AP. scribi consueuisse, vt etiam CN. SP. TI. OP. Cnæus, Spurius, Tiberius, Opiter.

Caia Semnia Seuerina legitur in alia.

D. M
C. SEMNIÆ. Q. FIL
SEVERINÆ
FLAMIN. AVG. MEN
C. TERENTIVS. ANICETVS
AMICÆ. OPTIMÆ. ET. SIBI
V. P.

In alia Publia Antonia Seruata.

DIIS MANIBVS
C. CATTII. NIGER. P
ANTONIÆ. SERVATÆ
M. CALIDATIVS. NIGRINVS
SIBI. ET. OPTATÆ. VXORI
V. F.

Lucia Aurelia Satura in alia.

D. M.
MARINA. SECVN
DINA. VIX. ANN. LIII
L. AVRELIA. SATVRA
VIX. ANN. XXI
L. AVRELIVS. INGENVVS
MILES. LEG. XIII. GEM
ANTONIANAE
MATRI ET. SORORI. POSVIT

Id est, Dis Manibus. Marina Secundina vixit annos tres & quinquaginta, Lucia Aurelia vixit annos viginti & viginti, Lucius Aurelius Ingenuus miles legionis decimæ tertiæ Geminæ Antonianæ matri & sorori posuit.

Publia Ælia Procla in alio lapide.

D. M
P. AELI. PROCLVS
VE. LEG. XII. G
VIX. AN. XL. P.
ÆL. PROCLA. PAR
ENTIBVS. PIENTISS
POSVER

Hoc est, Dis Manibus Publius Ælius Proclus veteranus legionis tertiæ Germanicæ (vel Geminæ) vixit annos quadraginta Publia AElia Procla parentibus pientissimis posuerunt.

Marca AElia Tertulla alibi.

M. AELIA...
TERTVLLA

Digitized by Google

L. CAECILIVS
VXORI FE...

Lucia Atilia Cupito in alia.

M. ATILIO. L. F. FAL
ALPINO. AED
V. ATILIAE. M. F. VAEMONAE
L. ATILIAE. M. F. CVPITAE
C. ATILIO C. F. ALPINO
M. ATILIO. M. F
PRISCO
ATILIAE. M. F.
POSILLAE
ATILIAE. M. F. SECVNDAE
LICINIAE. C. F. CVPI
TAE. NEP

Id est, Marco Atilio, Lucij filio Falerina, Alpino Aedili, Voleræ Atiliæ Marci filiæ, &c.

In alio antiquo lapide Titæ Atiæ Laemontinæ.

D. M. T. ATTIAE
LAEMONTINAE
DEF. ANN. XXX
CETENNIA. AMVLINA
A. B. M.

Id est, Dis Manibus, Titæ Atiæ Laemontinæ defunctæ annorum triginta Cetennia Amulina amicæ benè merenti.

Alibi Lucia Cæcilia Alentina.

D. M
M. MESTRIL. SEVERI
PATRIS.

Digitized by Google

PATRIS. VI. VIR. AVG
BRIX. ET. PRIMILIONIS
SECVNDE. AVI
M. MESTRIVS
PRIMVS. L. CÆCILIAE
ALENTINAE. MATRI
SIBI. ET

Alibi Quincta Cornelia Rufinalis.

Q. CORNELIAE
Q. F. RVFINALI
C. QVINTIVS
ANDREA

Lucia Domitia Clara in alio lapide

Q. R. Q. F. CAPITONI
L. DOMITIA. CLARA
V. F
H. M. H. N. S

Hoc est, Quinto Pompeio (vel, si mauis, Poppæo, aut Pomponio) Quinti Filio Capitoni. Lucia Domitia Clara viuens fecit. Hoc monumentum hæredes non sequitur

V. F
T. LIVIVS. T. LIB
ET. LIVIAE. LEVINVS
L. F. STEL...
VENONIAE. EXORATAE
P. LIVIAE. FIRMAE. ET
FESTO. FILIO. ET
FIRMAE. FILIAE

Hoc est, Vir frugalis (vel viuens fecit) Titus Liuius, Titi Libertus, &c.

Tiberia Domitia Maxima in antiquo lapide Veronæ.

D. M

Digitized by Google

D. M
TI. DOMIT
ANICL. F
MAXIMAE
N. S

Tita Munnia Primula in alio lapide

VIXIT
C. FADIVS. SATVRNINVS
L. ERANVS. SIBI. ET
T. MVNNIAE
L. L. PRIMVLAE. CONTV
BERNALI. SVAE. &c.

Hoc est, Vixit Caius Fadius Saturninus, Lucius Eranus sibi, & Titæ Muniæ Lucij libertæ Primulæ.

Mutinæ Lucia Peducaea Iuliana.

MEMORIAE. CLA. FEM
L. PEDVCEAE. IVLIANAE
MORIB. NATAL. AC
PVD. PRISCIS
ILLVSTRIBVSQVE. FEMI
COMPARANDAE
QVAE. VIX. ANNOS
XIII. D. XLVII
CVM. MARITO. FECIT
ME. V. D. XX.

L. NONIVS. VER

Tita Paternia Florina in alio lapide.

IVL. HILARAE
CON. P. A. XL
T. CORNELIVS

MAR.

Digitized by Google

MARCELLINVS
T. PATERNIA
FLORINA. CON
VIV. SIBI. FEC

Brixiæ Publia Accia Verina.

P. ACCIAE. C. F
VERINAE
T. MAESIVS
EVELPISTIANVS. VXORI
L. D. D. D.

Numeria Iunia Marcellina : rarum quidem, sed vetustum Numerij prænomen, ac Fabiæ genti vsurpatum ex Valerio & Festo

C. DIDIO
CON. GORDIANO
V. A. VI. M. VIII. D. XX.
C. DIDIVS. CELER
N. IVNIA. MARCELLINA
PARENTES

Romæ ad Diui Eustachij Marca Vlpia Modesta.

M. VLPIA. MODESTA. FECIT
SIBI. ET. VLPIO. EPAPHO
CONIVGI. SVO. BENEME
RENTI. ET. EPAPHO, FILIO
QVI VIXIT. ANN. XVII. M.
V. D. XV. ET. LIBERTIS
LIBERTAB. POSTERISQ
EORVM. CVMANIS

In templo Diui Alexij elegans, & satis longa visitur inscriptio in qua videre est.

L. PLOTIAE. HELENAE

Romæ

Digitized by Google

Romæ itidem alio in loco Publia Nonia Proto.

L. SELIVS L. L
EVCARVS
SIBI. ET. SVIS
ANNIAE. SEVERAE
P. NONIAE. PROTO

In Diui Michaëlis templo.

P. IVSTA DONAT
P. IVSTO. PANCALO
CONIVGI. BENEMERENTI
SVMPTIBVS. SVIS
FECIT

Lugduni, Quincta Valeria Martina.

D. M
ET. QVIETI. AETERNAE
AVR. HERMETIS
LIB. AVGG. NN. D
TAB. OMINI DVL
CISSIMI. Q. VALERIA
MARTINA. CONIVGI
KARISSIMO. DE. SE
B. M. P. C. ET
POSTERISQVE. SVIS
ET. S. D

In alio lapide ad D. Michaëlis.

D. M
P. IVSTA DONATA
P. IVSTO. PANCALO
CONIVGI. BENEMERENTI

Digitized by Google

SVMPTIBVS. SVIS
FEC

Apud Aldum Manutium Publia Postumenia Paulla.

P. POSTVMENIAE
P. F
PAVLLAE
AVIDIAE. PROCVLAE
RVTILIAE. PROBAE
SACERD. D. IVLI. AVGVST
D. D

In alio lapide Quinta Fuluia Opiola.

Q. FVLVIO. Q. F. OPIO. AED
Q. F. OPIOLA. TEST
PONI. IVS
C. APPIVS. SVPERSTES
CANINIVS
MONIANVS. H. P. C

Neapoli perantiquus lapis in quo

M. POSTVMIA. PROCLA

Plutarchus verò, qui in Quæstionibus ait, Romanas mulieres duobus, mares tribus nominibus vsos, mihi negotium non faceſſit. nam primò quidem iam ſuperiùs cap. v. ſcriptum a nobis eſt, prænomen non omnibus vulgò feminis vſurpatum. Deinde ſicuti falſum eſt, mares omnes tribus ſolùm nominibus vſos, ita a veritate alienum, omnes feminas duo tantùm nomina vſurpaſſe. Imò verò vt virorum nominum inconſtans ratio & conſuetudo fuit cum aliqui quatuor nominibus appellarentur, vt Q. Cæcilius Metellus Creticus, P. Cornelius Scipio Naſica, M. Aemilius Lepidus Porcina: aliqui tribus, vt Cn. Papirius Carbo, C. Caſſius Longinus. M. Liuius Druſus: aliqui duobus ſolùm,

vt

vt Cn. Octauius, M. Herennius, C. Antistius, L. Gellius, P. Mænius, T. Didius, L. Lutatius, P. Rupilius, M? Aquilius, C. Norbanus, M. Antonius, A. Gabinius, C. Marius, M. Perperna, M? Manilius, L. Opimius, C. Duilius, Ti. Corunianius, cetericq; sexcenti: ita mulieres variè diuersèq; appellatæ fuerunt. vno nimirum nomine, vt Sempronia, Tullia, Iulia, Terentia, Cornelia; & duobus, vt Cæcilia Metella, Paula Valeria, Aurelia Orestilla, Vipsania Agrippa, Aemilia Lepida: & tribus, vt superiùs probatum est. Plutarchus verò si de frequentiori nominum vsu loquutus est, verè loquutus; sin minùs, planè hallucinatus.

PRIMAM, SECVNDAM, Tertiam, Quartam, & Quintam.

Interdum Prænomina, interdum Cognomina fuisse. Lite inter Antiquarios Dirempta.

CAP. VIII.

Ad Ioannem Vueslingium In Patau. Gymnas. Botanicæ, & Anatomiæ Professorem Primarium.

ROmanorum nominum ratio adeò obscura est & implicita, vt mirum nemini videri debeat, si in ea doctissimorum etiam virorum acies quandoq; caliget, & in absurda quædam planèq: aliena feratur. Carolus Sigonius vir ad omnem antiquitatem, latinam, græcam, iudaicam illustran-

Digitized by Google

dam natus, in Emendationum libro contra Robortellum acriter instans, *Primam*, *Secundam*, *Tertiam*, *Quartam*, & *Quinctam*, prænomina, non cognomina fuisse, probare conatur. At verò Franciscus Robortellus aut opinione, aut contradicendi libidine ductus, acerbissimè inuehitur in Sigonium, negatq; omnino prorsus, ea esse prænomina, & cognominis loco vsurpata contendit, Ceterùm vtrumque ad veritatem loqui, vtrumque hallucinati, paucis ostendam. Et quidem ea esse prænomina, liquidò constat ex Varrone 2. de Analogia: *In prænominibus ideò non fit idem, quod hæc instituta ad vsum singularium, quibus discernerentur nomina gentilicia, vt a numero Secunda, Tertia, Quarta, in viris, Quintus, Sextus, Decimus.* Hæc Varro, quæ adeò aperta sunt, vt apertiùs nihil desiderare quisquam possit.

Iam verò cognomina etiam fuisse, ex eo primùm coniectare licet, quòd in viris Primum, Secundum, Tertium, Quartum, & Quinctum, cognomina interdum fuisse obseruarim.

De primo hæc est inscriptio in ædibus Farnesianis.

FORTVNAE. REDVCI
DOMVS. AVGVSTI
SACRVM
TRIB. CORP. FOED
M. ALLIVS. TYRANNVS
C. PVRINIVS. FAVSTVS
P. FVLVIVS. PHOEB
AVRAR. L. VENNIVS
ZOSIMVS
C. AVRELIVS. PRIMVS
IMVNES. PERPETVO. D. D
DICATVM. III. IDVS. OCTOB

Hoc

Digitized by Google

Hoc eſt, Fortunæ Reduci Domus Auguſti ſacrum, Tributarij, Corporati, Fœderati (nempe Ordo Tributariorum, Corporatorum, Fœderatorum. ſic enim ex ant quo lapide Capitolino interpretor) Marcus Allius Tyrannus, Caius Furinius Fauſtus, Publius Fulvius Phœbus, Aurarius, Lucius Vennius Zoſimus, Caius Aurelius Primus, immunes perpetuò, decreto Decurionum dicatum tertio idus Octobris.

In ædibus Cardinalis Cæſij in Vaticano.

D. M
N. OGVLNIO
PRIMO
PATRI. OPTVMO
FECIT
ATIMETVS
FILIVS

Hoc eſt, Numerio Ogulnio Primo.

Magni facio Cæſium hunc lapidem duplici de cauſa: altera quia in verbo OPTVMO. V. pro I. uſurpatur, antiquitatis ſane firmum teſtimonium. Altera quia breuis eſt inſcriptio, pura & elegans. quod itidem antiquitatem atteſtatur. Nam inſcriptiones omnes, quæ verè antiquæ ſunt, renuunt ea farcimina, quæ conſequuta tempora congerere conſueuerunt. Memini me legiſſe in ædibus Farneſiorum (liceat paululum, erudit.onis cauſa, a re propoſita aberrare) M. Catonis inſcriptionem, ſolo eius nomine inſignitam.

M. PORTIVS. M. F
CATO
GENSORIVS

Et

Digitized by Google

Et prope Capitolium non absimilem, immo te planè eandem, sola Porci ortographia diuersam.

M. PORCIVS
CATO
CENSORIVS

Et Olyssipone ex Resenio.

M. PORCIVS. M. F. M. N. CATO

In ædibus Maffæiorum Romæ.

P. VALESIVS. VOLESI. F
POPLICOLA

Caietæ.

L. CORNELIO
SVLLAE. FELICI
DICTATORI
LIBERTINI

Romæ de Cn. Pisone

CN. CALPVRNIVS
CN. F. PISO
QVAESTOR. PRO. PR. EX. S. C
PROVINCIAM. HISPANIAM
CITERIOREM. OBTINVIT

Apud Fuluium Vrsinum

MARTEI
M. CLAVDIVS. M. F
CONSOL. DEDIT

Iam verò, vt eò, vnde discessit, reuertatur sermo, vel ex vna breuitate constat, Cæsium lapidem antiquum esse: ac proinde antiquo tempore Primum fuisse cognomen. Liquet id

Digitized by Google

id ipsum ex alio in ædibus Capranicorum, vbi videre est *Cn. Pollio Primo*; & in Agone *L. Cornelius Primus*; in regionum fragmento in Capitolio *T. Turpanius Primus*; apud Aldum ex hortis Carpensibus *T. Antonius Primus*; ibidem *M. Cassonio Primo*, *L. Sergius Primus*, *C. Munatius Primus*, *Cn. Pollio Primo*, *M. Calpurnius Primus*; Interamne *P. Catilio Primo*; in Inscriptionibus Fo. Baptistæ Donij *C. Aurelius Primus*.

De secundo in monte Auentino ad D. Alexij.

IN. HONOREM. DO
MVS. AVGVSTI
TI CLAVDIVS. SECVN
DVS. COACTOR
CVM. TE CLAV.
DIO. QVIR. SECVNDO
F. VIATORIBVS. III.
VIR. ET. IIII. VIR.
SCHOLAM. CVM. STA
TVIS. ET IMAGINIBVS
ORNAMENTISQVE
OMNIBVS. SVA. IM
PENSA. FECIT

Hoc est, Tiberius Claudius Secundus Coactor cum Tiberio Claudio Quirina Secundo filio (vel fratre. nam duos fratres eodem vlos prænomine, docet Asconius in Miloniana, & inscriptio ad D. Paulli, vbi ipse legi *Titi Flauij Fratres*, & in alia *Marci Attij*) Viatoribus, Triumviris, & Quartumviris scholam cum statuis. Et Soræ ex Aldo, *M. Fabio Secundo*. Veronæ *L. Aquillius Secundus*. Apud Aldum *C. Quartius Secundus*. In ædibus Capranicorum *L. Turcius Secundus*. Apud Gruterum *L. Cancius Secundus*. Ad Agonem *L. Aucilius Secundus*. Ad D. Saluatoris trans Tyberim, *Calpurnio Secundo*. Apud Aldum, *L. Cornelio Secundo*, *Sex. Pedio Secundo*. Apud Delphinos, *M. Fa-*

Digitized by Google

bio Secundo. Casini, *C. Bedius Secundus*. In æreo nummo, *M. Arrij Secundi*. In tabulis Capitolinis, *Q. Poppæus Q. F. Q. N. Secund.* hoc est Quintus Poppæus, Quinti Filius, Quinti nepos Secundus: quicquid dicant alij de Secundino: quos refellit Dio, qui apertè Secundum appellat, Consulemque vna cum M. Papio Mutilo suffectum Q. Sulpicio Camerino, & C. Poppæo Sabino anno DCCLXI. profitetur. Ac demum in vinea Marchionis Iustiniani ad portam Flaminiam, omni antiquitatum genere exornata, P. *Manlio Secundo*: Q. *Propertius Secundus*:

De tertio apud Gruterum.

C. FABIVS. TERTIVS
SIBI. ET. SVIS
VETVRIAE. P. F. FAVSTAE
VXORI
VETVRIAE SPVRIAE
PEREGRINAE
P. ANNIO. PVLADI

Hoc est, Caius Fabius Tertius sibi & suis, Veturiæ Publij filiæ Faustæ vxori, Veturiæ Spuriæ Peregrinæ Publio Annio Puladi.

De Quarto Neapoli.

D. M
C. IVLIO. QVARTO
VET. EX. PR. N. GALLO
M. CAECILIVS. FELIX
NONIA. HERACILIA
S. ET. S.

Idest, Dis Manibus Caio Iulio Quarto Veturia ex Prefectorum numero Gallo (alterum Iulij cognomen) Marcus Cæci-

Digitized by Google

Cæcilius Felix, Nonia Heracilia sibi, & suis.

Et apud Gruterum.

CVCIO. ROMVLO
QVARTO
KA. F. I

Hoc est, Cucio Romulo Quarto Kaeso Fabius inscripsit, vel Kalendis Februarij inscriptum. Diuinandum, sed ingeniosè:

Et Romæ in ædibus Capranicorum.

P. PETRONIO. QVARTO
CONTVBERNALI
CARISSIM
IVLIA. CYTERIS. ET. SIBI
FECIT

De Quinto est Prænestè perelegans inscriptio.

T. MASCLIVS
QVINTVS
SACRVM

Iam verò si in viris Primum, Secundum, Tertium, Quartum, & ipsum Quintum cognomina interdum fuisse ex inscriptionibus apparet, cur idem in Saluia Prima, Iulia Secunda, Liuia Tertia, Septimia Quarta (nam de his maximè lis est) asserere verendum est? Sed hactenus coniecturæ: rem apertissimis testimonijs ostendamus. Prope Patauium, est inscriptio, quæ litem ita dirimit, vt apud neminem sit prouocatio.

C. ATILIA. C. FILIA
PRIMA. SIBI
ET. Q. SICINIO. M
L F. SVO.

Digitized by Google

E. SVO. VIRO
V. F
IN. FRONTE
P. XX
H. L. ET. M
H N. S
DIS. PENATIBVS.

Hoc est, Caia Atilia, Cai Filia, Prima sibi & Quinto Sicinio, Marci Filio, suo viro viuens fecit. In fronte pedes viginti. Hic locus & monumentum hæredes non sequitur. Dis Penatibus.

Narbone extat lapis de Secunda.

L. AFRANIA
C. F. SECVNDA
VXOR. PIA. FRVGI
HIC. EST. SEPVLTA
P. Q. XV.

Et Ameriæ itidem de Secunda.

CL. AGNATIA
SECVNDA

Apud Lapicidam prope D. Andreæ de Frattis Quarta.

DIS. MANIBVS
SEX. OCTAVIVS. IANVARIVS
VIVVS. FECIT. SIBI. ET
MI DOMITIAE QVARTAE
CONIVGI. K. B. M
IN. F. P. XVI. IN. A. P. XXVII.

Id est, Dis Manibus, Sextus Octauius Ianuarius viuus fecit

fecit sibi, & Marcae Domitiae Quartae coniugi karissimae, benè merenti. In fronte pedes sexdecim, in agro pedes viginti septem.

De Quinta ad D. Mariae in Via.

D. M
N. FAVSTAE. QVINTAE
CONIVGI. INCOMPARAB
Q. VIX. ANN. XXXV
M. III. D. XII.
C. FABRICIVS. SERPICAMVS
F. I. ET. SIBI
H. M. H. N. S

Hoc est, Dis Manibus, Numeriae Faustae Quintae coniugi incomparabili, quae vixit annis quinque ac triginta, mensibus tribus, diebus duodecim Caius Fabricius Serpicamus fieri iussit & sibi. Hoc monumentum haeredes non sequitur.

Et itidem Romae in domo quadam.

C. FVLVIA. QVINTA
C. FVLVINIA
C. FVLVINIVS. C. L
EROS

Hoc est, Caia Fuluia Quinta, Caia Fuluinia, Caius Fulvinius, Cai libertus Eros. Neque est, cur quispiam miretur, Primam, Secundam, aliaq; e numero deriuata nomina modò prænominis, modò cognominis loco vsurpata, quia idem obseruatur in Paullo, Cosso, Agrippa, Postumo, Proculo, Tullo, ceteris non paucis. Et Paullus quidem in Paullo Fabio Maximo prænomen est, cognomen verò in Marco Aemilio Paullo: Cossus apud Cornelios prænomen fuit, apud Lentulos cognomen: Agrippa in Agrippa Menenio Lanato prænomen, cognomen in Lucio Vipsanio Agrippa:

Digitized by Google

Postumus prænomen in Postumo Cominio Aurunco, cognomen verò in Lucio Autronio Postumo: Proculus prænomen in Proculo Iulio, cognomen in Tito Statilio Proculo. Illud ex Liuio lib. 1. Hoc e scriptione Vaticana: Tullus prænomen in Tullo Hostilio, cognomen in Lucio Volcatio Tullo. id Fastis Capitolinis, Liuio, Dionysio, Plutarcho, Pediano, ceterisquè testantibus.

APPENDIX

DE AGNOMINE,

& Cognomine.

NEque verò extra chorum saltare videor, si quæ de Cognomine, Agnomineque apud varios Auctores obseruaui, adscribo. nam etsi de Mulierum nominibus hìc agere consilium est, tamen quæ longa accurata q; indagatione obseruaui, ab antiquarijs minimè animaduersa, oportunè adijciam. Quid autem sit *Agnomen* diu quæsitum, adhuc tamen obscurum & planè ignotum omnibus & grammaticis & antiquarijs. Putant plerique viri docti, veteres grammaticos sequuti, Agnomen esse, quod quarto loco ponitur, vt Africanus in P. Cornelio Scipione Africano, vt Creticus in Q. Cæcilio Metello Cretico, vt Felix in L. Cornelio Sulla Felici, vt ceteri in ceteris sexcentis. Sed nugæ sunt, (pace dixerim) non solùm enim Ciceronis loco, a Sigonio e Somnio Scipionis, & aliunde producto, refelluntur; sed multò acriùs a Liuio, Valerio, Suetonio, Velleio, Macrobio, Floro, Rufo, ceteris a me notatis. & Liuius quidem lib. 47. hæc habet: *L. Cornelius Scipio, qui cum Antiocho bellauerat, Cognomine fratri coæquatus, Asiaticus appellatus est.* Ergo, & Asiaticus & Africanus cognomen non agno-

men

men est. Valerius id ipsum ostendit lib. 3. cap. 5. & lib. 5. cap. 5. *Cum ei* (Superioris Africani filio) *voluntaria morte absumi satius fuerit, quàm inter duo fulgentissima Cognomina patris, & patrui, altero ex pressa Africa iam parto, altero iam maiori ex parte recuperata Asia surgere incipiente, manus vinciendas hostis tradere, &c.* Suetonius vero de Illustribus Gramm. hæc habet verba: *L. Aelius cognomine duplici fuit: nam & Præconius & Stylo vocabatur*: ac proinde L. Aelius Præconius Stylo dictus Stylonem non agnominis, sed alterius cognominis loco habuit. Velleius lib. 2. *Q. Metellus Numidici filius, qui meritum cognomen Pij consequutus est, & appellatus Q. Cæcilius Metellus Pius.* Macrobius Saturnalium lib. 1. *Valerius Maximus postquam Messanam, urbem Siciliæ nobilissimam cepit, Messallæ cognominatus est*, dictu q; M. Valerius Maximus Messalla. Imò verò non solùm quæ quarto ponuntur loco, non agnomina, sed cognomina dicenda sunt: sed etiam quæ quinto, sexto, septimove. Florus epit. 55. *P. Cornelio Scipione Nasica, cui Cognomen Serapio fuit, ab irridente Curiatio Tribuno pleb. impositum, &c.* Sed quid multis opus est? Sex. Rufus vel vmbram delet Agnominis: de Seuero Imp. ita loquitur: *Seuerus natione Afer, acerrimus Imperator, Parthos strenuissimè vicit, Adiabenicos delevit, Arabes obtrivit. Huic Cognomina ex victoriis attributa fuerunt. nam Adiabenicus, Parthicus, & Arabicus cognominatus est.*

Quid ergo inquiunt veteres grammatici, Priscianus, Diomedes, Donatus? quid recentiores, Passeratius, Lambinus, ceteri huius ordinis? quid antiquarij? Nonne quę quarto loco ac posteriùs ponuntur, cognomina sunt, non agnomina?

Sed hi omnes ferendi sunt, si Lipsium ad Tacitum attendamus. nam hic Comm. ad lib. 4. Annal. pag. 174. adeò malè accipit agnomen, vt, quid eo sibi velit, ne ipse quidem, vt puto, nouerit. In eam enim significationem id sumit,

mit, quum nec antiquus vllus, nec recentior vnquam somniauit. Sed hæc missa faciamus. Quid ergo, inquies, erit Agnomen, si Africanus, Isauricus, Numidicus, Felix, ceteraq; nomina quarto loco posita, cognomina sunt? Res profectò implicita omnino & obscura. etenim si quis idem esse agnomen & cognomen cum Sigonio existimet, apertè redarguitur a Cicerone 2. Rhet. *Nomen cum dicimus, cognomen quoque & agnomen intelligatur oportet.* Si quis alios sequutus longe aliud esse opinetur, & quartum nomen esse profiteatur, is sanè ab ijs auctoribus apertè refellitur, quos dudum nominaui. Si quis demum, Robortello addictus, agnomen idem ac nomen gentilicium esse putet, primo quidem aspectu haud planè a vero aberrare videtur, cum agnati, quos agnomen videtur significare, sint, qui in eadem gente nascuntur. Sed, vt inferiùs patebit, id omnino alienum est. Ceterùm rem per se obscuram, a nemine adhuc, quod sciam, illustratam, sic puto illustrari posse. Agnomen idem ferè quod cognomen est: non quidem perpetuò, sed in adoptione solùm. Itaq; agnomen dicitur nomen illud, quod adoptatus retinet in adoptione. Erat nanque apud veteres in more positum, vt, qui in aliquam gentem adoptaretur, ceteris nominibus abiectis, vnum gentis aut familiæ nomen retineret, & prænomen adoptatoris, gentilicium nomen, & cognomen sibi ascisceret. In exemplum adduco P. Cornelium Scipionem, a Q. Cæcilio Metello adoptatum: is enim Publio prænomine, Cornelioq; nomine deposito, dictus fuit Q. Cæcilius Metellus Scipio: & L. Calpurnius Piso, a M. Pupio adoptatus, M. Pupius Piso dictus est: similiter M. Iunius Brutus a Q. Seruilio Cæpione, Q. Seruilius Cæpio Brutus nominatus. Scipio igitur, Piso, & Brutus verè agnomen est, quia id verè agnatum, cetera tria extrinsecus adiuncta ex adoptione. Huic meæ coniecturæ apertè fauet Paulus Iureconsul. lib. 35. ad Edictum, Pand. 1. tit. VII. vbi, *Qui in adoptionem*, inquit, *datur ijs, quibus*

Digitized by Google

bus agnascitur, cognatus fit. Adoptatus agnascitur adoptatori, suisq; per adoptionem, hoc est, sese inserit per adoptionem in omnes eius familiæ, in quam adoptatur, eisq; cognatus euadit. ergo etiam nomen, quod retinet, agnascitur quodammodo suum nominatum sequens, ac proinde iure dicitur Agnomen. Tu, Lector hæc boni consule, proba, si proba censes, sin minùs, meliora prome, *Et eris mihi magnus Apollo.*

CALIDA, ET FRIGIDA

Suetonij Locus Expensus, Lipsius ab Absurdo Vindicatus: Quid Tepidum, Quid Magis Tepidum? Martiali, Ouidio, Senecæ Lux Allata.

CAP. IX.

Ad Syluestrum Collicolam Medicum Pontificium.

NE quis me vel odio aliquo incensum, vel vt naturæ φιλοψογῳ Iustum Lipsium accusasse existimet, operæpretium esse putaui, quem in secundo primæ huius Decadis capite reum feci, eundem hic ab illatis criminibus tueri. Decet enim candidum quemque virum ad rem ac veritatem dirigentem animum, & liberè, quod sentit, proferre, & ab ijs, qui maiorum gentium censetur, auctoribus veritatis causa desciscere. In altero huius opellæ capite actorem Lipsium, & Gellij doctrinam in ius vocantem, reum fecimus.

Digitized by Google

fecimus. In hoc reum factum, & a Iureconsulto Castalione multis nominibus accusatum, æquum est, vt defendamus. Duplici nomine a Iosepho Castalione postulatur Lipsius: altero quòd Tiberium Claudium Neronem ex eo *Biberium Caldium Meronem* vulgò dictum existimauerit, quòd bibax, caldæ cupidus, meriq; fuerit studiosus. Altero quòd *Tepidius fieri, Tepidioremquè aquam esse minùs calidam*, quæ nimirum deferbuerit, scriptum ab eo sit in Electis.

Et quidem vt de primo primò differam, Romanis (paullò altiùs repetenda res est: quod eo libentiùs facio, quòd dissidia quædam magni momenti inter Lipsium, Turnebum, Vrsinum, Ciacconium, Castalionem, Mercurialem, Stuchium, Bulengerum, ceterosq; calidæ frigidæq; scriptores exorta, vel componam, vel, eorum simultatibus posthabitis, rem candidè, & sine fuco aperiam) Romanis, inquam, non modò frigidam, verùm etiam calidam, & in vsu, & in delicijs fuisse constat. Niue quidem & glacie potionem refrigerasse, locupletissimus testis est Plinius, Gellius, Seneca, & Martialis lib. 9.

Et faciunt nigras nostra falerna niues.

& lib. 11.

Ebria sentino fit sape & sape falerno,
Nec nisi post glaciem Cæcuba potat aquam.

& alibi:

Non potare niuem, sed aquam potare rigentem:
De niue commenta est ingeniosa sitis.

Sed lib. 8. non solùm frigidam, sed etiam calidam in vsu positam fuisse, innuit haud obscurè:

Caldam poscis aquam, sed nondum frigida venit:
Frigida non desit, nec deerit calda petenti.

& Iuuenalis Sat. vij:

Quando vocatus adest calida gelidaq; minister.

Sed Plautinum thermopolium rem apertiùs declarat. In Rudente Act. 4. Scen. 6. hæc habentur.

Ne

Digitized by Google

Ne thermopolium quidem vllum inſtituit,
Ita ſalſam præbet potionem & frigidam.

Thermopolia autem erant tabernæ in queis calida veniebat. Sed hæc nota atque vulgaria ſunt. Illud autem obſcurum, ſcituq; dignius, num ibi ſimplex, puraue calida, an potius confecta ac dulcis væniret? Turnebus & Mercurialis confectam exiſtimant, mallitam, peſſum, defrutum, murrhinam, ceteras huiuſmodi, quæ apud Plautum, Nonium, alioſq. Lipſio tamen, qui ſimplicem mauult, aſſentiendum putat Taubmannus in Trinnummo act. 4. ſcen. 3. *Cum ſine auctore veteri* Mercurialis ac Turnebus *id ponant.*

Et quidem, vt liberè dicam, quod ſentio, futilis videtur Mercurialis, ſuoq; gladio iugulandus. Contendit hic auctor probare Var. lect. lib. 1. cap. 8. calidam eſſe eam, quæ, inſitis duntaxat a natura qualitatibus contenta, nulla planè arte caluerit: ſiue, vt veriùs, & apertiùs loquar, quæ niue refrigerata non fuerit: idq; ex Philemone, aſſerente vili admodum, chalco ſcilicet, ſeu, quod idem ferè eſt, quadrante eam vendi conſueuiſſe. Iam ſi Mercurialis ex eo, quòd tam vili venderetur, probat, nulla eam arte calefactam eſſe, ſanè multò probabiliùs ei ſuadere poſſum, non fuiſſe confectam, nec dulcem. nam hæc tabernariorum induſtria ac labore, præcioq; dulciariorum longè pluris vænierit, neceſſe eſt.

Ceterùm puram putam, palato plerumque inſuauem, ſtomacho noxiam, venis inutilem, vendi ſolùm conſueuiſſe, vix adduci poſſum, vt credam. Etenim qui vrbe vagantes potione ad exhauſtas humore venas, ad ſitim depellendam, recreandaſq; vires opus habebant, non omnes, opinor, puram adamabant, ſed confectam etiam ac dulcem. nam

--------Vacuis committere venis Nil, niſi dulce, iuuat:

quam non chalco, ſed pluris vendi conſueuiſſe, veriſimile eſt.

Illud etiam anceps eſt, Num igne calefacta vſurparetur

conuiuijs, an nulla potius arte calens, sed qualis e fonte hauriretur. (nam sunt, qui calidam Martiali ceteriſq; eam esse velint, quæ niue non rigeat) Mercurialis, vt dudum innui, id præ ceteris existimans, ait calidam vomitionem irritare: ac proinde a vomentibus dumtaxat, vel etiam tenui infirmaq; valetudine præditis vsurpatam ab alijs verò nunquam. Dicam verbo, & apertiùs, Non luxus, sed sanitatis gratia calidam antiquis vsurpatam existimat Mercurialis. Sed præterquàm quod hic medicus non omnino appositè de vomitione loquitur: cum tepida potius, quàm calida vomitum irritet; a Martiali omnino refellitur:

Caldam poscis aquam, sed nondum frigida venit.
Alget adhuc nudo, cluſa culina, foco.

Et a Plauto in Milite Act. 3. Sc. 2.

--- ----Quia enim absorbui
Nam nimis calebat, amburebat guturem.

Et a Tacito lib. 13. *Innoxia adhuc, præcalida, ac libata gustu, potio traditur Britannico. Deinde postquam feruore aspernebatur, frigida in aqua affunditur venenum.*

Et ab Ammiano lib. 22. *Ampelius vrbis Præfectus statuerat, ne aquam calefaceret quisquam.*

Porrò autem verè per luxum calefactam aquam bibi consueuisse, liquet apud Martialem adhuc apertiùs:

Iam defeciſſet portantes calda miniſtros,
Si non potares, Sextiliane, merum.

Si ergo Sextilianus non bibisset merum: ac proinde eius bibacitate defeciſſet calida (clam enim bibacem ac vinolentum Poëta innuit Sextilianum) liquidò constat, calidam non vomentibus, sed bibentibus, non sanitati, sed gulæ indulgentibus vsurpatam. Sed apertiſſimè apud Athenæum lib. 3. *Bibendam niuem nos præparamus: aqua verò niſi calida ſit, ſeruos obiurgamus.* Ijdem ergo seruientes luxui, gulæq; potabant niuem, potabant calidam.

Hæc expensis, celebrem Suetonij locum, in quo Caſtalio

Lipsium

Digitized by Google

Lipsium accusat, perpendamus. Eius in Decade contrà Criticos hæc sunt verba: *Nec minùs absurdum est, quod Lipsius eodem capite Electorum primi de Tiberio Claudio Nerone appinxit, quem Suetonius commutatis litteris Biberium Caldium Meronem a quibusdam per iocum vocitatum scriptum reliquit. Nam si a calidæ potu Caldius, vt Lipsius opinatur, dictus est, iniuriâ Mero appellaretur: qui vel abstemius esset, si calida tantùm aqua uteretur, vel si calidum vino infunderet, non esset meri auidus. Repugnant enim hæc calida & merum.* Non repugnant, Castalio, mihi crede. Meri cupidus is verè dici potest, qui paullulum vtatur calidæ, vini plurimum. Sed Plautinus locus, quem in Curtulione Act. 2. Sect. 3. adnotaui, litem ita dirimit, vt apud neminem sit prouocatio:

Quos semper videas bibentes esse in œnopolio.
Vbi quid surripuere, operto capitulo, calidum bibunt.
Tristes atque ebrioli incedunt.

Calido ebriatos esse, ait Plautus: ergo vino calido. Quòd si calidum vinum bibi mos erat, quis dubitat, Tiberium Claudium Neronem, quippe calidæ ac meracæ potionis amantissimum, Biberium Caldium Meronem haud iniuriâ dictitatum?

Iam verò cur vinum igne calefactum forberent, gulam puto atque intemperantiam in caussa fuisse. Cum enim caloris natura sit, arctata, densaq; corpora laxare, excitare sopita, & quasi obtusa acuere; profectò vinum calefactum intimas suas qualitates vberius promet. Nam sicuti frigore torpet vniuscuiusque mixti qualitas, ac veluti introrsum coarctata latet; ita calore laxata sese promit, & liberior reddita viget polletque. Veteres itaque intemperanter ac libidinosè gulæ, palatoq; indulgentes, vt vinum suauiori gustatu sentirent, intimas dulcesq; eius qualitates elicerent, & quasi fugerent, igne calefactum adamabant.

Digitized by Google

Calida frigidaq; hactenus: *Tepidum* nunc tractemus: de cuius natura video non sine magna animi mei admiratione, doctissimum Lipsium & Castalionem altercari. Ille tepidius fieri, siue tepidiorem aquam apud Senecam esse opinatur minùs calidam, quæ nimirum deferbuerit. Hic verò in Lipsium acriter instans complura congerit, vt tepidius fieri esse magis magisq; incalescere nobis persuadeat. Ceterùm posthabitis modò rationibus a Castalione in Lipsium allatis, eius de quo agimus, vim naturamq; exploremus.

Tepor aliud nihil videtur esse, quàm conditio quædam media, quam sortitur id, quod ab extremorum alterutro calido frigidoq; æqualiter recedit. Hoc innuit ipsa Tepidi natura, præ se fert nomen, & Galenus *De Ratione Victus in Acutis* apertissimè declarat. Nam explanans illud Hippocratis ἀκρόχλιαρον, nimirum ἀκρόχλιαρον, hoc est, summè tepidum. *Id autem*, inquit, *calidi frigidiq; perfectè est medium*. Ergo & id, quod æstu feruet, si temperanter frigescat; & quod maximè alget, si moderatum concipiat calorem, Tepescere dicitur. Vterque igitur & Castalio & Lipsius rectè videntur sentire, dum alter Tepescere calefieri esse opinatur, alter frigefieri. Vterque hallucinatur, cum alter alterum neget.

Ceterùm si hæc vtpote e Galeno accersita, contemnantur ab Antiquario, rem aperiam argumentis ex antiquitatum obseruatione depromptis. Thermarum tres præcipuè fuisse partes constat, *Calidarium*, *Frigidarium*, *Tepidarium*. Et huius quidem duplicem vsum: alterum ad eorum voluptatem, qui aeris, aut aquæ fruebantur tempore: alterum ad coc., vt qui e calido ad frigidum balneum, vel e frigido in calidum migrabant, in medio tepidario tantisper morarentur, vt facilius alterum extremorum ferre possent. Nam repente & absque medio ab extremo transire ad extremum, quàm molestum sit, quàm acerbum, ij probè norunt, qui manus, contrectata niue algentes, adignem admouent.

Qui

Digitized by Google

Qui ergo e frigidario in tepidarium migrabant, calore afficiebantur: qui vero e calidario, rigore & frigore. Ergo tepeſcere eſt calefieri, eſt frigeſcere.

Ex his apertè liquet, quàm pulchrè hallucinatus ſit Ioſephus Caſtalio, qui *in Decade contra Criticos cap. 9.* ex Seneca, Ouidio, & Martiali probare contendit, Tepidiorem aquam non eſſe minùs calidam, ac deferueſcentem, ſed minùs gelidam, quæ rigorem ac frigus remittat. Nam etſi Ouidius de Ponto lib. 3. Eleg. 4. ſcripſerit,

Ille bibit ſitiens, lector, mea pocula plenus.
Illa recens pota eſt, noſtra tepebis aqua.

Et Seneca lib. 4. Quæſt. Nat. *Videbis quoſdam graciles, & palliolo focaliquè circundatos, pallentes, & agros non ſorbere ſolùm niuem, ſed etiam eſſe, & fruſta eius in ſcyphos ſuos deijcere, ne inter ipſam bibendi moram tepeſcant.* Et Martialis.

Me conuiua petes miſto quicunee, ſed ante
Incipiat poſitus, quàm tepuiſſe calix.

Quamuis, inquam, Martialis, Ouidius, Seneca tepeſcere eſſe frigus remittere, ac paullulum incaleſcere innuere videantur: tamen ſi ad ea, quæ de vi naturaq; tepidi a me ſuperiùs dicta ſunt, res referatur, neque Lipſium in hoc malè ſenſiſſe, reda guive ab his Auctoribus, neque noſtram labare ſententiam, perſpicuum fiet. Tepidum, ſeu tepor eſt conditio quædam media inter vtrumque extremum, calidum frigidumquè. Ergo aqua, e frigido puteo recenter hauſta, ſi calidum aërem offendat, tepeſcet quidem, vt ait Ouidius. Item nix, quod affirmat Seneca, niſi ab ambiente calido eam tueamur. Calix etiam frigido plenus, ſi in calido aere commoretur, vt Martialis videtur innuere. Tepeſcent, inquam, hæc omnia, frigida prius; ſi aërem offendant calidum: ita tamen, vt ſi e contrario calida prius eſſent, a frigidoquè inimico obuallarentur, frigeſcendo eandem tepidi conditionem adipiſcerentur. Falli-

tur

tur ergo & Lipsius contrarium si existimat probatquè.

PRANDIVM, ac Cæna: Festi Locus Expensius, Ex Athenæo, & Erotiano Illustratus.

CAP. X.

Ad Gasp. Hofmannum Medicinæ Doctorem, & Professorem Altorfianum.

PIget mehercule ex cœnopolio, thermopolioue me discessisse impransum (nam & ibi ex Polluce prandia, & cænæ) piget, inquam, ac pudet. nam potui nimis addictus, nimisq; bibax viderer, si calido, aut frigido tantùm contentus, prandium, & cænam aspernarer. Peroportunè itaque accidit, vt, dum hæc voluerem animo, meiq; purgandi caussam quærerem, in amicum Festum inciderem, qui liberaliter ac benignè me ad cænam inuitarit. Hic itaque Auctor de prandio, cænaq; verba faciens, ***Prandium*** inquit, ***ex Græco est dictum: nam meridianum cibum cænam vocabant*** Antiqui. Et alibi: ***Cæna apud Antiquos dicebatur, quod nunc prandium***. Hæc Festus: quæ, miror, a scriptorum turba, qui multa etiam παραπαιγμος scripserunt, non fuisse vel animaduersa, vel expensa. Nam, nisi plane cæcutio, haud leui difficultate sunt implicita. Etenim, siue ad Græcos rem referamus, siue ad priscos Latinos, Cænam vespertino tempore fuisse reperiemus. Gellius lib. 17. cap. 8. loquens de cæna a Tauro Philosopho sibi Athenis extructa,

hæc

Digitized by Google

hæc habet: *Philosophus Taurus accipiebat nos Athenis cæna plerumque ad id diei, vbi iam vesperauerat. id enim est tempus istic cænandi frequens*: At verò etiam Romæ idem tempus cænæ fuisse constitutum, constat ex Lampridio in Alexandro Seuero: *Egressus balneas multùm lactis & panis sumebat, oua, deinde mulsum: atque his refectus aliquando prandiũ inibat, aliquando cibũ vsque ad cænã differebat.* Et ex Aurelio Victore in Annibal. *Marcellinus natalẽ filij simulans, plerosq; ad cænam rogat. Itaque in multam noctem conuiuio celebrato.* Et ex Seneca in Epistolis: *Prandite Commilitones, tanquam ad inferos cænaturi.* Sed clariùs ex Isidoro: *Est autem cæna vespertinus cibus.* At video, qui me increpent, irrideantquè, qui Lampridium, Senecam, Isidorum, Victorem, Festo iuniores ei obijciam. Nam hic auctor, cum sit ijs ferè omnibus ætate maior, quando cænam antiquis fuisse ait meridiano tempore, non de Senecæ Lampridij, Isidorive ætate loqui potuit, sed de multò antiquiori. Ceterùm, amabo te, quinam sunt isti antiqui, qui gulæ adeò indulserint, vt præpropero illo tempore cænauerint? Num Cicero, num Terentius, num his etiam seniores? Ædepol Ciceroni cæna fuit vespertina: *Cænato mihi, & iam dormienti.* Ad Att. lib. 2. & lib. 9. ep. 7. *Cænantibus nobis, & noctu quidem... Statius a te epistolam perbreuem attulit.* Et de Inuentione, *Qui cum discessissent, simul cænare, & in eodem loco somnum capere voluerunt.* Sed clarius ad Familiares lib. 1. ep. 2. *Hic controuersia vsque ad noctem ducta, Senatus est dimissus: & ego eo die casu apud Pompeium cænaui.* Terentius verò in Adelph. Act. 1. Sc. 1.

Storax non redijt hac nocte a cæna Æschinus,
Neque seruulorum quisquam, qui aduorsum ierant.

Et Plautus in Sticho:

Quam mox cænatum est? impransus ego sum.

Hic Auctorum contentione, dissidioq; diu, ita viuam, incertus hæsitaui, arbiter inter hos esse non audens. Bono itaque

itaque veteriq; ritu fatebar ingenuè, *Non liquere*. Tandem ab his me anguſtijs eripuit Athenæus, apud quem ſcriptum animaduerti, Δεῖπνον non abſimili modo, ac cænam apud Feſtum a Græcis vſurpari. eius e libro 1. cap. 10. hæc ſunt verba: *Aliquando τῷ ἄριστῳ, & τῷ δείπνῳ idem ſignificatus eſt. Nam de matutino cibo Poëta* (Homerus) *dixit*. Lib. tamen 2. cap. 8. idem, δεῖπνον, ex Alexis ſententia cænam ſignificare ſcribit. Athenæo aſſentitur Erotianus in Onomaſtico: Δόρπια, *veſpertini temporis, ab haſta deponenda dicti: quod enim nos ἄριστον, hoc eſt, prandium, appellamus, veteres δεῖπνον, id eſt, cænam vocant.*

Iam verò ſi Græci, quibus πολυωνυμία opulentiſſima eſt, in re cibaria veluti ad paupertatem redacti, vno eodemq; nomine prandium quandoque & cænam expreſſerunt, mirum nemini videri debet, ſi Latini, qui eorundem inopia, ſi cum Græcis conferantur, laborant, eodem & ipſi vocabulo prandium, cænamq; ſignificarunt. Quo verò tempore priſci Latini hac verborum inopia premerentur, vix, me iudice, aſſequi quiſquam poteſt. Indefinitè tamen (vt Feſtum vndique tueamur) illud mihi videor iure affirmare poſſe, antequam ſcilicet Græcorum vocabulorum agmen traijceret in Latium: antequam Latini elegantiæ ſplendoriq; ſermonis addicti accuratiùs græciſſarent. Cum enim primùm nomen Prandij Romam e Græcia migrauit (nam prandium ex eo dictam, quòd πρὸ τοῦ ἐνδίου, hoc eſt ante tempus meridianum ſumeretur, vt Fuluius Vrſinus opinatur) cænæ nomen, quod meridianum tunc cibum ſignificabat, abijt in veſpertinum.

FINIS.

Digitized by Google

AGESILAI MARISCOTTI DE PERSONIS, ET LARVIS

Earumq. apud veteres vſu, & origine

SYNTAGMATION.

Iuxta editionem auctiorem.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO;
Ac Reuerendiſſimo
PRINCIPI CARDINALI

ANTONIO BARBERINO

S. R. E. Camerario; ac Legato
Auenionenſi

VINCENTIVS MARISCOTTVS F.

EN Tibi, Eminentiſsime Princeps, ſub Laruis paterni ingenij, verum mei teſtimonium obſequij. Erubeſceret aditum Tuæ magnitudinis Laruata ingenuitas obſeruantiæ meæ, ſi Laruatum figmentis munus offerrem. Laruæ ſunt equidem, totius enim ſcenicæ artis ingenioſam perſonam exprimunt; at vero ſpectrorum vagantes circuitus non referunt: horret ſiquidem animus tetra. Paterna hæc ſunt fateor; ſed nec in ipſius manes immanis fuero, ſi, eruta è ſepulchro paterni nominis memoria, recenſionem, atque auctarium, quo

Digitized by Google

ſuum idem ipſe pridem editum Opus inſtruxit, noua hac poſthuma editione in lucem protulerim. Percellet fortaſſe admiratio pleroſque, ad Eminentiæ Tuæ aſpectum, Laruas nunc ferre Solis intuitum: Verùm non id poſtremum Tuæ virtutis, atque humanitatis oſtentum. Reuiuiſcet inſuper his Laruis, ad immortalitatem Parens; qui vim obliuioſi interitus eludet, promeritus vitam in æternitate Tui nominis. Ne reïjcias Eminentiſsime Princeps, defuncti Patris mutum eloquium; Sepulchrales omnino voces Laruæ ſunt; nec minùs Laruata, è tripode reſponſa excipiebat Cæſarum maieſtas. Et quanquam in alieno labore parum mihi laudis ſupereſſe videbitur; eo tamen haud minimum mihi felicitatis accedet, ſi qui vitam Patri debeo, vitam Te auſpice, paternis Laruis reſtituerim. Explicet ſe in omnem poſteritatem ſub laruarum genere deuotum Tibi genium meæ ſeruitutis: dum interim ipſe ſub larua ſectatus Tuæ gloriæ triumphum, non ad morem in Triumphi pompa parum Sapientis antiquitatis, Te Principem vel ab ipſa inuidentia laudibus excolendum, impensè enitar vocis; atque animi cultu, quoad vita ſuppetet venerari.

Digitized by Google

AD LECTOREM
PRAELOCVTIO.

IHIL esse melius, quam lætari; *Axioma est, non alicuius è triuio magistelli, sed sapientis illius, qui tanquam a Deo ipso veris omnimodæ sapientiæ radijs, præ cæteris omnibus, collustratus, merito, cunctis etiam sæculis, omnium sapientissimus audiuit; si ergo Satyricè illud arridere mihi non negauerim.* Eccles. 8.

Indulge Genio, carpamus dulcia, nostrum est,
Quod viuis, cinis, & manes, & fabula fies. Persius Saty. 5.

Non velim arbitreris, quisquis tandem futurus sis Lector, ab initio huiusce meæ disertationis, loqui me tibi, ceu Epicuri quendam de grege portum, iuxta illud à Sardanapalo vsurpatum.

Cum te mortalem noris, præsentibus exple
Delicijs animum, post mortem nulla voluptas.

Apage istbuc, apage, inquam, doctrinam talem prorsus belluinam, quæ spiritui huic, quo informamur, quo viuimus, quo homines sumus, tanquam mortalis temporariusque esset, umbratilis tantum momentaneique boni finem præscribit, cum illam ipsum recta ratio demonstret, Dei, Optimi, Maximi beneficio, immortalitatis, perpetuitatisque Diuinæq; adeo similitudinis, & quodammodo Naturæ participem effectum, ad æterna, infinita, vereq; summa bona aspirare, illucq; actus omnes, omni conatu dirigere debere. Epicureis enim illis, seu potius Atheis assentiri, non tam mea me ipsius conditio prohibet, quam propensio refugit; quippe, quæ in eam me, non reluctantem, pertrahat sententiam, vt cum Cicerone affirmem: Non ita nos à Natura comparatos esse, vt ad ludum, & iocum facti esse videamur, sed ad quædam studia grauiora, at- 1. offic.

ra, atque maiora. *Quia vero ſic noſtra requirit imbecillitas, vt quibuſdam interuallis labor aſſiduus deliniendus eſſe videaturi, quo veluti fulcimento ſurgat, quod ait Poeta quiſpiam*; Maior poſt otia virtus. *Idcirco cum ipſomet Ciceroni*
Ibidem. *aſſerere haud vereor*. Ludo etiam, & ioco vti licere, ſed ſicuti ſomno, & quietibus cæteris, tum cum grauioribus, ſerijſque ſatisfecerimus, *Quod, ſi rem paulo attentius perpendere lubitum fuerit; quid quæſo, in hac vita reperitur, quod vel ſyncerę iucunditatis, vel ſolidæ diuturnitatis nomine, æquo iure deſiderabile cenſeri poſſit? Momento rapimur citius vixímus non viuimus; & quiſnam eſt, qui ſe poſthac, vel minimo temporis momento victurum certo ſciat? Illud certe non ignoramus, & nos omnes, & quicquid ſub cœlo hominum obÿcitur aſpectui, non multo poſt, inſtar vmbrę fugacis, euanide auolaturum: In tanta rerum inſtabilitate non minus, quam incertitudine conſtitutus homo, quinam vitam*
Auſon. Eydill. 4. *ſibi ducat optabilem*. Læta niſi auſteris varientur feſta profeſtis? *Et quis ille eſſet, qui negotiorum pondere grauatus non fatiſceret, ÿſq; curis anxius, quas res humanæ ſatis abunde ſuppeditant, plerunque non ſuccumberet, ni quibuſdam honeſtæ voluptatis illecebris (ſaltem per tranſennam) animum oblectans, in otio nonnunquam hilariter degeret?*
Ethich. 10. c. 6. *Certe (quod Philoſophus ait)* Cum nequeant homines aſſidue operari requie indigent. *Voluptas igitur ea eſt, quam (ni tamen ad extremum propendeat) omnium malorum leuamen, ſuauiſſimumque humanæ vitæ condimentum appellare auſim, ſine qua, nec Dÿs ipſis beatitudinem conſtare Simonides aſſeuerauit: In qua, ſi quid eſt minus boni, illud præcipue videtur, quod in lubrico poſita, fluxa nimium ſit, & momentanea: Quin igitur cum Epigrammatographo exclamem.* Viue velut rapto, fugitiuaque gaudia carpe. *Quando*
Martial. lib. 7. *quidem, ſi præ eius velocitate prohibemur, quin ipſi, quantum animus cuperet indulgeamus, haud abſurdum erit, vel totis viribus eniti, vt veluti furtim ſurripientes id, quod*

iucundi

Digitized by Google

iucundi in hac vita reliquum est, summis saltem labellis de-
guſtemus. Prudentis enim viri proprium est, ex Plutarchi περὶ δυμίας.
sententia; non (quod insipientes faciunt) instantia bona,
præsentiaq; parui, facere, quod ea momento temporis, vix
deguſtata, e sensibus se quam citiſſime propripiant, sed ad-
uenientem ex ijs iucunditate libenter arripere, & eorum, quæ
iam præterierunt recordatione hilariorem efficere. Ne mirum
igitur cuiquam videatur, aut abſonum, quod de re minus se-
ria, vtpote de Perſonis, & Laruis, præter morem, ac inſtitu-
tum Philologicam magis, quam Philoſophicam tractationem
ſuſcipere, eamque publici iuris facere decreuerim: Sunt ete- Auſon.
nim & Muſis ſua ludicra; *Nque argumentum vllum magis*
accomodum ſecernere in promptu fuit, quo me illis colluſo-
rem copularem, quando eius temporis ratio, quo ex veteri in-
ſtituto ludendi paſſim licentia permittitur, ad huiuſmodi ſer-
mones potius, quam ad grauiora ſtudia haud obſcuro, nec
iniucundo inuitamento allicere videbatur. Cætero quin tan- Xiphilin
tum abeſt, vt locum affectem inter hos κυμινοπωλας *qui* Antonin
ex minutilis hiſce ſuperuacanea, inanique diligentia perſcru-
tandis gloriolam aucupantur, vt in ipſorum myſterijs παρδηκο-
μόπος eſſe nolim, nedum ἐργάτης. Neminem vero futurum ar- Putarc.
bitror, qui ea cenſeat improbanda, quæ, ſi priuatim, non in Colo-
ſine publico tamen, eoque magno, ac peruetuſto exemplo fie- rem.
ri videt, cum præſertim veteres etiam legum latores, pruden-
ti ſanè ratione, conſuluiſſe videamus, vt priuatim quiſque
animum aliqua relaxatione recreare auderet, cum, præ cæte-
ris ad optimum Reipublicæ ſtatum facientibus, Feſtos inſti- Seneca
tuerunt dies, vt ad hilaritatem publice homines cogerentur, de tran-
tanquã neceſſarium laboribus interponentes temperamentũ quilitate
qua ex re tantam, vel ex ſapientiſſimi cuiuſque teſtimonio, lau- cap. xv.
dem ſunt meriti, vt Deos ipſos genus noſtrũ, laboribus à natura
preſſum, miſeratos, magis, quam homines remiſſiones haſce Plato 2.
ſtatuiſſe, cum Platone, quidam ſint opinati. Haud velim de legib
tamen, Lector, facultatem tibi præreptam ſubſanandi si ea,

quæ

Digitized by Google

Nec dicero friuola nimis, & scurrilia iudicaueris: liceat
Catull. *tibi per me, liceat,* Ridere quicquid est domi cachinnorum.
At, si ob rerum varietatem iucunda, scituq; non indigna
videbor attulisse, non aliam abs te inire gratiam
exopto, quam, vt ea suspensis, quod aiunt, auribus bibere ne recuses; Et vtcunq. sit,
talem tibi otij mei reddo rationem aqui saltem, boniq;
consulas.

AGE.

Digitized by Google

AGESILAI MARISCOTTI

De personis, & Laruis Syntagmation.

QVinam de Personis scripserint. Persona non à personando προσωπεῖον. ἐσείλλα. Cornificius apud Festum notatus. Festi vulgata lectio defensa τομάπα. Persona æquinoce à vera Persona imitatione; seu etiam quasi φερεσῶμα. Etymologiæ aliæ. Laruæ μορμολύκεια. προσχήματα. χλιμαπομός. Scenitæ Personæ sine Persona. Caij, & Commodi Imperatorum ridicula προσχήματα & χήμα quid Iustiniano Authent. de Sanctiss. Episcop.

Caput Primum.

PERSONARVM vsum apud veteres celebrem fuisse, supraq. multorum opinionem, quasiq. supra veri fidem frequenter vsurpatum, cum ex litterarum monumentis curioso talium indagatori, si non tenui studio, perspicua saltem certitudine possit innotescere, neminem ex ijs tamen argumentum hoc peculiari scriptione dilucidasse compertum est, vno excepto Aristophane quodam Byzantio, quem ab Athenæo præ cæteris citatum lib. xij. vt quamplurimos huiosmodi, immo & melioris etiam notæ scriptores longa ætas aboleuit. Reliquum fuit igitur, quandoquidem hasce vetustatis reliquias non indignas inuestigatione censuerim, vt adrecentiores confugerem, quos

Digitized by Google

hac de re, vel dedita opera, vel παρεργως pertractasse cognoueram, ni, veluti *cæcus parietem palpans*, rem aggredi vellem. Ex ijs Antonij Codri Vrcei, quam extare audiui, hac de re luculentam satis epistolam, in votis quidem, vt viderem fuit, sed non in fatis. Neque adeo cupiditatem meam expleuisse, conceptamq. existimationem adæquasse visa sunt, quæ in caput jx. octaui libri sui Otij Semestris congessit Ianus Langlæus Armoricus, quin ea longe infra diligentiam in eo libro perquirendo adhibitam existimauerim, latiusq. duxerim Cælij Calcagnini libello quodam, quem personatos inscripsit, itemq. viri eruditi Iulij Cæsaris Bulengeri capite xlv. libri primi de Theatro, ceu faculis quibusdam prælucentium vestigijs insistere; non ita tamen, vt, si res ipsa postulet, ab ijs dissentire nefas mihi sit habendum; quasi in eorum verba iurato, sed ita, vt leniter eos redarguere permissum velim, quandocunque tenebricosi tramitis offendicula ab ipsis non satis accuratè declinata fuisse perspexero. Cum ergo non bene conueniat inter authores, quid sit proprie Persona, institutum de ea sermonem hinc auspicabimur, prout Aristotele docente, recta ordinis ratio exposcere videtur; non eam tamen Personam intelligentes, quam Philosophi definiunt, *Naturæ rationalis indiuiduam substantiam*; sed eam, quæ larua etiam dicitur, quæque diuersam à vero formam effingit. In hoc vero pleriq. eonsentiunt scriptores, vt Personæ significationem arctius constringentes, illud solummodo cooperimentum, quo facies tegitur Personæ vocabulo indigerent, quod à personando deductum volunt cum Basso apud Gellium libro v. cap. vij. *Quia cætera tecta, ora tantum habeat aperta, vnde sonora magis vox exaudiri possit*; vel, vt habet Boethius libro de Trinitate, *Quia concauitate ipsa maior necesse est emitatur sonus*; Cæterum Vlpiano in l. fundi ff. de act. emp. Personæ sunt etiam *cicones illæ, e quarum rostris aqua salire solet*; vt, & Polluci lib. xj. cap. jv. προσωπου τρυ vas quodpiam æneum,

Quã facilis, & superstitiosus hic Bassus fuerit in vocabulorũ fabricandis originibus. vid. apud Gell. lib. 13. c. 19.

cui

quicirca os inesse solent diuersi generis animalium ora effigiata. Nec desunt, qui affirment; Personas esse oscilla, (de quo iudicri genere multa veteres, & recentiores Philologi) eadem fere quidem ducti ratione, qua citatus a Gellio C. Ille Bassus, quod Personam προσωπεῖον græcè dici ἀπὸ τοῦ πρόσω, a Polluce docti, idem fuisse crediderint, quasi, quod est circa faciē παρὰ τὸ πρὸς τοὺς ὤπας πίπτειν, ab eo, quod est circa oculos ponere, vt definit Boethius; non autem quod re vera esse in serius demonstrare conabimur, sed inepta forte magis, quam mendosa Cornificij, quæ est apud Festum originatione decepti, qui oscilla dicta putat ab eo, *Quod os cælare sint soliti Personis propter verecundiam, qui eo genere lusus vtebantur.* In ea sunt etenim sententia, vt absurdæ originationis culpam non in scripturam, sed in auctorem ipsum reijciendam censeam, cui forte non succurrerit in ipsa assignanda, haud recte posse ab os cælare, quod vnico l. exprimitur, oscilla deduci, quæ constant duobus; ita vt libentius legam eo Festi loco. *os cælare*, vt est lectio vulgata, quam cillere, vt corrigit Iosephus Scaliger, eunq. secutus Bullengerus; cum enim cillere idem sit, quod mouere, non satis video, quid ad verecundiam facere potuerit os mouere in tali gesticulatione; quin malè adeo sibi constet phrasis ex innouata lectione concinnata, vt nullus omnino sensus eruatur ex illis, *os cillere Personis*. Vt horum tamen amplectar opinionem, non me mouet quod consimili argumento vocabulum *La Mascara*, quod Italice Persona est, ab Hispanico deductam velint nonnulli, quasi *Mas cara*, plus, quam facies, quasiq. nullas res alia possit esse Persona, præter eam, quæ Gallis *Faulxuisage* dicitur, Græcisq. forte, dici posset ψευδομορφη; Minusque, quod Iosephus Scaliger, tanti vir nominis, ad Ausonium; eique fidenter nimis inhærens Bullengerus, oscilla asserant Macrobio esse Laruas, & Personas, quas in αἰώραις, seu iactationibus iudicris rustici ori apponebant, vt essent magis ridiculi: Tum,

quod tale aliquid apud Scriptorem illum mihi potius commonstrari velim, quam alteri commostrare possim, vt qui ex Catonis sententia, in rebus ludicris serio laborare nil aliud existimem, quam in serijs se deridendum præbere. Tum etiam, quod tantum abest, illud esse, è Macrobio, vt ex ipsomet potius compertum habeamus, cum Personis, & Larvis oscilla nihil commune habere, sed ea esse, quæ Græcis σιμίνθια, idest parua ora dicuntur, quorum vsum docet Saturnalium i. cap. vij. & xj. hinc originem habuisse, quod jam diu humanis capitibus Ditem, & virorum victimis Saturnum placare veteres consueuissent, propter oraculum quoddam, Hercules, cum Geryonis pecore per Italiam reuertens, suaserit, vt fastis sacrificijs infausta mutarentur, inferenturq. Diti, non hominum capita, sed oscilla ad humanam effigiem arte fabricata. E quo ritu (ne huc congeram præterea, quæ de oscillis apud Festum, Hyginum, & Seruium abundè suppetunt) si quisad nos vsq. ritus defluxit, non alium crediderim fuisse, quam receptum illum, cuiuscumq; materiæ imagunculas in templis suspendendi, quando cælitum ope ab impendenti aliqua ærumna seruatos nos esse profitemur. Gellij vero deductionem, si non aliud, ipsa saltem vocabuli pronuntiatio apertè reprobat, quæ, si à personando Persona diceretur, haud dubiè o literam corriperet, quam in penultima Syllaba producit, cum præsertim ex hac vel correptione, vel productione nil penitus de recta vocabuli forma accedat, vel decrescat. Apertius tamen eam futilitatis arguit recta ipsius Personæ definitio, quam ipse latiori, quam cæteri modo accipiens, non eam tantum dici posse audacter asseruerim, qua facies velatur, sed & habitum qualemcunque, vel fictum, vel qui ad veri alicuius imitationem, prout est repræsentantis intentio se eo magis accomodet. A qua ipsa imitatione veræ Personæ, eo modo acceptæ, quo illam à Philosophis iam diximus definiri, factum arbitror, vt Personæ appellatione velut æquiuo-

cc,

ce, dictum sit quodcunque aliquod, vel plura ex ijs attributis exprimeret, quibus à Cicerone primo de Inuentione, vera Persona circumscribitur. Vt in hanc sententiam pedibus irem, quibuscunque alijs reiectis impulit me, tum probabilis quaedam verisimilitudo, tum etiam vocabuli προσωπεῖον, quo Græce Persona, seu Larua significatur, cum vocabulo σκέμμα affinitas, quod sæpissime pro Persona proprie dicta vsurpatum reperimus: Hanc etenim Græcorum cum Latinis in huius vocabuli significatione congruentiam satis, superque virium habere ad sententiam confirmandam sum arbitratus. Huc etiam forsitan respexit, nec à scopo longè aberrauit, licet non satis rectè collinearit Iulius Cæs. Scaliger libro Poetices primo, cap. xiij. cum Personam appellari asserit quasi περὶ σῶμα, hoc est circa corpus, qua etiam significatione Italicum, *La Mascara* ἀπὸ τῶν μασχάλων dictam opinatur Calcagninus, *Quod villosis* (ait ille) *centonibus plerunque inuoluantur, qui hoc habitu delitescere student*: Lubens etenim interea prætermerim Calcagnini eiusdem, necnon Iacobonij cuiusdam ingeniosa commenta potius, quam verisimiles denominationes; Mascaram videlicet (non possum enim hoc vocabulo non vti) dici, quasi per ius iurandum μὰ τὸν ἰχαρόν hoc est per lætitiam, seu, quasi dicatur Hispanico idiomate, *Mascara*, admodum cara, iucundaue, Etymo deducto à voluptate, quæ ab ea percipi solet, siue etiam longius petita significatione, quasi μεγαλὸν ἰχαρὰν, quod profecto quid nam monstri esset me nescire faterer, ni Calcagninus ipse *Magnam incrustationem* interpretatus coniiciendum relinqueret ad ἰχαρὰν se respexisse, quæ apud Medicos crusta est ab ardente ferro, aut medicamento causticò superinducta. Personæ autem à me traditam definitionem, non tam ex mea, quam ex eius, quem modo laudaui Scaligeri opinibus, præterea, quæ infra sequuntur de ipsarum vsu, & origine, confirmant, vel maximè ipsius Personæ καταπέτασμα: sic enim ea tantummodo esset, vel Latinis Perso-

na,

na, quæ propter oris cooperimentum ad clariorem sonitum vocem emitteret, quasique cogeret, vel Græcis προσωπεῖον, quod est circa faciem, frustra esset, quod, & apud nos Larua, & apud Grecos μορμολύκειον, eadem prorsus acciperentur significatione, quod tamen Festus docet, & Pollux libro xj. cap. jv. Larua vero à laribus deducta propriè magis accipitur pro inani terriculamento, vt apud Plautum Amphitruone.

Larua umbratilis tu meminis territas.

Vt & μορμολύκειον à verbo μορμύσσομαι, quod est perterrefacio; sed Persona, vel προσωπεῖον hoc etiam nomine dicitur, ideo, quod timorem insuetis incutiendi vim habere videatur. Iuuenalis Satyra iij.

Personæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans. & Martialis Apophoret: clxxvj.

Cum figuli lusus, Rufi persona Batavi,
Quæ tu derides hæc timet ora puer.

Talium etenim gentium, vt quarum tunc temporis, minor haberetur notitia vultus in Personis exprimebantur, quomodo ætate nostra Turcarum, Aethiopum, istiusmodique Barbarorum effigies exprimi solent. Et ad earum Personarum conspectum, quas Aeschylus in scenam introduxit, prægnantes fœminas abortum fecisse, memoriæ proditum est, quas γοργόνια ex eo appellarunt, vel, vt habet Pollux, γοργείη, quod de re quapiam horribili, ac terrifica γοργείη κεφαλὴ dici soleret, vt est apud Philostratum de vita Appollonij lib. vij. cap. x. Nec abs re dictum videri debet, ideo Personas, & προσωπεῖα Laruas appellari, & μορμολύκεια, quæ nomina non oris, capitisue operculum, sed rem quandam terrificam præseferunt, quia latiori significatione pro quocunque habitu ficto, Persona sit accipienda. Nemo enim inficias ibit, ad preterefaciendum nil minus valere (quantum quidem primo quodam intuitu res ficta valeat) deformem corporis, quam faciei habitum, neque horribilem magis aspectum habebit

bebit ille, quem Pomponius ait; *Magnus manducus* secundum Festum; *Latè debiscens, & ingentem sonitum dentibus faciens*, quam monstrum illud ἄμορφον, seu potius πολύμορφον, quale initio Epistolæ ad Pisones describit Horat.

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si velit, & varias inducere plumas,
Vndiq. collatis membris, vt turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne.

Huiusmodi autem habitus finctionem non ineptè forsan προσχήματα appellauerimus, quæ appellatio quodammodo congruere videtur; siue pro velamento ea intelligatur, & prætextu, vt propriè significat; siue pro specie quadam, & ornamento, vt est apud Aristotelem de Mundo cap. vj. καμηλοῦ ἔφεξε, τε καὶ δαρεὶς προσχήματι; & apud Plutarchum in Fabio προσχήματι τῆς ἀκροτάτης, καὶ μεγίστης ἀρχῆς. Sed conuenienter magis cum Hesychio σχηματισμόν, quando nomen illud à verbo σχηματίζω deductum, quod interdum est simulo, & effingo, pro eo, quod est πλάσμα, hoc est commentum, & simulatio nostrato à Græcis accipi deprehendimus; Qua ratione ἐσχηματισμένος dicitur, à Rhetoribus sermo figuratus, qui superinductis aliundè colorum figmentis, non autem appositis vocibus animi sensus enunciet, & communiter σχηματοποιούμενος, qui non ingenuè loquitur, sed efficto vultu, & sermone affimulato. Non est autem dubium pro Personatis, laruatisque; vel apud veteres accipi solitos non eos tantum, qui Personis ora tegerent, sed etiam, qui habitu ficto vestirentur; Qui poterant enim aliter accipi, licet ore detecto, qui eo vestitu in scenam prodirent, quo illum prodijsse refert Lucianus in Pseudologista inquiens: *Nemo ante te ingrediebatur Theatrum; nemo ne nomen quidem fabulæ, quod esset renunciabat, sed tu ornatè admodum, aureos habens calceos, & vestitum Tyrannicum ante cæteros immitebaris, qui beneuolentiam à Theatro postulares coronas ferens & cũ plausu rediens.* Vbi ijs verbis κομψῶς πάνυ, χλανίδας ἐμβάδας ἔχων, καὶ ἐσθῆτα τυραννικὴν quis est,

V. Apuleium lx. Metamorph. de iudicio Paridis.

est, qui non videat Personam quandam histrionicam, sine Personata tamen facie tegente, graphicè circumscribi? Persuadet mihi etiam, nescio, an alijs pariter, quod Lucianus idem in Nigrino, cum pro more Philosophos increpuerit, illud se vel maximè indignari ostendat, *quia non eadem habitum mutant, eam vitæ quod ad cætera attinet eodem modo fabulam agant*; In Græco enim ἐκδύω exprimens, cæterum apparatum Personati Histrionis, cuius insistit metaphoræ, nihil tamen de oris tegumento innuere videtur. Vnde est, quod tum alijs, tum præcipuè Plutarcho in Aristophanis, & Menandri comparatione ἐκδοτοίς dicatur ille, qui Personas appararet Histrionibus, quem etiam προσωποποιὸν dici solitum habemus infra capite secundo. Cæterum hæc Luciani testimonia, visum est latina apponere, vt in sequentibus etiam Græcorum pleraq. quia præter rem duxerim, & legentibus non peritis fastidium, & mihi ipsi laborem superuacaneũ parare, ex quo nil aliud præter vanam affectatæ eruditionis ostentationem consequeretur. Ad rem verò nõ aliter, quã pro Personatis acceptos fuisse, risumq; spectantium excitasse (quod etiam appositè admodum Personatis conuenit) credendi sunt, vel Caius ille Caligula, cum referente Xiphilino, Iunonem se, vel Iunonem, aut Venerem, aut Dianam fieri opinabatur, præter mutationem nominum, vestes quoque capiens Dijs illis accommodatas, aliisque rebus acceptis, diuersisque varias formas induens, dum cætera omnia potius, quam homo videri affectaret; Quod & Suida teste Clearchus Olim Ponticus, Heracleæ Tyrannus, vel etiam posteriore sæculo Commodus, quem consimili insania laborantem, narrat Herodianus; Depositio Romanorum Principum cultu, Leonis sibi pellem substrauisse, manuque clauam suscepisse, nec sine omnium irrisione, vestes sibi purpureas, auroq; intextas circundedisse, atque Herculem se Iouis filium appellari iussisse, cum eodem schemate & fœminarum mollitiem, & heroum virtutem repræsentaret. Nec omittendum,

quod

quod maximè facit ad rem confirmandum, §. vltimo. Authori de sanctiss. Episc. à Iustiniano prohiberi (quod & aliàs in Cod. Theodos. ab Arcadio, & Honorio fuerat prohibitum) scenica exercentibus, *Vti schemate Monachi, monasteria, aut Asceteria, aut imitari, & illudere in quacunque ecclesiastica disciplina.* Vbi Glosa, in verbo Monachi, notat *Reprobari, si quis alterius vestis in eius contemptum utatur; adeo, vt qui vtitur teneatur iniuriarum*; haud secus, quam ob ea, de quibus in instit de iniurijs. §. primo. Quasi eo ipso, quod inibi expressè nominatur, omne id comprehensum voluerit Imperator, quod, propter insignem mutationem, hominis in ecclesiasticarum cæremoniarum contemptum Personati speciem habeat (eodem ferè sensu, quo χῶμα μετασχόντ' pronuntiat inuidus apud Libanium declamationem ipse de habitus, & Personæ mutatione in vicino repente locupletato, καὶ τῶν ἐπιχρεῶν τὸ χῆ μα ἑξ ὑτερον μετασχῆλθεν.) Quale crimen etiã apud Ethnicos detestabile, Alcibiadi exilii, bonorum publicationem, diraſque peperit execrationes, cum, in eius vita referente Plutarcho Eleusinensium mysteria, per vinum, simulasse delatus est, stola ipse sacra veluti Hierophantes indutus, sodalibusque mystarum instar apparatus. Quod, si præsentis etiam temporis consuetudinem attendamus, prolaruatis, Personatisque puniendos, nemo est qui ignoret, non eos tantum, qui extra præfinitum tempus Personis ora tecti, sed eos etiam, qui habitu ficto instructi reperiuntur. Quocirca sermo noster non tantum de Personis erit, prout eæ vultui opponuntur, sed de habitus etiam quacunque diuersitate, quæ vti iam dictum est, vel longè abeat à vero, vel ad propositam imitationem se accomodet.

Personarum, & χημαπομῶν vsus in scenis, προσωποποιὸς. Casseliertij in Aristotelem quantũ ad Personas explicatio confirmata. In Suida mẽdum vel αν πκρο νισμα. συγωδία. Satyrion. Comœdia vetus. De ea notabile ex Aeliano. Cur ea sublata.

Hlata. Novæ Comœdiæ Personæ; ἐκκρ quibus μαγῳδοί, ἴηque Personati. Ité φαλλοφόροι, & Ἰθυφαλλοί, ἔρχησις, in quæ Personæ

Caput II.

EXPEDITIS ijs, quæ ad Personarum appellationem pertinent, si ad ipsarum apud veteres vsum declarandum deueniamus, eum quidem multiplicem fuisse obseruabimus, nullibi tamen frequentiorem, quam in Scenicis, Theatralibusq; spectaculis. Quæ cum ita sint, non est cur superuacaneum arbitretur quisquam, à me qualecunque hoc spicilegium attentari post vberrimam Bulengeri messem, cum vel collatio ipsa, me tacente, audaciæ meæ, haud certè immodestiæ, plenam, idoneamque excusationem præstare possit. Tria præsertim spectaculorum genera, notum est antiquitus in Theatris repræsentari solita; Ea fuere Tragœdia, cuius quædam species erat Satyrica (in eorum enim recensione liberè magis excellentiæ, quam temporis ordinem respicere.) Inde Comœdia, à qua non longè abesse dicemus Magodiam, necnon Ithyphallorum, Phallophrorumque cantiones: Tum cæteris mirabilior, & quam nostra ætas ignorat Orchestica. Vnum quodq; autem eorum suas habuisse Personas, & χαρακτῆρας nemini dubium esse debet: Cum enim cuncta agentes imitationem faciant, quod docet Aristoteles, Poetices capite iv. necesse est, ipsos apparatum habere ad imitandum, quem idem Aristoteles inter Tragœdiæ partes ὄψιν nomine designat. Cumq; nullam rationem haberent scenici, qua melius, exactiusque imitarentur, resque inter agendum ante oculos spectatorum ponerent, idcirco Personas habitu, facieue simulatas in Theatrum produxerunt. Ex quo factum est, quod Personarum vsum peculiarem adeo Histrionum fuisse persuadere conatum nonnulli, vt nemo prorsus, præter illos eas olim vsurpare consueuerit; quodque προσωποποιΐαν inter Histriones fuisse, quasi Personarum institutorem, quæ

exa-

ædificiorum etiam, vt ſupra retulimus, hoc eſt Apparatorem dicas, tradit Iulius Pollux lib. xj. cap. xij. & lib. iv. cap. xiix. Et Theophraſti locus eſt in morum Characteribus c. vj. ex quo didicimus, Perſonatos Hiſtriones egiſſe ſpectacula, & ſic Perſonatos æs à ſpectatoribus exegiſſe. Qui vero huius inſtituti vetuſtatem ex eo arguunt, quod Poetices cap. xj. Ariſtoteles ipſe, qui pauca ignorauerit, ignorare ſe innuat, quiſnam Perſonas repererit, ipſius Ariſtotelis mentem haud aſſecuti videntur. Non enim de Perſonis, prout Laruæ ſunt, ſed de Perſonarum diſtinctione, de qua etiam Donatus in Terentium, loqui hoc loco Ariſtotelem, cum omnium doctiſſimo Poetices explanatore Caſtelvetrio, credendum eſt. Cuius ſententiæ eo libentius accedo, quod nullo argumento perſuaderi poſſim, Ariſtotelem, cuius dictio alioquin ſimplex, pura, & quod illi peculiare fuit maxime propria, πρόσωπον nominatim dicturum, quo vocabulo hominis potius externa ſpecies, quam aliud quidpiam proprie deſignatur quaſi id, quo homo ipſe πρόσωθεν ſuum, hoc eſt anteuerſus proſpicit, vt denominat ille iij. de partibus Animalium cap. primo. ſingularia, quæ Laruæ ſunt intellectum voluiſſet: Non ideo negarim à vetuſtiſſimo vſque tempore id moris inualuiſſe. A Liberalibus autem, de quibus infra Theatrales ludos ortum habuiſſe, annotant Seruius ad Virgilij Georgicorum ſecundum, & Donatus ad Terentium. Tragicique primum Suidas refert Cherilum Athenienſem, quem circa lxv. Olympiadem incertamen tradit deſcendiſſe, ſecundum quoſdam Laruas, & ſcenam inchoaſſe, alibi tamen, quod & Diomedes, & Grecorum plerique Theſpim facit Perſonarum inuentorem, poſtquam is ab initio vultum minio inunxiſſet, dein purpurea texiſſet, quod & confirmare videtur Horatius:

plauſtris vexiſſe Poemata Theſpis,
Quæ canerent agerentur peruncti fœcibus ora.

Lineas autem eas fuiſſe, eumque fabulas edidiſſe dicit Olympiade lxj. Nec deſunt, qui Aeſchylo huius rei palmam tri-

buere non dubitent, testimonio scilicet posse arbitrati Horatij in Poetica dicentis,

Post hunc Personæ; pallæq. repertor honestæ Æschylus;

Cum tamen Aeschylum his verbis dictum voluerit Horatius (garriat quantumlibet Porphyrion) non Personæ simpliciter inuentorem, sed Personæ honestæ, ad differentiam Personarum minus conuenientium, quas reliqui ante illum, vel etiam ille ipse primis temporibus introduxerat, ex quo facile puto, vt Aeschylus (quod Philostratus refert) Tragœdiæ parens sit appellatus. Huc forsan crederet aliquis eos Aristophanis versus ἐκ βατράχων pertinere, quos pronuntiante introducto Euripide, cum apud inferos de palma cum Aeschylo altercaretur,

Primum quidem vnumquempiam sedere fecit, cooperiens Achillem aliquem, aut Niobem, faciem non reuelans.

Ni Aristophanis scholiastes aperte doceret, hoc non ad Personæ, sed ad mutæ Personæ inuentionem pertinere; *Achillas enim* (ait ille) *sedens est, & nihil respondens apud Æschylum in fabula, cui titulus Phryges, aut Hectoris Lytra, prout etiam in Myrmidonibus ad tertiam vsque diem ne verbum quidem emittens.* Certe Suidas in voce *Æschylus* inuentorem ipsum fuisse dicit Personarum terribilium, & horrificarum, quod & superius aliunde relatum; Pausaniasque in Atticis eum primum Erynnibus anguineos crines adfinxisse. In Suida tamen notabile, ἀνακρόνισμα manifestè deprehenditur, cum dicat certasse Aeschylum nona Olympiade: nihil mendum potius subesse, idque exscribentis vitio imputare malimus, cui nona fortè, pro sexagesima nona, in notis numeralibus exprimendis, exciderit. Cui astruendæ coniecturæ fidi alicuius manuscripti opem desiderarem, vt, quæ vero non admodum dissentanea videatur, si ad ea comparetur, quæ de Aeschylo Pausanias habet in Atticis, naualibus scilicet eum prælijs ad Artemisium, & Salaminam, quæ inter Olympiadem lxxv. inciderunt non sine Virtutis eximiæ laude in-

dimicari fuisse, quin, & ipsum iam morti proximum, in operis cuiusdam fronte, de rebus à se præclare gestis in Marathonia pugna, quâ Græci Persas fugarunt, Olympiade lxxij. Marathonium saltum, Persasq; ipsos testes inuocasse. Nihil enim est, vt moretur quisquam Aeschyli ipsius interpretem, qui tragœdiam eum asserit Olympiade claruisse, sitramen Suidæ fidem saluam velit, non eum xlv. annis minorem inuidum certandi cum Poetis fecisse. Post Aeschylum, eodem Suidâ teste, Phrynicus mulierum Personas, pedagogique Neophron Sycionius adinuenere: Apud Romanos, ante Liuium Andronicum galeros, non Personas in vsu fuisse, refert Diomedes Bullengerus, Personisque primum vti cæpisse Roscium Gallum, de quo præclarum est illud Ciceronis elogium, oratione pro P. Quinctio *quod cum artifex eiusmodi esset, vt solus dignus videretur esse, qui in scena spectaretur; vir tamen eiusmodi esset, vt solus dignus videretur, qui eò non accederet*. E Donato autem habemus Minutium, & Prothonium primos Personatos tragœdiam egisse, quod adeo obtinuit imposterum, vt Nero ipse Cæsar, quod est apud Suetonium cap. xxj. *Tragœdias cantauerit Personatus heroum, Deorumque item heroidum, & Dearum Personis effictis*; Non enim immane illud monstrum rem vllam intentatam reliquit, qua prædecessoris Caij insaniam, vel emularetur, vel si posset, etiam anteuerteret, quem supra retulimus, ex Xiphilino, Deorum Dearumq; imagines ridiculo studio affectasse. Vtcunque tamen sit, proprium adeo Tragœdiæ fuit personis vti, vt à fecibus, quibus, ante excogitatas Personas, Histrionum ora inficiebantur, quæ Græcis ὄγκοι appellantur τραγῳδίαν primum dictam, mox, leuiuscula facta mutatione, τραγῳδίας eam nomen inuenisse sit creditum; à quibus etiam fecibus scenicos quosdam ludiones Suidas, Aristophanes appellat. Tragœdiæ Personæ, fuerint apud Pollucem habes libro iv. cap. xviij de iisdem nonnulla quoq; apud Donatum in Prolegomenis ad Terentium.

Earum

Earum vero ornatum his verbis describit Lucianus de Saltatione. *Turpe, & minime iucundum spectaculum, homo longitudine deformi, atque incomposita exornatus, altis crassisque mentis ingredens, caput Larvae minaci obductum habens, tum per amplo ore hiante, quasi spectatores devoraturus; Mitio adfcititia pectora, & ventres factitios, adiunctam, & ante compositam corporis crassitudinem &c.* Tragoedia proxima fuit adeo Satyrica, vt eius quodammodo species videretur, qualis extat fabula Cyclops inter Euripidaeas, quod genus dramatis, licet post rudiora illa saecula minus in vsu fuerit, suas tamen habuit Personas, & χιμαπομῆς, è pellibus, vt plurimum, hircinis, praeter alia, quae Dionysius describit Antiquitatum lib. vij. & Pollux libro supra citato cap. xiix. & xix. quaeue huc referre nostri non est instituti, cum praesertim de Satyrica copiosus extet liber Isaaci Casauboni, viri, quantum ego quidem indico, inter literatos nostri temporis literatissimi. De Comoedia igitur, secundum ordinem propositum, si disquiramus, eam Personis instructam fuisse reperiemus, in veteri quidem (quod refert Pollux) similibus, vt plurimum ijs, qui suggillabantur hominibus, vel etiam maiori cum ludibrio effictis, cuius rei testem habemus Suidam in verbo ἐξαπισμένος, ita dicentem. ἦθος γὰρ ἦν παλαιὸν κωμῳδοῖς ὁμοῖα τὰ πρόσωπα ποιεῖν τοῖς κωμῳδουμένοις ὑπὸ ἀνθρώπων σκώπτειν τοὺς ὑποκριτάς, ideſt moris fuit, vt comici Personas histrionibus darent, eorum similes, quos imitarentur vnde Aristophanes,

Ne time, neque enim tuam refert imaginem.

Quod fiebat ideo (ex Aristophanis scholiaste referente, Bullengero) vt agnosci possent primo intuitu, priusquam actores aliquid dicerent. Eius rei testimonium, exemplo clarissimo confirmatum, habemus apud Aelianum ποικίλων lib. ij. cap. xiij. Suggerentibus Anyto, & Melyto, Aristophanem ad incilandum Socratem, Comoediam fuisse commentum, quam νεφέλας inscripsit, eiusque effigie Personam effic-

tam

tam in scenam introduxisse, quo spectaculo ceu inusitato, Athenienses primum obstupefactos, deinde, vt est vulgi natura ad bonorum odium procliuis, actorem plausu fauorabili excepisse; Socratem vero, qui non forte, sed consulto adorat, opportuno Theatri loco sedens, cum surrexisset, omnium in se conuertisse oculos, vt iucundum non minus spectaculum præberet ipse, sereno vultu, constantique animo dicacissimi hominis cauilla floccipendens, quam ipsum drama per se ridiculum, eaque festiuitate refertum, qua præditus Aristophanes, vt erat, videri quam maxime auebat. Quam narrationem notatu non indignam, breuibus à me comprehensam, pleniorem ad ipsum Aelianum, cui libuerit videre erit. Aristophanis etiam exemplo animatum Antiphiam quendam, infimi ordinis Poetam, in Tribone Comœdia Socratem eundem per ludibrium induxisse, Laertius Diogenes indicat in eius vita. Veterem hunc morem imitatus Nero, non scenam minus, quam Maiestatem imperij fœdauit, *Personis effictis ad similitudinem oris sui, & fœminis, prout quamque diligeret*, quod in eius vita refert Suetonius cap. xxj. & quod Xiphilinus, in muliebri ornatu Sabinam imitabatur. At non diuturno admodum tempore vetus Comœdia viguit, quæ populari statu Athenis imperium obtinente, tanto plebeculæ fauore excipi consueuerat, vt, quod Isocrates queritur oratione περὶ πλούτου longe maiore in gratia apud ipsam esset, quam oratores de publicis vtilitatibus differentes, adeò inquàm, vt impune fuerit ipsius actoribus potentissimos quosque & precipuos è Reipublicæ rectoribus contumeliosissimis probris impudenter dilacerasse. Dum enim suis se contineret legibus, quibus nixa, quod Horatius ait Satyra iv.

Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur,
Quod mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabat.

Videbatur (præter insitam populatibus animis ex optima-

tium

tium vituperatione delectationem) tantum conferre ad rectum ciuitatis statum, quod infamiæ metu à sceleribus plerosque deterreret, vt, non iniuria, de, ipsius præcipuis authoribus Eupoli, Cratino, & Aristophane Dionysius Halycarnaseus ἐν τέχνῃ pronuntiauerit, Philosophorum eos nihil minus, Politicorumque, quam Poetarum munus adimpleuisse: Exoleuit autem, cum à peiorum imitatione, quæ eius est materia, Poetarum vitio ad bonorum criminationem, sed, & ad Deorum despicientiam sensim delapsa fuisset; vel, quod nimiam eius licentiam reprimendam censuerint Athenienses, lege, lata, supplicioque indicto, si quis nominatim quempiam probrosis carminibus proscinderet, quod indicat Horatius in Arte.

In vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi, lex est accepta, chorusq.
Turpiter obticuit, sublato iure nocendi.

Et ad Augustum epistola prima, libri ij.

Donec iam sæuus apertam
In rabiem verti cœpit iocus, & perbonestas
Ire domos impune minax, doluere cruento
Dente lacessiti: fuit intactis quoque cura
Conditione super communi, quin etiam lex
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam
Describi

Quam legem (si credimus Acroni νομοθετικὸν appellatam) consimili apud Romanos sanctioni, de qua S. Augustinus ij. de Ciuit. Dei, è vj. Ciceronis de Republica, originẽ dedisse verisimile videtur. Vel etiam ab edendis huiusmodi fabulis Poetæ ipsi sua sponte destiterunt (quæ scholiastis Aristophanis est sententia.)

Ad benedicendum, delectandumq. redacti.

Quod deficientibus populi viribus, pariq. illo omnium iure simul euanescente, cuius præsidio audaciores erant, statuque in Oligarchiam verso, certissimæ semetipsos vltioni obnoxios fore animaduerterent, ni à maledictis temperarent. Cuius

Digitized by Google

ius rei documentum quoddam recens dederat Aristophanes, quinque talentis mulctatus (vt ipse asserit in Acharnanibus) quod Cleonis Personam in Equitibus, minio oblitus, egisset, quam, præ Cleonis ipsius potentia, nemo ausus erat repræsentare; Quocirca primus ipse, fabula sine Choris edita, cui nomen Aeolosicon, stylum vertens à conuitijs abstinere cœpit. Quod enim multi asserunt, Aristophanis scholiastem secuti, Eupolim mari mersum ab ijs, quos in Bapteis perstrinxerat, cognominem suæ fabulæ casum subijsse, tam multi, & multa sunt, quæ redarguant, vt non inuitus hoc exemplo narrationem destitui permittam. Non tamen potui sine nota Iulij Cæsaris Scaligeri ἀνεξοησίαν præterire, qui id, quod de Eupoli sub dubio narratur, cap. vij. lib. primi de Poetica, de Cratino asseueranter affirmat. Sublata igitur veteri Comœdia (de qua ᾠδὴν in præsens ἐείζω, peculiarem de ipsa tractatiunculam meditans) mediæ, nouæq; subsecutæ sunt, in quibus ludicræ quædam, & adrisum accommodatæ Personæ sunt excogitatæ, quales Menander omnium absurdissimas excogitasse perhibetur; Mæsonem hinc quendam Megarensem Histrionem Personam adadinuenisse famuli, & coqui ab inuentore Mæsona vocitatam, ex Aristophane Bizantio tradit Athenæus lib. xiv. quod & confirmat Festus; Cuius Personæ, quod proprium esset irrisionibus, & dicterijs alios insectari, ideo σκώμματα eiusmodi Mæsonica etiam dicebantur. Nugæ vero fuerint [quod facere videtur Scaliger Poetices primo cap. xiij.] Mæsoni huic vniuersam potius, quam singularem hanc Personæ inuentionem tribuere. Ebriosos quoq; Cratem Comicum, Aristophanis scholiastes ait, scenæ inuexisse, alij Epicharmum; Athenæus vero lib. x. Aeschylum primum ex omnibus contendit, Iasonem ἐν καζείροις ebrium induxisse, Heroas teneri mentitus ebrietatis vitio, quo ipse adeo laborabat, vt nisi ebrius Tragœdijs scribendis manum non admo-

Sicuti de Neuio quoq; ac cepimus, fabulas eũ duas in carcere scripsisse Atio lum, & Leotecũ ob assiduam maledicentiã, & probra in Principes ciuitatis de Græcorũ Poetarũ more dicta in vicula Ro. à Triumuiris coniectus esset; Vnde post à Tribunis plebis exceptus est, cum in ijs, quas supra dixi fabulis delicta sua, & petulantias dictorũ,

Q mo-

quibus multa ante læserat, diluisset. Hæc ad verbum A. Gell. lib. 3. cap. 3.

Digitized by Google

moueret, quæ propterea Liberi Patris esse dictæ sunt. Quin & libro primo, eo nomine illum reprehendit, quod inepte, ac indecore Græcos tam ebrios inducit, vt matulas illisas mutuis plagis perfringant. Horum exemplo, subsequentibus temporibus, alij alias ad libitum Personas inuenerunt, quas attingit Donatus ad Terentium, & longiori ordine recenset Pollux lib. iv. cap. xix. quibus connumerari potest ea, quam gestantes σφωποπαγωνας appellat in Saturnalibus Lucianus. Latinorum primos Comœdiam Personatos egisse Cincium, & faliscum è Donato comperimus; & primam ex omnibus Nævij quandam fabulam Personatos Histriones habuisse, voluerunt nonnulli, vt est apud Festum, vnde Personatæ fabulæ ipsa nomen traxerit. *Sed, cum post multos annos* (verba sunt Festi) *Comœdi, & Tragœdi Personis uti coeperint, verisimilius est, eam fabulam propter inopiam Comœdorum actam nouam per Atellanos, qui propriè vocantur Personati, quia ius est ijs, non cogi in Scena ponere Personam, quod cæteris Histrionibus pati necesse est.* Terentij vero ætate, Histriones Personatos egisse, præter Donatum, testatur vetus ipsius Terentij Codex in Vaticana seruatus, in quo Larvati passim, Personatiq. Histriones picti cernuntur. Mirumq. tanto in honore apud Histriones ipsos Personas fuisse, vt Theatralis applausus gloriam illis quasi acceptam referrent, quod notabilissimi euentus exemplo confirmat Plinius Naturalis historiæ lib. vij. cap. liij. M. Osilium Histrionem narrans, cum populo admodum placuisset, die natali suo, conuiuio exhibito, Personam eo die vsurpatam intuentem, coronam è capite suo in eam transtulisse, taliq. habitu rigentem, nullo sentiente expiratse. Quid vero, si circumforaneos istos ἐπῳδοὺς quicantionibus inconditis, rudique dramatis quadam specie plebe culam alliciunt, cui medicaminibus illis suis imponant, priori æuo non defuisse, neque minus, quam nunc temporis Personis vsos fuisse dicamus? Non defue-

Et apud Horatium Sat. 4. lib. j. vbi quærit comœdia, nec ne poema esset, est quod huic consuetudini astipuletur, quiuis stomachetur eodem quo Personatus pacto pater.

fuerunt tamen, si credimus Athenæo lib. xiv. qui ante prorsus institutum profiterentur, quos μαγῳδοὺς, vt & Strabo libro itidem xiv. artem vero μαγῳδίαν idcirco asserit appellari, quod suis illi cantionibus Magicæ artis præstigia, encantamenta eorumq; vires declararent: Eos vero quam sæpissime argumento è Comœdis desumpto, varias Personas repræsentasse, nunc fœminæ, nunc lenonis, nunc adulteri, nunc æmulenti. Apud Hesychium μαγῳδία est *saltatio*, ψάλλοντος ἄνευ λύρας, *dicta* (inquit ille) *à Chrisogno Mago*. Compares Magodis fuisse quodammodo videntur ij, quos Athenæus idem φαλλοφόρους ait appellari, item, quos ἰθυφάλλους ex Homo Delio, quorum illi, quasi Histrionum præsultores in scenam prodibant, carmina quædam Baccho præcinentes, non ij quidem Personis faciei admotis, sed hederaceo quodam integumento adoperti, densisq; floribus, ac hedera ornati, ita, vt peculiari quodammodo Personati apparerent. Ὀνοφόρους vero Personati prorsus, coronasq; gestantes ebrios referebant, quorum munus erat, vt φαλλὸν gestantes, carmen quoddam obscœnum, quod nomen ipsum designat in Thesauris proferrent, illudque idem fortè est, quod φαλλικὸν ἐφύμνιον ἐπὶ διθύραμβον Polluci dicitur lib. iv. cap. xiv. *Phallica saltatio in honorem Bacchi*. Sed his relictis ad ὄρχησιν transeamus, quæ mirabilis præ cæteris, quod supra iam diximus, inter scenæ spectacula extitit, de qua vetus epigramma.

Tot linguæ quot membra viro, mirabilis arte,
Qui fecit digitos, ore tacente, loqui.

Nulla etenim fabula erat, dramati accommodata, quam gestibus, saltuq. non ita exprimeret saltator, quin, vt ait Lucianus de Saltatione, *Personis in scenam introductis gestibus per omnia respondaret, neq; ea quæ dicuntur ab introducentibus optimatibus, aut Tyrannicidis, aut agricolis, aut mendicis discrepabant, sed in vnoquoq; illorum proprietas, & excellentia demonstrabatur*: Sic, vt Demetrius quidam Philosophus,

ad huiusmodi aliquando spectaculum inuitatus, audire se, non tantum videre dixerit ea, quæ saltator faceret. Saltatores autem Personas habuisse, tum verisimilitudo docet, ex diuersimodæ imitationis necessitate deducta, tum enim, absque tali figmento, exacte poterat exprimi pars illa ὀρχήσεως, quam, è tribus secundam, χῆμα Plutarchus appellat σωματοειδὲς jx. problemate xv. quod in eo gestu consisteret, ex quo propositæ fabulæ imitatio dignoscebatur. Tum verbis disertissimis Artemidorum cap. lxxiix. ἐνυπνίων. *In theatro saltare sibi videri compositum ad hoc, & alia apparatu instructum, probarique ac laudari; pauperi quidem opulentiam significat, sed non vsque ad senectutem; Reges enim Personas exprimit, & imitatur, & multos ministros habet saltator, verum post actum, & finitum drama solus relinquitur* Sed apertius multo Lucianus his verbis. *Saltationis habitus, quam decens sit, & modestus, quorsum attinet dicere, cum cæcis quoque ista sint perspicua. Larua ipsa pulcherrima, & subiecta fabulæ respondens, non immane hiat, vt Tragica sed saltationi per omnia conuenit.* Quin, & huiusmodi saltatores ex eo Pantomimos appellatos idem tradit, quod, vel vnus saltator tot Personas sustineret, quot partibus fabula constaret. *Pansomimo nanq;* (quod Cassiodorus ait Variarum jv. epistola vltima) *à multifaria imitatione nomen est: idem corpus Herculem designat, & Venerem; feminam præsentat, & marem; Regem facit, & militem; senem reddit, & iuuenem, vt in vno videas esse multos, tam varia imitatione discretos.* Propterea barbarum quendam admiratum, quod quinque Personas saltatori vnico apparatas vidisset, qui se omnes repræsentaturum polliceretur, Lucianus dixisse refert, videri sibi, animas plures habere eum, qui talia auderet vnico tantum corpore præditus. Circa Augusti primum tempora artem hanc prodijsse, auctor est Zosimus, de qua, plura qui volet, vel ex Luciano hauriat, è quo ante pauca hæc propinasse satis habeo, vel ex Plutarcho, quo superius

Digitized by Google

per hunc digitum intendi, vel etiam ex Athenæo lib. j. Si non exciderit, quæ multa collegere, Scaliger Poetices primo, cap. xiix. & Bullengerus primo de Theatro cap. xliii. Ad vlteriora enim me ipsius argumenti ratio, suo quidem iure, non tergiuersantem, auocat. Aristenætus epist. 26.

Personæ, & σχηματοποιΐαι in sacris celebritatibus. In Saturnalibus. Nonis Caprotinis. Bacchi solennibus, vbi de Bacchanalibus, & Liberalibus. In minusculis Quinquatribus. In Magalensibus. Apud Coos in Herculis sacris. Naharualorum sacerdos. Argiuarum mulierum ὑβριστικά, ijsque penè similis Charondæ sanctio. Sacra Veneris in Atthide; Romæ Matris Matutinæ Titinis; & quis ille Deus. Pœnorum mos in filijs Saturno immolandis. De Bona Dea Iacobonius quidam notatus. Ex Apuleio Isidis Pompa. Calcaguini lapsus. Syriæ Deæ circumlatores.

Caput III.

POST Scenæ, Theatrique spectacula nullibi magis apud veteres in vsu fuisse Personam, vestitusue absonam mutationem obseruaui, quam in eorum, quos veluti Deos habebant festis, sacrisque recolendis, quo fit, vt omnem illum cultum, sui ipsius causa, per omnia ridiculum, ex huiusce ritus accessione, tanto maiori ludibrio dignum fuisse appareat, vt ab eo non satis demirer, post diuturna tandem sæcula, sapientissimos homines, imo & gentes vix auelli potuisse. De mutua inter Dominos, & seruos vestium permutatione, quæ per septem dies mense Decembri fiebat in honorem Saturni, notum est magis, quam, vt explicatione indigat, cum ex antiquis habeamus Lucianum, & Macrobium peculiaribus libris Saturnaliorum nomine, singula ad hunc ritum attinentia pertractantes: è quibus non omittendum illud occurrit

currit apud Lucianum, quod è re nostra est, paucis forte notatum; fas fuisse ijs diebus, præ cæteris solutioris ludi generibus, facie fuligine oblita incedere. Saturnalia etiam fœminis propria fuisse Calendis Martijs, affirmat Lavinius lib. x. commentar: cap. jx. in quibus consimilis vestium mutatio ab ijs vsurparetur, quæ præter auctores ab ipso citatos, innuit Macrobius Saturnaliorum primo, c. xij. Et ne inuidiæ causa inter ancillas, & famulos altercatio oriretur, Festum ancillæ quoque, quam simillimum, quod Nonas Caprotinas appellarunt ex comædiæ sunt, die quinta Iulij Mensis, quod vt refert Ἐπιφανιος, & alibi Plutarchus, cum bello Gallico hostilis concubitus dedecus à Matronis, vafro commento, auuertissent, dignæ visæ sint, quæ in huius facinoris memoriam, statodie, matronali vestitu superbirent. Quod, ex pari euentu, apud Smyrnæos quoque celebre fuit. Si verò hæc præterire velimus, non prætereunda ceree Bacchi solennia, in quibus talem imprimis ritum vsurpatum scimus, Threiciarum mulierum Bacchantium habitus, quo schemate, Prognes astu, Philomela delitescens, Terei custodiam euasit, nil aliud, quam Laruas quasdam fuisse deprehenderit, qui Ouidii hos versus vj. Metamorph. attentius considerauerit.

Tempus erat, quo sacra solent Trieterica Bacchi
Sithonia celebrare nurus, nox conscia sacri,
Nocte sonat Rhodope tinnitibus aeris acuti,
Nocte sua est egressa domo Regina, Deiq;
Ritibus instruitur, furialiaque accipit arma
Vitis caput tegitur, lateri cerasina sinistro
Vellera dependent humero leuis incubat hasta,

Et paulo post

Germanamque rapit, raptaq; insignia Bacchi
Induit, & vultus hederarum frondibus abdit.

Cæterum hunc ritum, non apud Thraces tantum, sed & apud Græcos, & Latinos frequentem, peruetustumque fuisse

ex

ex Virgilio habemus Georgicorum ij. cum luculenta adeo Personæ descriptione, vt ea, quæ attuli nullum certius argumentum requirant.

Baccho caper omnibus aris
Caditur, & veteres ineunt proscenia ludi;
Præmiaq. ingentes pagos, & compita circum
Thesida posuere, atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos saliere per utres;
Nec non Ausonij, Troia gens missa coloni
Versibus incomptis ludunt, risuq. soluto
Oraq; cortiçibus sumant horrenda cauatis.

Ne quis autem putaret de Bacchanalibus loqui Virgilium, quorum, & turpitudo nota est, & institutio recentior quæq. breui post (ante Virgilium certe) ob flagitiosam obscænitatem Roma eiecta fuisse perhibet Liuius lib. xxxix. sacra hæc Liberalia fuisse sciendum est. in honorem Liberi Patris, ad vberiorem vinearum prouentum impetrandum instituta, quod ex eo constat, qui proxime post supracitatos sequitur Virgilii versu.

Hinc omnis largo pubescit Vinea fœtu;

Ea Græcis διονύσια fuere, neque flagitiosis & nocturnis congressibus, vt Bacchanalia, sed ludicris quibusdam, & ridiculis, tum quouis anni tempore potu vini vberioris solenniter peragebantur, tum etiam præfinitis diebus. Incidebant enim Romæ post veris initia, quo tempore vina à fecibus eximebantur: In Græcia vero, quod Theophrastus expresse docet χαρακτήρων cap. iij. ἀδολεσχίας, in mensem ποσειδεῶνα, qui, vel fit December, vt facit Theodorus Gaza; vel Ianuarius, vt Iosephus Scaliger, vel vtriusq; partem occupet, quod pluribus probatur, vt magis consentaneum τῷ παντὸς διαμαρτάνει Auberius, qui hunc Septembrem interpretatur, πυανεψιῶνα Iulium, Βοηδρομιῶνα Iunium, quorum ille verius sit Octobris, & Nouembris pars, hic vero Septembris, & Octobris. Sed, ne longius euagemur, quod in his tra-

Digitized by Google

tralatitijs haud difficulter euenit, præter hæc Bacchi sacra, fuerunt etiam minusculæ Quinquatrus, in honorem Mineruæ, in quibus Personæ adhiberentur, si Plutarcho standum, quæstionum Romanarum lv. Idibus Ianuarijs; hi verò Ouidio, fastorum vi. cui etiam Censorinus adstipulatur cap. xi. Idibus Iunijs. Ouidius.

Etiam Quinquatrus iubeor narrare minores,
Huc ades ò coptis, flaua Minerua meis.
Cur vagus incedat tota tibicen in Vrbe,
Quid sibi Persona, quid toga picta volunt?

Censorinus vero. *Non tibicinibus, per quos numina placantur esset permissum aut ludos publice facere, aut vesci in Capitolio, aut Quinquatribus minusculis, hoc est Idibus Iunijs* (malim vrbem, si corrigendi ius mihi arrogarem, non enim facile occurrit, hoc alibi, quam Romæ factitatum) *vestitu, quo vellent Personatis, temulentisq. vagari.* His accedunt, quæ scribit Valerius lib. ij. cap. v. à quo cœremoniæ huius originem petere cuius erit in promptu. *Tibicinum* (inquit) *Collegium solet in foro vulgi oculos in se conuertere, cum inter publicas, priuatasq. ferias, actiones, Personis tecto capite, variaq. veste velatis, concentusq. edunt.* In Megalensibus quoq; qui à die ante Nonas Aprilis, vsque ad v. Idus, in honorem Matris magnæ, celebrabantur, ait libro primo Herodianus; *Summam omnibus quouis ludendi modo concessam licentiam, adeo, vt vnusquisque quamcunq; velet Personam repræsentaret, neq. vlla esset tam magna, aut eminens dignitas, cuius habitum non liceret ei; cui lubitum fuisset induto ludere, & veram speciem occultare, ita vt non facile esset eum, qui imitaretur ab eo, qui reuera esset dignoscere;* hic, vt licentiam huiusmodi adstruendas Commodo insidias opportunam putauerint nonnulli, in fausto tamen euentu. In his etiam sacris, ante Deæ simulacrum ludere, Matronasque spectatæ pudicitiæ psallere solitas, memoriæ prodidit Alexander ab Alexandro Genialium xvi. cap. xix. quin, & con-

uiuia

uulis ſodalitateſq. inuicem agi; & quod Ouidius teſtatur faſtorum iv. Scenici ludi populo exhiberi.

Scena ſonat, ludiq. vocant ſpectate Quirites,
Et fora Marte ſuo litigioſa vacent.

Herculis etiam ſacra apud Coos Antiſtitem auſpicaturum, muliebrem ſtolam induiſſe, capitique mitram circundediſſe narrat Plutarchus quæſtionum Græcarum lviii. ex eo occaſione deſumpta, quod Hercules ipſe, è Troia rediens, illuc tempeſtate delatus, cum Meropum multitudine oprimeretur, ad Treſſam quandam mulierem confugere, taliq; illos habitu fallere ſit coactus. Eoddem prorſus ornatu (Tacito referente) Caſtoris, & Pollucis antiquæ religionis luco, apud Naharualos in Sueuia ſacerdos præſidebat. E contra vero, mulieres apud Argiuos, patriæ ab hoſtibus Spartanis, poſt viros ingenti internecione cæſos proprio Marte vindicatæ, glorioſum illud μνῆμα ſeruarunt, quod Plutarchus ἐν γυναικῶν ἀρεταῖς commemorat, vt in ipſo Nouilunio quarti menſis (qui Thot olim Aegyptijs, ipſis pari ſignificatione, Ἑρμαῖος, nobis September eſt) quo die ab ipſis proſpere pugnatum fuerat, ſacra quotannis celebrarentur ὑβριστικά, id-eſt contumelioſa, quibus mulieres ipſæ virilibus tunicis, viri autem mulieribus induti intereſſent. Qua in re non tam videtur admiratione dignum, quod fœminile robur Naturæ modum exceſſerit, quin vberiorem riſum eliciat turpis virorum tolerantia, qui talem à ſe, quaſi muliebris ignauiæ confeſſionem extorqueri permiſerint: Recte enim, ſapienterq. Charondas (quod ſcribit Diodorus lib. xij.) nullum cenſuit grauius ſupplicium irrogandum ijs, qui, vel in prælijs ordines deſeruiſſent, vel patriæ cauſa armorum periculum ſubterfugiſſent, quam, vt in certiſſimum timiditatis, & inertiæ teſtimonium, muliebri ſtola exornati in medio foro omnium oculis exhiberentur. Cyprii quin etiam, quod Venerem marem ſimul, & fœminam exiſtimarent (vt cap. viii. lib. iii. Saturnalium Macrobius) ſignum ipſius habuerunt ſtatura

effigieq. virili, vtpote barbatum, veste autem muliebri, cui sacrum facturi apud Atthidem viri simul, & mulieres indumenta vicissim commutabant. Et, Festo docente; ***Mutini Titini sacellum fuit Romæ, cui mulieres velatæ togis prætextis solebant sacrificare.*** Quod velamenti genus, cum vtisq; esset extraordinarium, non iniuria inter Personas locum sibi vindicat; seu prætextam velimus (quod vero videtur similius) peculiarem fuisse Magistratum quorumdam, puerorumq. nobilium; seu cum Asconio Pediano fœminis vsquad nuptias etiam communem. Mutinus autem ille, erat, quem Arnobius libro iv. & Lactantius Institutionum, 1. cap. xx. Mutunum appellant, cui horrenti fascino (Vndè illi proculdubio nomen, ceu à Mutone aquo etiam tales aliqui mutoniati dicuntur) sponsæ nubentes insidere permittebantur, quasi auspicabile ducerent cæca illa pectora, quod illarum pudicitiam Deaster aliquis prior delibasse videretur. Ne autem pars vlla nefarij cultus Personæ velamento destitueretur, apud Plutarchum περὶ δαιτιδαιμονίας refert Empedocles, solitos fuisse Pœnos, quotiescunque propria pignora hostias Saturno immolarent (quod consuetum illis, præter omnes humanitatis leges) ipsorum genuinam formam alio schemate transformare, ea forte de causa, ne patrius affectus ab illa tam perspicua agnitione excitatus, facinus execrandum retardaret. In sacris etiam Bonæ Deæ Personas adhibitas, tradit Iacobonius quidam, de Veteri Cæsiorum gente, quo auctore non compertum: Suspicor vero, in quosdam versus illum incidisse, quibus Iuuenalis Satyra ii. fœdissimas suorum temporum libidines exagitans in ipsius Deæ secretis sinistrum morem inualuisse demonstrat. Vidit, inquam, aut fallor, versus illos Iacobonius, putauitq; apparatum illum, quo viri modis omnibus in fœminas deformati describuntur, non, vt res est ad execrandæ libidinis vsum sed ad sacrorum ritum pertinere; quæ dicta sufficiant, ne videar in lapsibus alienis (quod angue peius exhorreo) ingenioſus

Vide an huic Deo Mutuno conueniant, quæ refert Ouid 6 Fastor. vers. 627. vsq; ad 635. & Dionys. Alicarn lib 4. in princ. de Seruij Iulij Regis ortu.

S. Aug. lib. 6. cap. 9.

Digitized by Google

niosus esse velle; licet Iacobonius idē, cum eandē, quæ Isis est, faciat Bonā Deā, manifestissimo rursus, nec tolerabili errore labi videatur. Isidis tamen sacrum apparatum, tanta schematū diuersitate, ridiculisque commentis instructum describit Apuleius Metamorphos. lib. xj. vt nulla verius Pompa; Personatorum quoddam simulachrum, & imitationem repræsentet. *Ecce* (inquit ille) *Pompæ magnæ paulatim procedunt anteludia, vocibus cuiusque studijs exornata pulcherrimè. Hic inincto baltheo militem gerebat; illum succinctum clamyde copides, & venabula venatorem fecerant; alius soccis obauratis, indutus serica veste, mundoq; pretioso, & adtextis capite crinibus, incessu perfluo fœminam mentiebatur; porrò alium ocreis, scuto, galea, ferroq; insignem è ludo putares gladiatorio precedere: Nec ille deerat, qui Magistratum fascibus purpuraq. luderet; nec, qui pallio, baculoq; & baxeis, ethircino barbitio Philosophum fingeret; nec, qui diuersis arundinibus, alter aucupem cum visco, alter piscatorem cum hamo indueret.* Cætera verò, quæ longa oratione prosequitur Apuleius, qui legere apud ipsum volet, haud iniucundam descriptionem habebit frequentissimæ vtriusque sexu turbæ, in qua alius prout libido esset alium gestaret habitum, à vero tamen longe diuersum, & in qua, vel ipsi Antistites saruatorum præseferrent imaginem, partim augustiori, quam pro consuetudine indumento, partim vero canis, aut etiam bouis facie susceptā. Quæ licet ex Aegyptiorum institutis emanasse videantur, non tamen ferendum, quod in Personatis Calcagninus hunc locum innuens, de Aegypto loquatur, cum apud Cenchreas quod fuit Corinthiorum nauale, hæc se vidisse referat ὁ ἀνὴρ ille Philosophus. Mystas etiam Syriæ Deæ, quodammodo Personatos eius simulachrum deduxisse auctor est Apuleius idem Metamorph. ijx. *Varijs eos*, dicens, *coloribus induſiatos, & deformiter formatos, facie cæno so pigmento delita, & oculis obunctis graphicè prodijsse, mitrellis, & crocotis, & carbasinis, & bombicinis*

bicinis iniectos. Et hæc quidem de Personarum in sacris, festiuisque Idolorum diebus apud veteres vsurpatione.

IDem ritus in epulis, & commessationibus, testimonijs & exemplis comprobatus. In ijsdem Larua argentea è Petronio. κομάτα *apud Ausonium. Mos Aegyptiorum, Chiensium, Graecorum, & mulierum Argiuarum. Lycurgi institutum.*

Caput IV.

DEORVM sacris, atq. solennitatibus epulæ, & conuiuia proximè accedunt, siue publica ea sint, siue priuata; In ijs verò Personas nonnunquam adhibitas, & χαμαιπετεῖς testes ex antiquitate locupletissimos habemus. Atheniensium quidem moris fuisse in talibus Personas gestare, Demosthenes de falsa legatione docet, his verbis de Epicrate loquens. *Et huius execrandi Cerybionis, qui in solemnitatibus sine Persona comessatur.* Homini sic exprobrans summam impudentiam, quod cum non puderet aliorum consuetudini aduersari, & sine Persona publico, festoq. conuiuio interesse. Idem etiam apertè satis Philostratus innuit ἐν εἰκόνι Comum Deum describens, quem multa turba circumseptum depingit, *in qua* (inquit) *mulierculæ cum viris incedunt, & calceamentum commune habent, & præter propriam amictiuntur consuetudinem, nam Comus & mulieri virum agere, & viro stolam induere muliebrem, muliebriterque incedere permittit*; vtpotè, qui ebrietatis, & comessationum Deus sit creditus, vt Philostratus idem infra ἐν ζωγραφῇ, & αὖ δμῶες. Neque exempla desunt ad hæc comprobanda, legimus enim apud Athenæum lib. xij. Alexandrum illum Magnum cum lautius solito conuiuiuia celebraret, nunc Hammonis habitum purpureum, & cornua, tanquam Deum gestasse, nunc in Dianam se, aut Herculem, aut Mercurium refinxisse,

quæ

Digitized by Google

quæ sanè fictiones, effigierumq. variationes (absque oris tegumento fuisse concedamus) Regem tamen illum verè laruatum, Personatumq. constituebant. Pari modo Augustus epulum amicis dedisse traditur, quod vulgo κατ' ἐξοχὴν vocabatur, in quo Deorum, Dearumq. habitu exornati conuiuæ discumbebant ipseq. præcipuè Apollinis ornatu conspicuus. Qua de re festiuum est hoc, quod sequitur Epigramma apud Suetonium in eius vita capite lxx.

Cum primum istorum conduxit mensa choragum,
Sexq. Deos vidit Mallia, sexq. Deas;
Impia dum Phœbi ludit mendacia Cæsar,
Dum noua Diuorum cœnat adulteria:
Omnia se à terris tunc numina declinarunt,
Fugit, & auratos Iupiter ipse thoros.

Quin, & publicè acclamatum est, Deos frumentum omne comedisse, cum summa penuria, & fames inter hæc ciuitatem vrgeret. Solitum etiam fuisse, vt Laruæ quædam in medium conuiuium iacerentur, ea arte fabricatæ, vt figuram quamlibet exprimerent è Petronij Satyrico vulgatum est, cuius hæc sunt verba: *Potantibus ergo, & accuratissimè lautitias nobis mirantibus, Laruam argenteam attulit nobis seruus sic aptam, vt articuli eius, vertebræq. coactæ in omnem partem flecterentur. Hanc, cum super mensam semel, iterumque abiecisset, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret; Trimalcio adiecit;*

Heu, heu, nos, miseros, quam totus homuncio nil est,
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet orcus.

Quæ res ideo fiebat, vt mutationis, breuitatisque vitæ homines commonefacti ad lætitiam incitarentur, quò de præsentis vitæ fructu nihil abijcerent. Tangit etiam hunc morem Ausonius in Præfatione Eydilli xiij. iudicrq. hoc genus illud esse asserit, quod supra diximus σοβαδικὸν, Latinis oscilla nuncupari. Id verò notum est ab Aegyptijs profectum, apud quos solenne erat (teste Herodoto in Euterpe) vt vnus aliquis

quis ligneum cadaver inter epulas circumferret, convivas hoc pacto ad bibendum, & oblectationem invitans. Nec prætereundum hoc loco quod de Chinensibus scriptum invenimus, quam gentem bonis moribus excultam, multarumque rerum admirabilium ante Europæos inventricem fuisse consentiunt de rebus Indicis vniversi ferè Scriptores; consuevisse eos scilicet, vt nullius generis lautitiarum desiderium relinquatur, convivas, quos opiparo admodum apparatu excipiunt, per homines Personatos iocis, & facetijs oblectare. Pertinet huc etiam, quod de Cois habet Plutarchus quæstionum Græcarum lijx. statutum apud eos, vt in nuptiarum solennibus vir muliebri veste vteretur, quo veluti Symbolo demonstratum fuisse crediderim, vel alternam operam viri, & vxoris in re familiari administranda necessariam, vel potius virilem animum vxorijs, patrijsque affectibus debilitari, quasiq. effæminari plerunque solitum, iuxta eam Lucretij sententiam.

Vid. Plin. epist. 15. lib. 1. & epist. 36. lib. 9.

Et Venus imminuit vires, pueriq. Parentum
Blanditijs facile in genium fregere superbum.

Quam Tassius noster Poematis emendatissimi Rhapsodia x. In Organo quodam elegantissime expressit.

E lieto hemai de' figli, era inuilito
Ne gl' affetti di Padre, e di Marito.

Huic vero Coorum consuetudini legem, quasi contrariam ab Argiuis mulieribus, post rem bene gestam insolescentibus sancitam, qua nuptæ in ipso concumbendi actu barbam habere iubebantur, sat erit digito in innuisse apud Plutarchū de mulierum virtutibus, cum nihil suboleat prorsus, nisi muliebris impotentiæ redundantiam, in virili sexu proculcando fero citer de bacchantem. Probabiliore consilio apud Spartanos Sycurgus nubentibus fœminis virilem habitum, capillorumq. tontum designauit (quod ex eiusdem auctoris arcula deprompsimus) vt, quas cæteroquin masculis exercitationibus assuefactas volebat, tali mysterio commonefaceret,

ad

Digitized by Google

ad hoc potissimum virile robur, animumque necessarium ipsis futurum, vt onera vitæ coniugalis intrepidè sustinerent.

Personæ in Triumphis θρίαμβος *vnde. Huius rei ab Atheniensibus origo. Personæ in bellis, &* χημαπεμοι *ad hostes decipiendos, sed, & ad terrendos, cuius rei exempla è Gelonis, Aethiopibus, Phocensibus, Arijs, Hunnis, & Britannis, vbi per occasionem glasti vox asserta apud Cæsarem; & de Agathyrsis Seruius mendacij conuictus. Exemplum è Britannicis item muliebris. De veteribus quibusdam armaturis, & Turcarum Dellys.*

Caput V.

SI verò in bellis etiam, immo, & in ipsa Triumphi celebritate Personatum quandam speciem visam dicamus, ne quis absurda nimis me proferre existimet: De triumphis enim notum est, adeo, vt à thrijs, quæ ficulnea sunt folia, quæq. ante inuentas Personas earum vicem supplebant, Triumphi nomen deductum aliqui velint. *Priusquam enim* (ait tomo ij. Zonaras in Diocletiano) *scenici Personas excogitassent, ficulneis foljs facies velati, dicteria versibus iambicis proferebant, quam licentiam, & milites in Victoriæ festiuitate, eodem ornatu, in Victores vsurpabant, atq. hinc Triumpho nomen:* ἀθρίον, scilicet, & ϑαμβος, θρίαμβος, quæ vox paulisper immutata latine Triumphum effecit, quod & Sudias quasi confirmare videtur; licet alij non desinit, qui nomen hoc aliundè deriuasse opinentur. Vtcunq. sit, talem apud Romanos militum licentiam in Triumphis non est qui ignoret, quod validissimi argumenti loco deseruit. Indicat præ cæteris lepidè Martialis lib. jv.

Consueuere iocos vestri quoq. ferre triumphi,
Materiem dictis nec pudet esse Ducem.

& lib.

Digitized by Google

& lib. vij.

Feſta coronatus ludet conuitia miles,
Inter laurigeros cum comes ibit equos.

Quam licentiam à veteri Athenieſium inſtituto fluxiſſe, vero haud abſimile videtur apud quos nihil minus permittebatur Perſonatis hominibus celebres quoſcunq; viros, in publicis Pomparum apparatibus, conuitijs appetere. Quod priuſquam occurreret apud Dionyſium Halicarnaſſeum lib. vij. didiceram ego ex Demoſthenis oratione περὶ τῆς παραπρεσβείας in qua tale probrum ab ipſo Aeſchini obijcitur. *Et ſi pileolo capiti impoſito ob ambularis & in me conuitia dixeris*; quo loco eius ſcholiaſtes Vlpianus annotat: *Homines Perſonas geſtantes in Pompis conuitiari ſolitos, infraq. eas pileolos habuiſſe ne laederetur, & attereretur caput*; non tantum πιλίδια nominans vt Demoſthenes, ſed expreſſius etiam προσωπεῖα. Si quis autem abſurdum exiſtimaret, quod pileolos infra Perſonas habuiſſe tales dicantur, qui, ſecundum probabiliorem veriſimilitudinem eas infra pileolos habuiſſe debuerant, is conſiderandum ſibi proponat, nulla re nos prohiberi, quo minus credamus, fieri potuiſſe, vt Veterum Perſonæ ea fuerint forma & magnitudine, qua, ſinciput vniuerſum occupantes, eiuſmodi pileolis locum infra ſe facile relinquerent. Adſtipulantur iis, quæ diximus, Hermogenes libro de Methodo grauitatis, nec non Plutarchus τὸ πολιτικὸν ἐκ παραγγέλμασι, ciuilem virum à tali petulantia ſpecioſiſſimo auocamento deterrens: Atq. hinc eſt, quod Socrates nihil commotus ſit, ob contumelioſa in ſe Ariſtophanis verba, quod (vt eſt apud eundem περὶ παίδων ἀγωγῆς) nihil differre perſuaſum haberet in Theatro ne, an in publico conuiuio dicterijs inceſſeretur. Quis neget autem, haud multum à Perſonatis diſtaſſe Alexandrum illum Magnum, eiuſq. copias cum (vt refert Q. Curtius, cæterique eius vitæ Scriptores) comeſſabundus per Caramaniam inceſſit, Bacchi cum triumphum imitatus, ita, vt exercitus ille non militum,

Digitized by Google

litum, sed furentium Baccharum chorus videretur. Et hæc quidem de Triumphis ad propositum argumentum in mentem venere. De Personis verò, seu Personarum quadam specie in ipsis præliis, vel ad circumueniendos, vel ad perterre faciendos hostes vsurpata; quantum quidem ad fallendos, hoc inter sagaciora stratagemata semper obtinuisse testantur historiarum monumenta, maximeq; qui talia collegere Frontinus, & Polyænus, vt valentiores quiq. è militibus, ex occasione, vel in fœminilem habitum componerentur, quod fecit Solon aduersus Megarenses, vel etiam in hostilem, quod Darius aduersus Sacas, Cimon aduersus Persas, Cato aduersus Pœnos, aliique aduersus alios fecere. Quo similiter respicientem Punicam Hannibalis versutiam, non est cur prætermissam velimus, quem libro tertio narrat Polybius à Celtis sibi metuentem, cum apud eos in hibernis esset, nec recens cum illis contracto fœderi satis confideret, adaptatis sibi cuiuscunq. generis capillamentis, vestibusq. vnicuiq. eorũ congruentibus desumptis, occurentes singulos fefellisse adeo vt ægre vix ab intimis familiaribus agnoscerentur. At quod terrorem inferendum, vt res est minus fortasse cognita, pluribus videtur exemplis confirmanda. Horrendum præbuisse spectaculum, super omnia Laruarum terriculamenta, credendi sunt Geloni (è Scythis ij fuere) de quibus Claudianus aduersus Rufinum primo.

Membraq. qui ferro gaudet pinxisse Gelonus.

Ex quo *Pictorum* Epiteton nacti sunt apud Virgilium. ij. Georgicorum. Hi prodeuntes in prælium, quod Pomponius Mela docet libro ij. cap. j. attestaturq; Solinus c. xxv. *Hostium cutibus equos, seq. velabant, illos reliqui corporis, se capitum*, quod & quotidiano vestitu Antropophagi fecere, *Cutibus cum capillo* (verba sunt Plinij libro vii. cap. ij.) *pro mantelibus ante pectora vtentes*. De Aetiopibus habet Alexander Genialium 1. cap. xv. eos dimidiatum corpus minio, dimidiatum gypso illinire solitos, quod & Phocenses aliquando

do feciſſe, tradit Herodotus Vrania, Telleam quendam Eleum vaticinum narrans, ſexcentos viros è Phocenſibus præſtantiſſimos, gypſo tam ipſos, quam arma obleuiſſe, eoſque ſub noctem Theſſalis immiſiſſe, quos Theſſalorum primo excubitores, prodigium quoddam arbitrati, mox exercitus ipſe adeo exhorruit, vt ad ampliſſimam victoriam locum Phocenſibus dederit. Arij Germaniæ populi (vt eſt apud Tacitum in Germania) *Inſita feriati tinctis corporibus arte lenocinabantur, ipſaq. formidine, atque umbra feralis exercitus terrorem inferebant, nullo hoſtium ſuſtinente nouum, ac veluti infernum aſpectum.* Quamobrem non penitus laudo caret, quod in ſcenicis tot, tantęq. nationes terribilé aſpectũ in militarib. congreſſibus affectiuerint. Nam quod ſubijcit idem Tacitus, *Primi in omnibus prælijs oculi vincuntur.* Hunni etiam præliaturi, ſi Bonfinio fides Hiſtoriæ Hungaricæ libro ſecundo. *Hirſutis ſe pellibus induebant, barbiſque demiſſis, & intonſis crinibus, villorum inſtar feroces tantum terroris toruis obtutibus adijciebant, vt ſolo aſpectu, ne dum congreſſu hoſtes abſterrerent.* Sed omnium maximè, quod ſciam, Britannis celebris hæc conſuetudo fuit, *vt glaſto ſe inficerent, quod cæruleum efficit colorem, atque hos horribiliori eſſent in pugna aſpectu*: quod de his teſtatur Cæſar belli Gallici lib. v. apud quem, non ſatis mirari poſſum, quamuis aliam lectionem nec ſine veterum librorum auctoritate, inualuiſſe potius, quam glaſti vocem; quam genuinam eſſe lectionem, vel ex eo certum eſt, quod Plinium habemus lib. xxij. cap. 1. talem appoſitè glaſto proprietatem aſſerentem. Ex hac corporum tinctura factum eſt, vt apud diuerſos auctores, diuerſa nomina ſortiti ſint Britanni: Eos enim Propertius *Infectos* appellat, Martialiſque alibi *cæruleos*, alibi *pictos*. Niſi epitheton hoc ad id referre malimus, quod de iiſdem tradit Solinus cap. xxxv. *Britannis per aniſices plagarum figuras iam inde à pueris, variæ animalium effigies incorporantur, inſcriptiſque viſceribus, hominis inertes*

nequo

Digitized by Google

mento pigmenti notæ crescunt: Hoc idem confirmat Herodianus lib. iij. ad Seueri vsque tempora seruatum fuisse; ex quo fortasse fuit, quod gens ex illis Pictorum nomine, non patrio, & veteri, sed è renato à Romanis sit appellata, quod conijciendum reliquit Claudianus eo versu in iij. Honorij Consulatu;

Ille tuos Mauros, nec falso nomine Pictos
Edomuit,

Qui, & in bello Getico dixerit.

Vinit & extremis legio prætenta Britannis,
Quæ Scoto dat frena truci, ferroq. notatas
Perlegit exanimes, Picto moriente, figuras

Stigmata Britonum Tertullianus nominat libro de velandis virginibus, & *Pigmata* Isidorus originum lib. xix. c. xiii. Seruiusq. ad illud iv. Aeneidos.

Cvretes, Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi:

Picti autem, dicit, *non stigmata habentes, vt gens in Britannia. sed pulchri, hoc est cyanea coma placentes*: Quem tamen, quod pertinet ad Agathyrsos, Solinus cap. xxii. cum eoque Mela lib. ij. cap. 1. mendacij arguunt, disertè exprimentes; *Ora, artusque pingere solitos Agathyrsos, & sic, vt ablui nequirent, & quanto quis altero præstaret, tanto propensiore se nota tinxisse, vt esset indicium humilitatis minus pingi*. Simile quiddam de Getis Claudianus indicat de bello Getico.

De Thracum mulieribus itidem picturatis V. Athen. lib. 13. l. 524

Crinigeri sedere Patres, pellita Getarum
Curia, quos plagis decorat numerosa cicatrix.

Quod & de multis oræ Aphricanæ populis, & de Floridensibus in America narrant, qui eas regiones perlustrarunt. Et, vt ad Britannos redeam, notatu dignum illud est, quod ad rem facit, fœminas eorum scilicet, virorum ferociam imitatas habitu terribili sumpto, aliquando in aciem prodisse. Testem dabo Tacitum Annalium xiv. *Stabat pro litore* (de Mona insula loquitur, quo se perfugæ receperant, incolisq.

ſociauerant) *Diuerſa acies, denſa armis, viriſque intenturſantibus feminis, in modum furiarum, veſte feruli, crinibus deiectis, faces præferebant.* Cuius aſpectus nouitate, milites adeo perculſos affirmat, vt, quaſi hærentibus membris, immobile corpus vulneribus præberent. Huc congruenter caderet, quod Longobardicæ mulieres feciſſe dicuntur, capillis in modum barbæ compoſitis, quo numeroſioris exercitus ſpeciem præberent, vnde illi genti nomen; ni, qui eius Hiſtoriam conſcripſit Paulus Diaconus fabulam hanc ceu anile commentum, exploderet. Quod verò liquido demonſtret, hoc veluti ſtratagema non populorum ſolummodo prioribus ſæculis agreſtium, ſed, & mitiorum, prudentiorumq. fuiſſe; viſuntur hodieq. in celebrioribus potentiorum Dynaſtarum armamentarijs peruetuſtæ caſſides, Perſonarum inſtar, & ad humani vultus, & ad brutorum ſimilitudinem fabricatæ. Tales prorſus à Germanis adhibitas, auctor eſt Plutarchus in Mario, quemadmodum Celtas Diodorus ait lib. vi. in iis, vel naturalia cornua appoſuiſſe, vel auium, & quadrupedium effigies expreſſiſſe; Nec diuerſum valde Parthorum ritum affert è Suida Lipſius Dialog. v. lib. iij. de Militia Romana, qui non ferarum imagines, ſed capita ipſa galeis adaptabant, earum rictibus ad augendum horrorem vtentes: fuitq. id etiam Romanis ipſis familiare, vt non ſolum ſigniferi omnes (quod Vegetius habet cap. xvij. lib. ii.) galeas haberent *ad terrorem hoſtium Vrſinis*, vel vt alii legunt *hirſutis pellibus tectas*, ſed & milites vniuerſi, Polybio teſte, Lupi pellem, aut eiuſmodi aliquid ipſis imponerent. Vnde eſt, quod galeæ nomen non à galero, ſed à ſelina pelle, licet non ſatis appoſitè deducendum Ioſephus Scaliger arbitretur in ſuis ad Varronem coniectaneis, quaſi ἀπὸ τῆς γαλῆς tantummodo, nec aliundè, nomen ſumpſiſſe debuerit, quod ex cuiuslibet animalis exuuiis conficiebatur. Quæ dicta ſufficiant, ſi corollarii loco tantum adijciamus, quæ libro iv. cap. xiij. Itinerum Orientalium

Digitized by Google

talium refert Nicolaius; quosdam esse apud Turcas armaturæ leuis equites, sine stipendio militantes, quos Dellyos vocant, quasi eo idiomate stultè audaces, tum, quia insignis eorum sit præ cæteris, in prælijs conserendis audacia, tum quia deformi habitu, non tam conspicuos se, quam ridiculos præbeant, cum viloſis Vrsorum pellibus totum corpus induti, caput Leopardi exuuijs contecti, singularis ornamenti loco in ipso frontis medio immensam Aquilæ caudam gestantes, eiusdemq. alis parmæ defixis exemplar verissimum effingant larualis simulacri.

Promiscua quædam de Personarum vsu: Puta in luctu vt Lycij. In Cæsarum ἀποθέωσι, & Virorum illustrium funeribus. In nocturnis Bacchationibus. Alexandriæ in thure interpolando. Pollucis lux de mulierum Personulis. Idem correctus. Chinensium fœminarum Persona. Χημασμοὶ luxus, & libidinis causa, tum virorum, tum etiam populorum; quod improbatum ex veteri lege Deuteronomij. Senecæ loci duo ex collatione illustrati. Mulieres sexum mentitæ.

Caput VI.

NON tantum in ijs, quæ supra recensuimus, Personas, habitusq. fictitios suscipere è veteri more fuisse sciendum est, sed, & in multis alijs, quæ vnico hoc capite promiscuè visum est superioribus adtexere. Consueuere Lycij, vt ex Valerio Maximo comperimus libro ij. capite vi. cui, & fauet Plutarchus ἐν παραμυθητικῷ πρὸς Ἀπολλώνιον *quotiescunq. eis luctus incideret, vestem muliebrem induere, vt deformitate cultus commoti maturius stultum proijcere mœrorem vellent.* Quod prudenti consilio cauit, qui legem illis præscripsit, luctum significans rem esse muliebrem, & à virili dignitate remotam, proinde celeriter excutiendam. Quin, & cum

Roma-

Romanorum Principum, seu efferretur funus, seu consecratio perageretur Personas fuisse visas testis est locupletissimus Herodianus, libro iv. cui vel soli nefas sit fidem derogare, ni testes etiam alii duo accederent ἐκ τῶν δὶς ἑπτὰ Dionysius Halicarnasseus, & Suetonius, quorum ille certiores nos reddit lib. vii. priscis etiam temporibus *Satyricos Saltatores in Illustrium virorum funebribus pompis feretrum praecessisse*: Hic autem in Vespasiano, talem consuetudinem funeribus Cæsarum nominatim adscribit, in ipsius Vespasiani funere inquiens, Fauonem Archimimum, Personam eius ferentem, vt moris erat, facta, ac dicta viui imitatum fuisse. Porrò hæc sunt Herodiani verba. *Currus item decemi ordine circumaguntur* [circa rogum nempè, in quo Principis iacebat cadauer] *insessi purpuratis rectoribus, qui Personas ferant, imagines habentes omnium Romanorum, qui gloriosè exercitus duxerunt, vel regnarunt; quæ, vbi celebrata sunt, funem capit imperij successor, &c.* Fuit præter hæc antiquitus peruersis adolescentibus in more positum, Laruis susceptis, vrbes noctu peruagari, commentitioq. schemate, obuios quoscunq. ludificari, qui fortè mos etiam num vigeret, ni procacitas huiusmodi rectorum seueritate coerceretur; Quam veteres tamen haud impunitatem relinquerunt peculiari constituto Magistratu, qui nocturnos errones castigaret, quod ex iis Sosiæ serui verbis apud Plautum Amphitruone colligitur, vbi is, multa iam nocte præ foribus obambulans, inquit.

Quid faciam nunc, si tres viri me in carcerem compegerint?

Inde quasi è promptura cella depromar ad flagrum.

Exemplum iis, quæ diximus suppeditat Aelianus ποικίλων ix. cap. xxix. in hæc verba. *Socrates aliquando, concubia nocte reuertebatur à coena; Adolescentes igitur scelerosi, & nequam cum eum redire cognouissent, clam in insidijs expectarunt, cum accensis facibus, & furiarum Personis; Socrates*

vero

viro (vt qui non minus, quam improborum scommata, horrifica etiam quæcunque contemnere nosset) *cum eos aspexisset, nihil perturbatus constitit*. Consimili exemplo, Neronem noctu per Vrbem debacchari solitum, referunt Suetonius, & Xiphilinus, eo vsque dementiæ prouectum, *vt putaret etiam homines esse, propterea quod varijs generibus vestirentur, & appositis comis verterentur*. Quod & his verbis Annal. 13. confirmat Tacitus. *Nero itinera vrbis, & lupanaria, & diuerticula vesse seruili in dissimulationem sui compositus pererrabat comitantibus qui raperent ad venditionem exposita, & obuijs vulnera inferrent aduersus ignaros adeo, vt ipse quoque accipere ictus, & perferret*. Neque alienum est à re nostra, quod Langlæus affert è Plutarchi Cimone, de Damone illo Peripolta Chæronensi, qui nocte tempore æqualium coitione facta, faciesq. fuligine infecta Romanum quendam obtruncauit, à quo de stupro interpellatus vim pertimescebat; vt hoc exemplo fidem faciat, vetustam esse hanc peccandi consuetudinem, vt nocturni grassatores sub quouis velamento, horrenda quæuis facinora perpetrandi sumant audaciam. A cuius facinoris similitudine haud multum abest, quod Plutarchus de Thebano Pelopida scriptum reliquit, & Heraclides de Antenore Cephalenio, quorum vter que multebri amictu arm is superimposito, suæ quisque Patriæ Tyrannos, tali commento deceptos, egregiè trucidauit. Nec silendum, quod habemus è Plinio lib. xij. cap. xiv. vnde insignem quandam curam dignoscamus ab Aegyptijs adhibitam, vt in commercijs ius cuique suum tribueretur. *Alexandriæ* (ait ille) *vbi thura interpolantur, nulla satis custodit diligentia officinas, subligaria signantur opifici, Persona adijcitur capiti, densusue reticulus, nudi emittuntur*. Vt scilicet omnem aditum ad aliquid surripiendum opifex sibi præclusum videret. Cum verò reticulum illum velint nonnulli inter quos Langlæus, accipi debere pro fascia quadam linea, vel lanea, ad similitudinem retis facta, quam

faciei

faciei quis admoueat, ne agnoscatur, in hunc sensum verba illa Ciceronis detorquentes, quæ Actione vj. in Verris mollitiem profert; ***Reticulumque ad nares sibi admouebat tenuissimo lino, minutisque maculis plenum rosæ.*** Consideratio inde subijt (quamuis delicatos homines ad fœtores potius declinandos, quam ad faciem tegendam, talia crediderim adhibuisse) non recens inuentum fuisse, quod pleraſque matronas, & præcipuè Gallicas facitare videmus, vt nempè, ad Solis æstum, & ventorum rigorem, siue etiam ad pulueris molestiam depellendam, tenui aliqua Personula sibi vultum operiant. Idque eo audentius asseruerim, quod à Polluce lib. x. cap. xxxix in vasculorum ordine connumerari videam προσωπεῖον, μυρμολύκειον, γοργεῖον, & ex Platone in Sophistis, linteam faciem; ὀθόνιον enim prorsus πρόσωπον vel vt Hesychelio placet; ὀθόνινον, non vt impressi habent ὠθονιόν legendum. In cuius vocabuli explicatione haud mirum est, eruditissimum Bullengerum, ansam se frustra fatigandi reperisse, à mendaci scriptura ὦ pro ὀ deceptum, quæ cuiuis etiam facillimè imposuisset. Et, quod ad rem pertinet expressius supra cap. xxix. inter instrumenta Gynecæi προσωπίς, & ex Aristophanis Danaidibus προσωπιδιον, hoc est Personula ab eodem Polluce reponuntur. Eandem consuetudinem retinere nobiles in China mulieres, elegantissima illinc aduecta peripetasmata demonstrant, in quibus tum variæ nicent animalium picturæ, tum præcipuè mulierum imagines, quæ Personatæ lectica vehuntur. Immane autem ad quantam longitudinem oratio excresceret, si de ijs etiam minutatim differere liberet, quos & luxus, & perditæ etiam libidinis gratia, vel muliebri, vel alio cuiusuis generis ficto indumento amiciri solitos reperimus. Non deficiunt tamen exempla, si hominum singularium quæras Nyniæ, Sardanapali, Caligulæ, Neronis, Commodi, Eleogabali, cæterorumque huiusmodi, quos naturæ piaculis iustius, quam hominibus adnumeres; quibus adiungas licet Polystratum illum Athenien-

sem,

Digitized by Google

sem, Theophrasti discipulum, quem refert Athenæus lib. xiij. tam molli, effœminatoq. fuisse animo, vt, quod Herculem olim Omphale ancillantem fecisse dicunt, tibicinarum vestes induere sustineret. Si vero Vrbium etiam, & populorum, Sybaritarum, Massilienſiumq. vnde ortum in molles, & pathicos prouerbium, πλεῦσεις μασσαλίαν; *nauiges Massiliam*, nec non Cumanorum, quorum pueros Aristodemus Tyrannus ia fœminarum modum comptos incedere coegit. Et, præter hos, Indorum quorundam noui orbis accolarum, eorumq. præsertim, qui circa Portum Veterem, & Punam insulam habitant; quos fama est, à Scriptoribus confirmata, in templis Idolorum suorum Catamitos aluisse muliebri habitu ornatos, vocem, incessumq. fœminarum æmulantes; Quæ omnia lectori cupido abundè suppeditabunt Diodorus Siculus, Athænæus, Suetonius, Lampridius, Herodianus, Xiphilinus, alijq. Historiarum Scriptores quamplurimi: Cæterum ad huius nequitiæ detestationem pertinere haud dubito (non enim nefas, cum res poscat his, licet ludicris, sacra quædam admiscere) quod in veteri testamento Deuteronomij. cap. xxij. peculiari præcepto cauerit Deus, *Ne induatur mulier veste virili, neue vtatur vir veste fœminea, abominabilis enim est apud Deum, qui facit hæc*, Vt qui abusu intolerabili Naturæ ordinem peruertat, seq. omni potius vel grauissimo supplicio, quam hominum consortio dignum reddat legibus vniuersis in tantum scelus insurgentibus, nec ijs tantū legibus, quæ Diuino, humanoue consilio promulgatæ conspiciuntur, sed & ijs, quas receptis moribus, sine scripto Natura ipsa stabiliuit; quarum exempla hæc imprimis sibi assignanda Plato existimauit, vt ne quis nudus in publicum progrederetur, neu muliebri vteretur indumento. Non malè igitur, licet non satis pro necessitate dixisse Seneca videtur Epistola cxxij. *Contra Naturam viuere, qui commutant cum fœminis vestem*. Quem locum non alio spectare euincunt hæc, quæ proximè sequuntur verba. *Non viuunt con-*

Prohibetur ēt fœminis virilis habitus C. si qua mulier dist. 30.

Ad hanc legem Vq dicat Philo li. de fortitud.

Clem. Alex. stro. 12. q. 1. nē habet ea lex.

An non vult nos esse veros, & nec corpore, nec factis, nec verbis nec mente

effœminari V. Cic. 1. de off. & 4. Tuscul. Plut. de aff. erga liberos. V. Laer. in Aristip. & Plato dixerit non posse se effœminata veste vti cum esset vir. &c.

tra Naturam, qui expectant [Lipsius *expetunt*, ingeniosè nimis in Scriptore circa verborum delectum penitus incurioso) *vt pueritia splendeat tempore alieno*? Non enim hæc ita distiguuntur à superioribus, vt sensum ex alterutris diuersum elicere debeamus: En Seneca ipse Epistola xlvij. quo perspicue magis liqueat sententia, ex alterius loci comparatione; *Alius* [inquit] *vini minister in mulierem modum ornatus cum ætate luctatur effugit pueritia sed retrahitur*: Pocillatores eximia forma, quasi Ganymedes aliquos, laxioribus diuitibus in vsu fuisse, passim ex veterum lectione colligitur, eos autem ad secretiora ministeria (quod nostræ tractationi, & rei controuersæ pariter inseruit) & ad eorum similitudinem alios, pari mollitie infames, Naturam simul, & vestem habitumq. corporis (vt Clisthenes ille, de quo in prouerbijs ex Aristophane) eum mulieribus commutare solitos vtrobique Seneca significat. Nec Lipsium in præsens moror, aut Petrum Fabrum, viros alioqui merito suspiciendos, quibus aliter visum. Voluit hic Semestrium 1. cap. xv. de mollitiæ, & luxu eorum hæc intelligi, qui in cœnis apposita veste vtebantur, muliebribus persimili, qualis illa esset muliebris cœnatoria, qua Senatorem quendam vti solitum ait Q. Mutius apud Pomponium L. inter vestem ff. de auro, & argento leg. vel, qua indutus legitur Cornelius Fronto apud Xiphilinum in Adriano acutè enim, vt pleraque perspexit vir eruditissimus τὴν στολὴν δειπνίτιδα, non vestem cœnatoriam, sed muliebrem cœnatoriam verti debere, cum, ex communiori loquendi forma, stola sit proprium fœminarum indumentum. Lipsius autem ad iij. Annalium Taciti de sericis, Coisque interpretatur, quæ etiam pellucidæ vestes, quas licet ob tenuem materiam versicoloremque texturam fœminis magis accomodatas, viri tamen, ad æstus deuitandos, passim vsurparent; Quasi eadem mens Senecæ fuisset, quæ Iuuenali, cum Satyra ij. ijs versibus in Creticum inue-

Quales Athenæus ex Clearch. refert gestare Terentinos consueuisse omnes. ἐφέροντο inquit, καὶ παρυφὴν διαφανῆ πάντες. si fiebant textilem bellucidam omnes quibus nunc mulierum niteſcit cultus, Vide lib. 12.

here-

horretur.

Sed quid
Non faciunt alij, cum tu multitia sumas
Cretes, & hanc vestem populo mirante perores
In proculas, &c. & postea
Quaro an deceant multitia testem,
Acer, & indomitus, libertatisque magister
Cretice pelluces.

Ne quid prætermissum videatur (prætereamus tamen monstruosum illud, seu fabulosum magis Crossæ mulieris commentum, *Quæ torvum ligno decepit adultera taurum*) Haud frustra esset, nonnulla hic mulierum exempla connumerare, quæ virili habitu sumpto, ex qualibet causa, sexum mentitæ reperiuntur; quemadmodum Hypsicratea fecisse, auctor est Plutarchus, vt cum viro Mithridate commodius esset; vel Semiramim, ad auctoritatem sibi apud Assyrios stabiliendam, quod libro primo narrat Iustinus, & in Eutropium confirmat Claudianus.

Prima Semiramis astu
Assyrijs mentita virum.

Vel, honestiori ex causa, Axiotheam Phliasiam, quam refert Laertius, sapientiæ amore succensam virilem cultum assumpsisse, vt operam ipsi commodius, sub Platonis disciplina nauare posset: Veluti muliebrem è diuerso Euclides Megarensis solitus erat assumere, quo tutius ad Socratem audiendum Athenas commearet, vnde lege seueriſſima Megarenses omnes prohibebantur: Ad cuius imitationem Taurus Philosophus apud Gellium lib. vj. cap. x. sciendi cupidos expergefacere à socordia conabatur. Sed his relictis, ad alia transire conducibilius videtur, quæ propriè magis argumento suscepto conueniant.

Ibat autem tutius, quasi inter cæteras mulieres vt multi vtriusqu. sexus in Socratis auditorio conueniebant V. Apuleium de dogm. Platonis. V. Athe lib.

QVænam pro Personis antiquitus in vsu replicatum, additis nonnullis. Antiquitatis vitium. Luna γοργόνειον ab Orpheo, vnde coniectura de Personarum anti-

Digitized by Google

quitate. Mutatio vestium ab Hercule. Ab Agricolis vultus tinctura è Tibullo. Scenicorum primordia. Item ligna Personæ. Pausaniæ locus insignis de vultus tinctura à Diana.

Caput VII.

EO examine, quod in superioribus de Personis, earumq. vsu prosecuti sumus, satis apertè declaratum, mea quidem sententia, Personæ nomen ad indumenti non minus mutationem, quam ad oris cooperimentum pertinere. Declaratum præterea, prout se dedit occasio, ante eas, quas nunc videmus Personas inuentas, earum vicem suppleuisse, vel minij, & cuiuscunq. coloris, quin & feci v. tincturam, vel ficulnea folia, quæ δρία ocarentur, vel alterius cuiuspiam herbæ, vel fruticis qualem tupum in φαλλοφόροις supra præbuimus. Meminit in hanc sententiam Dioscorides herbæ cuiusdam ἀρχέμου appellatæ, quæ à nonnullis προσωπὶς & προσώπιον dicatur, quasi latinè Personacia, eo quod hac herba veteres pro Persona vti solerent, quoniam latis foliis instar cucurbitæ sit prædita. commemorat eandem & Plinius lib. xxj. cap. xv. & Personam herbam pastinacæ similem, quæ foliis latis faciem tegat, nominat Columella lib. vij. cap. xiix. Et hæc quidem, prout dixi satis dilucidè; fecium verò inunctionem pro Persona iam olim vsitatam, præter superius allata confirmat ad Aristophanis ὑποφλάσκας eius scholiastes, Poetas dicens, *Ne noti essent fecibus vnctos, Poemata per vinos cantitasse plaustris insidentes*; ex quo Sidonius, in temporis ratione non nihil hallucinatus. *Pictum fecibus Aeschylum* dixit, cuius iam ætate decentiores aliæ Personæ viderentur: licet tali vultus tinctura contentus Aristophanes post Aeschylum, quasi Personatus in Scenam prodierit, Cleonis personam acturus. Vnde verò Personarum vsus ortum habuerit, siue is vultum inficere, alioue quouis tegumento coope-

cooperire, seu vestes mutare dicendus sit, adeò incertum est, vt pro eruenda huiusce rei qualicunq. notitia ad fabulas potius, quam ad Historias sit recurrendum. Id secum vitij ferre plerunq. solet antiquitas, vt vel origines rerum penitus obliuioni tradat, vel fabulis inuoluat, vt eam non immerito obscuram appellat vnanimis eruditorum consensus. Cum verò certo certius sit, non Thespim, neq. Chærilum, de quibus ex Suida superius, primos ex omnibus talem consuetudinem vsurpasse; videat, obsecro, Lector (ipsius enim iudicio prorsus aquiesco) an Personarum vsum, & Thespim, & Chærilum, & quemuis fortè alium dramaticum Poetam, multis ætatibus præcessisse, hoc argumento comprobari possit, quod de ijs Orpheus, tanto illis omnibus antiquior, mentionem fecisse videatur. Locus est Clementis Alexandrini Stromatum lib. v. quo refert Epiginem libro quodam de Poesi Orphei, *Ea, quæ aqua Orpheum sunt eius propria exponentem* dicere, ab ipso Orpheo Lunam vocari γοργόνιον; Quod licet epitheton ex eo natum videatur, quod ea, quæ in Luna est facies Gorgonis aspectum quodammodo præseferat; non absurdè tamen eo torqueri posset, vt Laruam ipsam, quasi Personatam diceremus, cum γοργόνα idem esse, quod γοργόνειαν supra demonstrauerimus, pro ijsdemq. etiam προσωπεῖα vsurpari: Eoq. magis quod Hesychio γοργόνα dicuntur προσωπεῖα, ideſt Laruæ, in quibus effictum sit Gorgonis caput. At vestium mutationem non aliundè, quam ab Hercule fluxisse crediderim, in hanc sententiam adductus tum ex ijs, quæ supra retulimus cap. iij. è Plutarcho, occasionem Cois dedisse, in eius sacris muliebre indumentum suscipiendi, tum, quod eundem ipsum narret Ouidius, alias cum Lyda puella in sacris Bacchi vestem mutasse, vt Faunum ludificaretur, qui puellæ illius amore deperibat. Eius hi sunt versus, Fastorum ij.

Forte comes Dominæ iuuenis Tirynthius ibat,
Vidit ab excelso Faunus vtrunq; iugo:

Vidit,

Vidit, & incaluit, montanaq. numina dixit,
Nil mihi vobiscum est, hic meus ardor erit.
Ibat, odoratis humeros perfusa capillis,
Maeonis, aurato conspicienda sinu.
Aurea pellebant tepidos umbracula soles,
Quae tamen Herculeae sustinuere manus.
Iam Bacchi nemus, & Tmoli vineta tenebat
Hesperus, & fusco roscidus ibat equo.
Antra subit, tophis laqueata, & pumice vivo,
Garrulus in primo limine rivus erat:
Dumq. parant epulas, potandaq. vina ministri,
Cultibus Alcidem instruit illa suis.
Dat tenues tunicas, Getulo murice tinctas,
Dat teretem Zonam, qua modo cincta fuit.
Ventre minor Zona, est, tunicarum vincla relaxat,
Vt posset magnas everuisse manus:
Fregerat armillas, non illa ad brachia factas,
Scindebant magni vincula parua pedes.
Ipsa capit clauumq. grauem, spoliumq. Leonis,
Conditaq. in pharetra tela minora sua.

Quos versus referens Lazius commentariorum lib. x. cap. ix. meras nugas nugatur, cum ex hoc talem ad Saturnalia consuetudinem traductam affirmat, de Lupercalibus enim, expresse, non de Saturnalibus Ouidiũ loqui perspiciet, qui cætera apud ipsum perueſtigabit. Primos autem omnium, agricolas vultum tinctura fœdasse, auctor est Tibullus Elegia j. lib. ij.

Agricola & minio suffusus Bacche rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.

Atq. hinc est, quod supra retulimus, Theatralia è Liberalibus orta fuisse; cuius rei euidens erat argumentum, quod non solũ scenici ludi Libero essent attributi, vt Lactantius docet lib. iij. Institutionũ capite xx. sed & promiscue ludi Liberalia vocarentur, qua in re. Tertullianus ait, libro de spectaculis, *Honorẽ*

Liberi

Digitized by Google

Liberi Patris manifeſte ſonabant, Libero enim druſticis primo fiebant ob beneficium, quod ei adſcribunt pro demonſtrata gratia vini. Nihilq. minus mos ille rerentus, de quo Scholiaſtes Ariſtophanis, vt in Dionyſijs certarent Tragædi & veteris Comædiæ Poetæ, præter teſtimonium ab Horatio præbitum & in poetica, & in Epiſtola primi libri ij. ad Auguſtum, cui quaſi ſuffragatur Athenæus lib. ij. ſcenicorum inquiens initium ex compotatione, & temulentia fuiſſe in Icario Atticæ pago τῆς δυγῆς, hoc eſt vindemiæ tempore. Non ſum verò nefcius, ex aliorũ opinione, quam Euſebius adſtruit ij. de præparatione cap. ij. Theatri ſpectacula à Liberali b. ex eo fluxiſſe credita, quod ſaltantes Satyri, tragice q. canentes, Bacchũ ſecuti dicerẽtur, vt aliquib. eum iocularib. oblectarẽt, cũ recens editus ad ſpeluncã Nyſes (à qua Dionyſij nomen) inter Phæciciam, & Nilum, Mercurij opera, traijceretur, à Nymphis educandus. Sed ne præter orbitam diutius; huiuſmodi tinctuæ occaſio ex eo ſumpta videtur, quod dum Baccho ſacrum fieret inter vina deſecanda, libido nonnullos præ lætitia inceſſerit, ijs fecibus ora inungendi, quod reliquorum fortè conſenſu comprobatum, receptumq. (vt res inuentas facilè eſt noua acceſſione facta perpolire) aditum ad alia figmenta comminiſcenda præmonſtrauerit. Confirmat hoc quoquo modo Tzetzes Chiliade vj. quem citat etiam Bullengerus. Primos etiam agricolas Perſonarum ſpeciem quandam excogitaſſe, conijcitur ex ijs, quæ Seruius annotat ad illud Virgilij.

Oraq. corticibus ſumunt horrenda cauatis.

In ſacris ſcilicet Bacchi referens, eos quaſdam ſibi arborum cortices, ceu Perſonas adaptare ſolitos: Vnde Heſychio ſunt προσωπεῖα ξύλινα Perſonæ ligneæ, quo reſpexit etiam Prudentius libro ij. in Symmachum dicens.

Vt tragicus cantor ligno tegit ora cauato.

Ac inſignis extat narratio apud Pauſaniam in poſterioribus Eliacis, qua tinctuæ, operimentoque faciei vetuſtiorem, illuſtrio-

lustrioremq. originem asseramus. *Apud Letrinos* (ait ille) *Alpheæ Diana fuerunt cum simulacro ædes. Deæ ob hanc causam cognomen impositum memorant; Alpheum amore captum Diana, postea quam ad nuptias eius conciliandas, nihil sc, aut gratia, aut precibus profecturum intellexit, vim ei afferre conatum. Verum, cum illa, fugiens insequentem amatorem Letrinos vsq. ad nocturnos choros pertraxisset (interesse enim Nympharum lusibus consueuerat) ibi Deam sibi, suisq. comitibus cano os obleuisse, quare, cum Alpheus à Nymphis Dianam discernere nequisset elusum abijsse.* Atq. hæc de Personarum, χημαπσμῶν q. origine, quantum quidem ex intimis vetustatis recessibus extrahi potuit.

PErsonarum duplex causa, Prima ad fictam imitationem, cui rei testimonia. Horatij locus explicatus. Prouerbium ὐ πρόσωπον, ἀλλὰ προσωπεῖον φέρειν, *in fucatas mulieres. In mores fictos, de quibus moralis digressiuncula. Res Personata. Perpensus Arriani locus in Epicteto. Persona pro pretextu. Causa Personarum secunda, ob verecundiam, testimonijs confirmata. Alia Prouerbij explicatio.*

Caput VIII.

PORRO, duplicem ob causam talem vsum adinuentem quauis luce clarius apparet; primum quidem, ad effigiendam, repræsentandamq. in scenis faciem ex occasione diuersam, & ad verius imitandam Personam, quam quisq. agendam suscepisset Cicero pro Roscio in hanc sententiam: *Cuius* (scilicet eius, quem supra tetigerat. C. Fannij Chereæ) *Personam præclarè Roscius in scena tractare consueuit*; & paulo post; *Nam Ballionem illum improbissimum, & periurissimum Lenonem cum agit, agit Chæream; Persona illa luculenta, impura, inuisa in huius moribus, natura,*

Digitized by Google

tura, vitaq. esi expressa, qui quamobrem Roscium sui similem in malitia, & fraude existimarit, nihil videtur, nisi fortè, quod praclarè hunc imitari se in Persona Lenonis animaduertit. Et Horatius sermone v. libri v. de eo, qui facie deformis esset.

In faciem permulta iocatus,
Pastorem saltaret vti Cyclopa rogabat,
Nil illi Larua, aut tragicis opus esse cothurnis,

Necessitatem in alijs Personarum tacite arguens ex eo, quod in tali essent superuacaneæ, qui vel sine Larua, & Persona, Cyclopis imaginem referret. Et Ouidius fastorum vj. dum originem, causamq. Personarum in minusculis Quinquatribus prosequitur.

Callidus, vt posset specie, numeroq. Senatum
Fallere, Personis imperat ora tegi.
Admiscetq. alios; & vt hunc tibicina catum
Augeat, in longis vestibus esse iubet;
Sic reduces bene posse tegi &c.

Atq. hinc dictum arbitror, Personatum esse eum, qui faciem haberet fucatam, iuxta prouerbium, de quo Pollux lib. v. cap. xvj. *οὐ πρόσωπον, ἀλλὰ προσωπεῖον φέρει, non faciem, sed Laruam gestat*, scitè admodum concinnatum in fucatam mulierem, quæ non aliud, quam Personata videatur, cum insitam deformitatem obuelare, vel superuenientes ætatis vitio rugas distenta cute differre connititur; vel (quod ait idem Pollux) *oculos perstringit, supercilia denigrat, lineas semicirculares circumducit, frontem dimetitur, roseas genas fingit, momentaneum florem cito defloreścentem. Artem Naturæ anteponit, fucatum vero, firmo infirmum, & fragile, rebus ipsis picturam, imaginem pro ipso viuo simulacro.* Quod vitium familiare admodum mulieres habent quamplurimæ, ab insita vesania præpeditæ, vt Clemens Alexandrinus inquit lib. iij. Pædagogi cap. ij. quo minus intelligant, se propriam pulchritudinem infeliciter amittere,

Digitized by Google

dum externam affectant, neque quam sit absurdum, cætera quidem animantia, naturalibus ornamentis satis contenta, exultare, mulierem vero proinde, ac bestijs inferior esset, & plantis, se esse adeo deformem existimare, vt externa, & aliunde quæsita pulchritudine indigeat. Cum alioquin, sicut inustæ notæ fugitium, ita colores (vt ita dicam) adscititij adulterum vultum indicent. Sic apud Petronium Chrysis ancilla, *Quo spectant flexæ pectine comæ, quo facies medicamine atrita*, &c. *nisi, quod formam prostituit, vt vendas*. Hic de re lepidum extat Lucilij Epigramma Anthologiæ ii. cap. ix. quod Græcum apponam, quia leporem ipsius in antithesi præsertim inter nomina προσωπον, & προσωπεῖον existentem, latino sermone assequi vix possibile censeam.

Τῶν κεφαλῶν βαφεῖς, γῆρας ὃ σὸν δ' ποτε ζάψεις,
ἢ δὲ παρειάων ῥυπάδας ἴσχ τανύσεις ;
Μὴ κοίνῶ τὸ πρόσωπον, ἅπαν ψιμυθῳ κατάπλαττε
ὥστε προσωπεῖον, κ' οὐχὶ πρόσωπον ἔχειν,
Οὐ δ' ἔν γ' ἀρ' πλέον ὄζει, πιμαίνεαι, οὔποτε φῦκος,
καὶ ψίμυθος τεύξει τὴν Ἑκάβῃ, Ἑλένῃν.

Ac, si Latine diceres.

Sæpe caput tingis, nunquam tinctura senectam
Nunquam rugosas explicitura genas.
Desine iam faciem stibio depingere totam,
Persona est etenim tunc tibi, non facies.
Nil habes hinc lucri, quæ est hæc dementia? fucus,
Et color haud Hecubam fecerit unquam Helenam;

In quam sententiam Martialis etiam in eum, qui capillorum pigmento posse se capitis senium, quasi serpens, exuere arbitrabatur, epigram. xliii. libri iij.

Mentiris iuuenem, tinctis, Lentine capillis,
Tam subito Coruus, qui modo Cycnus eras;
Non omnes fallis, scit te Proserpina canum,
Personam capiti detrahet illa tuo.

Iure optimo muliebrem in viro dementiam irridens, cum fieri

fieri omnino nequeat, vt veram ostendat animam, qui caput habet adulterinum, quæ Clementis supracitati sententia est; vtq. nocte mulier non conuincatur, qui clara luce sub radijs solis formam virilem abnegat. Quo circa Spartanorum Rex Archidamus senis cuiusdam Ceitaliter infecti congressum, iure sibi visus est abnuisse, quod nihil veri putauerit expectandum ab eo, quem propalam non puderet mendacium in capite circumferre, *Personam habere, non faciem*, dicuntur ii etiam, qui alii videri velint, quam re vera sint, diuersosque à propriis effingant mores, & ex Publiano Mimo.

Hæredis fletus, sub Persona, risus est.

Quales illi apud Lucianum in Piscatore, qui, Simiæ cum essent, Heroum Personas assumere non dubitarent, ad instar Cumani illius Asini, qui Leonina indutus pelle Leo ipse quoque videri volebat. Eodem prope sensu Seneca de Beneficiis lib. ii. *Quid tantopere te supinat, quid vultum, habitumq. oris præuertit, vt malis habere Personam, quam faciem?* idest, vt malis te præterre qualis non es, quam videri qualis es. Et Cicero pro Cluentio. *Irridebatur hæc illius reconciliatio, & Persona boni viri susceptа.* Videmus autem plerunq. tales (non enim a proposito digredimur, licet ex occasione ad mores aliquid interseramus) quod Personas assumant sibi non accomodatas se ipsos, ipsumque ornatum dehonestare, vt nil minus se præstent ridiculos (res enim ridicula est ex Martialis Præfatione lib. ii. *togam saltanti inducere Personа*) quam Mimus aliquis Tragicus, qui mollis cum sit, & effœminatus, Achillis, Herculisue Personam suscipere ausus, tam indecore illam qua voce, qua gestibusque sustineat, vt Helenam potius, aut Polyxenam agere videatur: *Nam, & multa incidunt* (ait Seneca de tranquillitate) *quæ inuitos denudent, &, vt bene cedat tanta sui diligentia, non tamen iucunda vita, aut secura est semper sub Persona viuentium*: Quibus, maiori saltem ex parte, quod

Digitized by Google

Iupiter quæritur apud Lucianum Icaromenippo, *Si personas, & stolam illam auro sparsam detraxeris* (virtutis scilicet decorem falso affectatum) *ridiculum est, quod supereſt, nempe homunculus septem denarijs ad agonem conductus*: Bene ergo Lucretius libro iii.

Quo magis in dubijs hominem spectare periclis
Conuenit, aduorsisq. in rebus noscere quid sit
Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Eijciuntur, & eripitur Persona, manet res.

Vt non immerito hoc genus homines, maxime vero pseudophilosophos illos, qui elatis supercilijs, & manibus barbam sustinentes, in reliquisque seuero vultu stantes, vltra Xenocratis imagines (vt habet Synesius epistola cliv.) omnium vt sciam argute dicassimus Lucianus sub hac præcipue Histrionum metaphora infectandos susceperit, quod facit in Nigrino, Piscatore, & Icaromenippo, vnde digressionis huiusce materiam deprompsimus. Ad rem vero quod attinet, haud dissimili ratione, Personata dicitur res quæcunq. quæ re vera secus sit ab ea, quæ appareat. Seneca epistola xxix. *Quod vides accidere pueris, hoc nobis, quoq; maiusculis pueris accidit; illi, quos amant quibus assuescerunt cum quibus ludunt, si Personatos videant expaueſcunt; Non hominibus tantum, sed & rebus demenda Persona est. & reddenda facies sua.* Dixerat autem alio loco, nempe de Ira lib. ij. cap. xj. *Ira per se deformis est, & timetur à pluribus, sicut deformis Persona ab infantibus.* Quasi dixerit, tunc non fore metuendam, cum deformi illa Persona, quæ terribilem ei quodammodo faciem superinducit exuta conspiciatur. Dicitur ab eodem Seneca epistola lxxix. *Personata felicitas*, his appositè verbis; *Quos supra capita hominum, supraq. turbam delicatos lectica suspendit, omnium istorum Personata felicitas est, contemnes illos, si despoliaueris*: Si enim extrinsecus penitus aurei videntur (qua ratione apud Lucianum pauperes consolatur

Digitized by Google

ſolatur Saturnus) intrinſecus paupres ſunt, & pannoſi, qualia ſunt tragica indumenta pannis admodum vilibus ſuperimpoſita. Quo facit Arriani locus ille in Epicteto lib. iij. cap. xxii. *Magiſtratus, & honores, quid autem hæc ille curat?* (puta Philoſophus) *quod, ſi ijs rebus aliquis eum terrere conetur, Pueros, inquit, quærito, illis Perſonæ ſunt formidabiles; ego vero teſtacea iſta eſſe noui, intrinſecus vero nihil continere*, quibus ex verbis, cum in ea Bullengerus incidit, haud ſatis teneo, ſolerti ne magis, an ſolida coniectura προσωπεῖα ſibi ὀστράκινα confixerit, *Perſonas teſtaceas*: Efficiat enim Martialis, quem alibi citauimus, dum Bataui Perſonam deſcribens, eam *figuli luſum* appellat, vt fictiles fortaſſe Perſonas apud veteres fuiſſe credamus; non tamen videntur hoc loco ὀστράκινα illa ſic ad προσωπεῖα pertinere, vt Perſonarum quarumdam materiem fuiſſe teſtaceam deſignent, quin rem potius aliquam inanem, & contemptibilem ſignificare videantur. De tota re decidant Græca ipſa verba, quæ mihi quidem (vt ſuum eſt cuique iudicium) non alium proferunt ſenſum. Ea ſunt Ἐκείνοις τὰ προσωπεῖα φοβερά ἐστιν. En punctum in primis, per quod ſententia diſtinguitur. ἐγὼ δ' οἶδα ὅτι ὀστράκινα ἐστιν, ἴσασιν οἱ ἔνδον ἔχει. Haud tamen crediderim, doctiſſimo viro rationes penitus deeſſe, quibus à ſe proditam opinionem tueatur, neque enim eam ſtabilire volenti, ὀστράκινα hæc, nihil intrinſecus continentia, à Larua illa Aeſopica videbuntur admodum diſſimilia, quam vulpes in Hiſtrionis domo pertractans, vt ingenioſe fabricatam admiratur, & vt cerebro carentem irridet. Non eſt vero, qui neſciat, alicuius etiam, ſiue hominis, ſiue rei quoque miniſterio pro Perſona vti dictum ex vulgari loquendi forma, quotieſcunque, vel aliquem, quaſi inſtrumentum adhibemus, aliud interim agentes, ad negotium aliquod conficiendum, vel quamuis rem, veluti prætextum obducimus intentioni noſtræ obuelandæ. Sic Heliodorus libro ii. Aethiopicorum. *Cumigitur initium moleſtiarum, & arumnarum*

Lucretius lib. 4 *ſic eliditur, vt ſi quis prius, Larua quâ ſit Creta perſona, alſidat pila ve, trabine.*

mihi

mihi diuinitus impendentium, quas iam ante præsciueram, mulierum esse deprehendissem, & intellexissem, quod esset fatalis necessitatis inuolucrum, quodque is, cui tum sors obtigerat Dæmon illam sibi, tanquam Personam induisset &c. Hæc quidem Ethnico sensu, licet à scriptore Christiano eoque ordinis sacrosancti, sic enim Personæ proferentis mores requirebant, sed qui non longe recedat ab iis, quibus Dei ipsius eloquium Iob capite xli. Infernalis Behemot malitiam arguit dicens; *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* Ac si manifeste significaret, tot illum, tamque diuersis insidiarum fallaciis, & præstigiarum technis consilia, quæ per faciem intelliguntur, in hominum perniciem suscepta obumbrare solitum, vt non minus difficile sit cuiuis ea deprehendere, quam ex primo intuitu hominem, non assueto amictu vestitum, Personaq. velatum dignoscere. Adinuentas item Personas (quæ altera causa est) ad turpitudinem earum rerum occulendam, quæ in rebus ludicris fiebant, docet Seruius ad illud, quod iam retulimus ex Virgilio, *Quia necesse erat pro ratione sacrorum aliqua ludicra, & turpia fieri, quibus populo posset risus moueri, qui ea exercebant, propter verecundiæ remedium hoc adhibuerunt, ne agnoscerentur.* Vt, & veteres comici, quod supra relatum ex Aristophanis scholiaste (τῷ τρύγα χριόμενοι, ἵνα μὴ γνώσιμοι ὦσιν). Et ad illud Demosthenis, qui Epicratem notauerat, quod in festis accumberet sine Persona Vlpianus Rhetor annotat *Impudentiam autem eius volens ostendere dixit sine Persona, nam infestis tunc volentes irridere aliquos gestabant Personas, vt non verecundarentur.* Vnde est, quod prouerbium illud *Personam habere, non faciem*, in eos adaptauerit Adagiographus, qui sine aliquo pudoris retinaculo turpia quæuis palam, & aperte patrare non verentur, impudentia ipsa, quasi Persona quadam audaciores facti. In tibicinib. illis, qui minusculorum Quinquatrum festo Personati incedebant, affirmat Valerius Maximus libro. ii. capite v. *Personarum vsum pudorem*

Digitized by Google

rem circumuentæ temulentiæ causam habere Indigne quoque acceptum scimus è Xiphilino, & cum optimatium gemitu, quod Nero nobiles viros, qui, præ pudore Personati, spectaculis inseruiebant ipso cogente, Personas in scena deponere iusserit, Histrionum apparatu comptos *eos patefacient hominibus, apud quos ipsi paulo ante magistratum gesserant.* Et de his quidem haud plura, paucis iis, quæ dicenda suppetunt, ex multis, quæ fortasse supersunt, in sequens interim caput reiectis.

Personati Laruati, qui & furiosi. Laruæ à Laribus, & de Laribus illustrati Horatij versus. Personarum insectatio; Maxime in mulieribus. Vita nostra Personatorum Pompa. De Carnis priuio varia, tamen indecisa.

Caput IX.

CVM ex Personarum vsu licentiam sumi dixerimus ea faciendi, quæ sine Personis agere indecorum esset, recte factum videtur, quod Personæ dictæ sint etiam Laruæ, & Personati, Laruati autem Pompeio Festo dicuntur *furiosi & mente moti*. Vnde Apuleius Apologia: *Hunc deniq. qui Laruam putat, ipse est laruatus*: Vt enim lauruatus à Larua, sic Laruæ dicuntur à Laribus, quorum peculiare fuisse insaniam immittere innuit Horatius sermone iij. lib. iii. Postquam multis verbis auaros insecutus, eos furiosos, insanosque esse demonstrasset, inquiens.

Idem Apuleius Metamorph. 9. de eo qui maleficio adductus in laqueum fuerat. *Quemadmodum Laruatus ad inferos descendisset.*

Non est periurus, neq. sordidus, immolet æquis
Hic porcum laribus.

Vt scilicet hac supplicatione placati, quam laribus, prout alijs etiam numinibus exhiberi solitam norunt Philologi, non ipsi, si sanus sit, insaniam immittant. Nil autem magis, quam insanire videntur homines eo anni tempore, quod ieiu-

ieiunium Quadrageſimale præcedit, quando conniuentia Præſidum audentiores facti in id vnum omnes ſtudent, mirabili prorè conſenſu, vt, diuerſo quiſq; ſchemate, diuerſas edat dementiæ demonſtrationes. Qua ex re, vtpote ex ſemente fœcundiſſima, vis credibile dictu eſt, quam plerunq; multiplex oriatur immaniſſimorum flagitiorum ſeges. Hinc etenim magis, quam aliunde ſtupra, adulteria, rixæ, odia, cædes, morum corruptelæ, atq; adeo publici boni perturbationes, vrbiumq; ipſarum certiſſimæ peſtes. Ita vt æquo iure feciſſe videantur Angli, apud quos Polydorus ait de rerum inuentoribus lib. v. cap. ii. capitale fuiſſe ſi quis Perſonam induiſſet. Quod & in Galiis, Franciſci Regis decreto ſancitum, refert Langælus, immò, & ipſam Perſonarum nundinationem à Senatu Pariſienſi interdictam, anno 1514. in hoc lege lata. Aequo iure, inquam, quia quam longiſſime ab æquo recedit humani capitis excellentiam, de qua præclare Paulus I. C. l. cum in diuerſis ff. de relig. & ſumpt. funer furialibus redimiculis de honeſtare, longius vero Chriſtiani capitis, Chriſti ipſius in baptiſmate charactere inſigniti. Si enim, *Non debet facies hominis ad ſimilitudinem Dei formata fœdari*, quod cautum eſt. l. ſi quis in metallum. Cod. de pœnis; dignus etiam coercitione videtur receptus hic abuſus, non commaculandæ ſolum, ſed & monſtroſis figmentis eius imaginis obſcurandæ, quæ cœleſtis pulchritudinis in homine cernitur impreſſa, eoq. magis, quo commodiorem anſam nefarijs, hominibus præbet ſub quadam latendi ſpe, qualiſcunq. ſceleris moliendi: Quod inuentum quis neget non alteri iuſtius adſcribendum, quam communi noſtri generis hoſti? qui diuinæ in nobis ſimilitudinis exemplar exoſus, hoc ſibi machinamentum cenſuerit adornandum, quo ad ſuæ ipſius formæ ſpeciem quandam inducendam, priori illa venuſtiſſima quaſi repudiata, inconſiderate alliceremur: Cum tales alioquin fuci, facieique tegmina, quod habet etiam Langlæus, vel impoſtoribus tantum

Larvas demonũ nisi clerici ante se ferri cõsentiũt Caiet. c. nullus presbyterorũ dii. 44 q. a

Digitized by Google

tantum ob vitiatam fallendi consuetudinem, vel Histrionibus, ob artis necessitatem conueniant, non autem honestis, probisq. viris, qui quales sunt, tales etiam vt appareant opere maximo studere debent. Vtvt verò cætera videantur perferenda, ob ea saltem, quæ iam inde à principio dixi, Rerum publicarum rectoribus alicuius relaxamenti populis permittendi necessitatem imposuisse; intolerabile tamen est, omnique penitus excusatione indignum, immo maximo potius vituperatione dignissimum, quod eadem licentia mulieres, non eæ modo, quæ impudico quæstui vilia corpora manciparunt, sed & Matronæ quælibet, pudicitiæ, & honestatis nomine in primis fastosæ sub tali velamine lasciuire, absq; reprehensione conspiciantur. Sapienter sensisse, sensisseq. Albertum Saxoniæ superioris Ducem nemo sanioris mentis præditus negabit, quem Crantzius refert, Saxonię libro xii. cap. xxiij. cum Lubecam venisset, Laruatarum fœminarum spectaculo offensum, Lubeccensem Senatum commonefeciſſe; *Vt abusum illum antiquaret, qui vt multis alioqui pudicis fœminis præstaret audaciam, sic impudicis esset stultitiæ incrementum.* Phintyæ Callicratis filiæ Pythagoricæ fœminæ in hanc ferè sententiam documentum habemus apud Stobæum sermone lxxii. *Vt Matresfamilias abstinerent ab orgijs Bacchi, & à Matris Deum festis*, in quibus lasciuiæ hunc ludum percelebrem fuisse iam diximus; Quod & publicis alioquin legibus prohibitum testatur: *Quia mulierem illam, quæ domui regendæ præest temperantem pudicam intactamq; conuenit esse, huiusmodi autem festa incitamenta quædam, ceu igniculos habent ad petulantiam excitandam.* In iisq; mulieres ita paulatim affluescunt impudentiæ (quod Io. Lodouicus Viues inquit lib. primo de Christiana fœmina vbi prolixa, acerrimaq. insectatione huiusmodi prosequitur ineptias] *vt detrimentum, quod sub Persona accepit verecundiæ, citra Personam se proferat, & ostendat.* Quem enim quæso, vt Satyrographi Principis verba è Satira vi. ad

hoc diabolicum est, & à sac. Canõ perhibitũ has vero Laruas Burchardus interpretatur Talamasitẽ c. nullus, dist. 5 de cõsec. & c. cũ de corem, de vit. & honest. cler. vbi glossa &c. vt prælatorũ, & c. etsi deceat, phibetur ecclesiarum Prælatis ne mutatis aut transformatis habitibus discurrant aut vagentur. extrauag. cõm. de maiorit. & obedientia.

Aliæ viri li habitu, veste mutata erubescunt esse q̃ natę sũt

Contra naturam primo vltra naturam est, non exercere, & nata sis Hieron. epist. 8. 22.

meum mihi propositum vsurpem.

Quem præstare potest mulier larvata pudorem
Quæ fugit à sexu?

Quæ ille verba (vt erat peruersi cuiusq. moris infectator accerimus) in eas mulieres prolata, quæ tanquam arcnæ parrarentur, armis tectæ, præpostero studio, pali exercitationibus insudabant, proculdubio si viueret, nec minori cum indignatione in præsentem abusum esset prolaturus. At ex sentibus hisce rosam, vel illæsus, excerpserit, cui lubitum fuerit in mentem reuocare, mortalium hanc vitam nil aliud esse, quam Personatorum Pompam. Hunc videmus etenim, Personam Regis à Deo impositam, indecore ita, vt nihil magis sustinere, illum serui gerentem Regiam affectare; hunc perpetuo vitæ cursu fortunæ donis conspicuum, illum cum egestate litigantem, causaq. cadentem squalentibus pannis obsitum, corpus vix vsque ad exitum sustinere; illum vero, quod mirabilius videtur, in medio ipso apparatu vel præter spem ad summum fastigium ex intimis tenebris elatum, vel post diuturnam felicitatem miseris modis depressum. Vt varia interim, diuersaq. hominum vota, studiaq. prætereamus, quæ non inuicem tantum contraria sunt, vt fert ingeniorum diuersitas, sed sibimet ipsis quam sæpissime aduersa. Neq. enim præter rem Seneca dixit epistola cxx. *Magnam rem esse, vnum hominem agere, præter sapientem autem* (& quis non pullos vulturinos facilius, quam talem commonstret.) *neminem vnum agere, cæteros multiformes esse* Quæ omnia longo ordine ab Hippocrate epistola quadam ad Damagetum ex Democriti sensu elegantissimè explicata, haud longe distant à fabulæ alicuius dramaticæ, varijs perturbationibus implicitæ similitudine, eoq. minus, quod ex cuiusq. morte fabula soluta, prout Histriones videmus, depositis hisce ad momentum effictis ornamentis, actoris vera facies, habitusq. denudetur, interioriq. hominis miseria, & deformitas, vel ex eo fiat perspicua, quod nulla

res

reseum, qui Rex videbatur, à seruo; Diuitem, à mendico; omnium opinione felicem ab ærumnoso discriminet. Vnde est, quod festiuissimus, vereq. elegantiarum [vtinam, & modestiæ] Arbiter Petronius dixerit.

Grex agit in scena Mimum, pater ille vocatur,
Filius hic, nomen diuitis ille tenet:
Mox vbi ridendas impleuit pagina partes,
Vera redit facies, dissimulata perit.

Martialisq. Epigrammate ij. libri xj. quasi Paræmiace, *Personatos factus*, cõmentitia hæc dignitatũ nomina indigetaueris Quibus, qui efferuntur, non magis felices sunt Senecæ epistola lxxvj. *quam illi, quibus sceptrũ, & chlamydẽ in scena fabulæ assignant, cum præsente populo elati incesserunt, & cothurnati, simul exierunt, extolleantur, & ad staturam suam redeunt*. Ne vero, ob ea, quæ dixi, legi Flauia de plagiarijs mecum aliquis censeat agendum, ni digito locum designem, vnde sumpta sunt, consule, obsecro lector, Luciani Necyomantiam, item Somnium, & Nauigium, multaque præterea reperies, quorum causa mirari subeat potius, cur nam Heraclitum illum Ephesium ineptias hasce generis humani semper deflere delectauerit, aut Crassum illum risus osorem nunquam cachinno dignari, quam, quod sapientissimus Democritus eas perpetuo sibi duxerit risu effusissimo prosequendas. Reliquum esset, vt ad ea, quæ de Personis, si non exacte, saltem pro viribus explicauimus, nonnulla adiungerentur, quibus ea solueretur dubitatio, quæ de Carnis priuij, Personarumq. per ea tempora frequentioris vsus origine inter aliquos vel hæreat, vel oriri possit. Sunt enim, qui affirment Lupercalium hæc esse vestigia, quæ Februarij mense celebrabant veteres nudi, præcintique loris discurrentes, & maxima cum lætitia insanientes. Sunt qui Saturnalium reliquias arbitrentur, quibus festis circa finem Decembris, vestimentorum mutationes inter seruos, & Dominos, cœnationesq. frequentes, & lautiores inter amicos fieri solitas di-

Digitized by Google

ximus. Sunt etiam, qui Bacchanalium esse velint imaginem, ea scilicet adducti ratione, quod turpe nimis insaniendi, ventrisque exsatiandi studium, turpitudinem illorum sacrorum, quam vel Ethnici exhorruerunt apprime representet. Langlæus à Quinquatrijs, Megalensibusque fluxisse opinatur, Quinquatria, Megalensesque confundens, quos tempore, cerimonijsq. distingui patefecimus. Neque de Megalensibus penitus dissentirem, si vt conuenit huius licentiæ cursus per sex dies continus, eodem modo anni tempus conueniret. De Quinquatrijs vero, vt de Dionysijs, & Saturnalibus fide aliquam videtur facere Plutarchus ἐν Συμπ. προβλ., in ijs innuens, sed & in aliis festis, liberiore spatio se oblectandi vulgus potiri, Nec temporis ratio admodum discrepat quantum ad Dionysia, dato illo, quod supra retulimus ποσειδεῶνα mensem, quo illa celebrabantur, magna sui parte in Ianuarium excurrere. De quibus etiam tale quid, haud obscure subindicat Lucianus libro de nono credendo calumniæ. Cum Platonicum Demetrium narrat, certissimum capitis discrimen apud Ptolæmeum cognomento Dionysium tuliturum fuisse, quod aquam in Dionysijs potare, soluisque omnium muliebre vestimentum recusare diceretur: Ni coram ipso prout talium sacrorum mollities requirebat. & Vino libasset, & muliebri tunica vestitus ad Cymbalum saltasset, Nec forte deerunt, qui à Maiuma hæc velint deriuata, de quo Festo titulus est Codicis, quodque ab Arcadio, propter nimiam licentiam penitus sublatum habemus è Codice Theodosiano, quodque S. Ioannes Chrysostomus Homilia de Dauide, & Saule conqueritur ludorum nimia obscœnitate, omnium libidinum imagines, & verbis, & re ipsa euidentur adumbrasse. At nil prorsus ausim ego asserere, nullo in præsens satis firmo testimonio fultus: Quod, si aliquid necessario asserendum esset, pedarius suffragator Viuis sententiæ adiungerer, qui libro, quem supra citauimus de Christiana fœmina, morem hunc non ita pridem inuectum arbitrari

Digitized by Google

arbitrari se ostendit. Certe, Carnis priuii mentionem (quod κρεῶν Græce vocatur, improprio adeo vtrinque vocabulo, vt nihil minus faciat ad ipsius temporis consuetudinem, quæ carnium potius ingurgitatio videtur esse, quam priuatio) Carnis priuii inquam mentionem, quæ in nullo veterum occurrit, in Nicephoro Gregora primum reperire contigit, cuius hæc sunt verba, in vita Andronici senioris, qui quidem Constantinopoli imperauit circa annum Domini 1281. *Carnis priuium enim instabat, cum lautioribus conuiuijs, & poculis dedit mortales, & vini intemperantia, facilius ad seditiones concitantur.* Illud restat innuendum, in Calendarum ineuntis anni superstitiosa obseruatione, quarum extat in Libanio ἔκφρασις luculenta, præter ea, quæ Martinus de Roa è Societate Iesu literis mandauit, singularium libro iv. capite xi. speciem aliquam visam eorum, quæ in nostro Carnispriuio obseruantur, circa idem prope tempus initio sumpto. De quibus omnibus, si pluribus differere in animo esset, & altius repetenda, & longius producenda esset oratio. Cæterum ab huiusmodi scriptione calamum suspendere necesse fuit, quod necessarium inter in ipso scribendi feruore, non a Laruis modo, sed & à Laribus me festinanter abduxerit.

Vide verò an fallaris cum priua antiquitus dicantur propria.

✠

Digitized by Google

MISCELLANEA ERVDITA

Decerpta ex Libro jàm edito

DE QVÆSITIS

Per Epiſtolas a Claris Viris

RESPONSA

FORTVNII LICETI.

Digitized by Google

Digitized by Google

CVR OLIM ROMANI DVLTIPHAGI DICERENTVR, ET AN DE VETVSTIORIBVS ALIIS DICTVM ID FVERIT.

Aloysius Lollinus Bellunen. Episc. Fortunio Liceto S. P. D.

NON id a me quæsitum fuit, vir doctissime, vt te, quem lætum florentemque cupio studiorum bono, mœstitia afficerem exscriptorum meorum lectione: dolori me tantum meo indulgere iuuit, qui tempore, quo demitigari maxime debuerat, nescio quo pacto magis recrudescit: neque ideo ijsdem te affectibus duci, quibus ego moueor, permoleste fero vel ob id potissimum, quod tuo viri sapientissimi exemplo hanc animi mei mollitiem ac teneritudinem aduersus Philosophiæ conuitium tueri statui, quæ in nobis vt non Stoicam *a* ἀπάθειαν efflagitat, *b* μετριοπάθειαν tamen merito requirit Peripati disciplinæ consentaneam. Veris, vberrimisq. lacrymis deflendus erat Viri amicissimi excessus; quod sicuti nos abunde præstitisse non inficiamur, ita nullam inde laudem captatum iuimus facundiæ elegantioris; cuius vix vmbram vnquam assecuti, non ea orationis ornamenta in nostro opere agnoscimus, quæ illi seu amor in nos tuus, siue iudicium amore eblanditum tribuit: vtcumque sit, nostra a te, quem nemo non ob mores, & doctrinam probat, minus improbari sane nobis periucundum, perque gratum accidit, plurimumque

a Indolentiam.

b Mediocrem affectum.

Digitized by Google

te eo etiam nomine amamus, officiaque omnia nostræ erga te testandæ obseruantiæ deferimus. Vale, & negotium posteritatis, vti facis, vrge; cui magno te fidei pignore obstrinxisti breui fore, vt problema illud plusquam Archimedeum de antiquorum lucernis industria tua explicetur; interim si breuibus abste sciuero, cur antiquitus Romani Pultiphagi vocarentur, & an Romani antiquiores eo nomine vocarentur, me multa gratia cumulatum habueris. Belluni. VII. Idus Februarij MDCXIX.

Illustriss. & Reuerendiss. Alysio Lollino Bellun. Episc. Fortunius Licetus
B. A. Respon.

ARduum plane de reconditis Antiquorum Lucernis theorema me totum tenet, Virorum politissime, hisce temporibus; nec a longe mihi videre videor metam huius litterarij cursus. Quod vero me iubes tibi sententiam meam aperire, cur olim Romani vocarentur a priscis autoribus Pultiphagi, problema est, cuius explicationem ego libenter quærerem a summa tua eruditione: sed tamen obtemperandum est iussioni tuæ. Censerem ego Romanos, qui primum pastoralem, mox vitam agebant militarem antiquitus pultis victu maxime vsos; quod & agricolæ, pastoresque tali nutrimento nostris etiam temporibus apud multas gentes vti videantur; militibus vero procul a patria belligerantibus, & longiora itinera suscipientibus, impedimenta quantum fieri potest pauca dari debent; eaque victus ratio congrua sit, quæ facile parari valeat, & qua miles vnusquisque secum ad multos dies alimenta, præter arma, ferre queat; eiusmodi sane fuerit farinæ sacculus, quæ mistione aquæ pultem constituit, nam panis clybano, & longioris temporis intercapedine ad coctura indiget: ideo Romani veteres

Digitized by Google

veteres apud alias Nationes audiebant Pultiphagi. Quam sane coniecturam satis mihi videtur comprobare Plinius, cui, *a Pulte autem, non pane, dixisse longo tempore Romanos manifestum, quoniam inde & pulmentaria hodieq. dicuntur: Et Ennius antiquissimus vates obsidionis famem exprimens, esse famem eripuisse plorantibus liberis patres commemorat: & hodie sacra prisca atque natalium pulte sitilla conficiuntur: videturq. tumplus ignota Graciæ fuisse, quam Italiæ polenta.* Valerio quoque *b* Maximo de modo comedendi antiquorum agenti, *Fuit etiam illa communis antiquorum in cibo capiendo humanitatis simul, & continentiæ certissima index: nam maximis viris prandere, & canare in propatulo verecundiæ non erat: nec sane ullas epulas habebant, quas populi oculis subjicere erubescerent. erant autem adeo continentiæ attenti, vt frequentior apud eos pultis vsus, quam panis, esset: ideoque in sacrificijs mola quæ vocabatur, ex farre & sale conflat: exta farre sparguntur: & pullis, quibus auspicia peruntur, †pulus objicitur: primitus enim ex libamentis victus sui, Deos eo efficacius, quo simplicius placabant.* Alexandro similiter *c* ab Alexandro, *Quin etiam populum Romanum multa secula non pane, sed pulte victitasse: pictoresque per annos ferre sexcentos vsque ad Persicum bellum, nullos Romæ fuisse, satis constat: Fiebat enim puls illis ex aqua, frumenti & fabarum aut hordei farina; quam in sacris & oblationibus Deorum pro victima adhibuere: qui quidem pistores toftum panem lautioribus coquere solebant, reliquæ multitudini far; ideo quod far pinsebant Pinsores dicti: quippe quum veteribus molarum nullus vsus foret, sed fruges igne tostas in pilas conjectas pinserent: vnde & Pisones dictos volunt: id enim molarum instar erat: Fuitque vetus mos vt ijdem essent coci, & pistores.* His assentit Plutarchus in apophthegmatibus, cui Scipio militibus *prandere iussit obsonium nullo illi coctum: in cœna accumbentes edere panem, aut pultem simplicem, & carnem elixam siue assam.* Hac ratione Romani veteres dicebantur

a *lib.* 18. *c* 8.

b *lib.* 2. *cap.* 1.

† *emend. ex Festo*

c *lib.* 3. *gen. cap.* 11.

Digitized by Google

Pultiphagi, quod pulte potissimum alerentur. Ceterum non arbitror ego Romanos primos fuisse Pultiphagos ante nationes alias; etenim & Persæ, & Carthaginienses Romanis antiquiores Pultiphagi fuere: de Persis illustre testimonium habemus apud Fulgosum Genuensium Ducem inclytum *d* Valerij Maximi æmulum, cui, *Laudanda etiam apud veteres Persarum Reges consuetudo erat: nunquam .n. alio vescebantur cibo, quam pane, pulte. cardamo & sale: nam ea vitæ temperantia, non mente modo, verum etiam corpore valere se putabant.* De Pœnis duas habemus apud Plautum illustriores; altera quidem est in Mostellaria, vbi Simo senex laudans Teuropidi domus suæ postes, ait

d lib. 2. cap. de prisc. inst.

e Ver. 839.

e *Non enim hæc pultiphagus opifex opera fecit barbarus.*

Sane Romanus Plautus Romane loquens Romanum artificem non appellabit barbarum; nam se solos e barbarorum numero excipiebant Romani, gentes alias omnes barbaras nuncupantes: non secus ac Plato Græcus in Cratylo barbaras vocat exteras nationes tantum, inquiens, *Reor equidem multa nomina Græcos a barbaris, eos præsertim, qui sub barbaris sunt, habuisse.* Quin & Romani militiæ potissimum studebant, non artibus mechanicis; quas apud Romanos agebant serui, quos illi barbaros vocitabant: quam autoritatem Plauti nescio quo spiritu ductus ad Romanos trahere voluerit *f* Dalechampius, alioqui eruditissimus, nullam huius dicti sui rationem afferens. Altera vero legitur in Pœnuli prologo sic,

f not ad Pli. lib. 18. c. 8. b

Carchedonius vocatur hæc Comœdia,
Latine Plautus, Patruus pultiphagonides.

Patruus enim pultiphagonides à Plauto dicitur Hanno Pœnus, qui fuit patruus Agorastoclis adolescentis Pœni, a quo pariter Comœdia nomen desumpsit, vt clare constat vnicuique prologum illum legenti; quem locum vt ad suum sensum traheret Dalechampius, misere, corrupit, legens

Car-

Digitized by Google

Carthedonius vocatur hæc Comœdia:
Latine, Plauti pultiphagonidis, Patruus.

Pultiphagi, seu pultiphagonidis epitheton Plauto tribuens, quod Plautus ipse Patruo Pœno tribuit Hannoni. Sed & nostram coniecturam, consentiente Scaligero, comprobat ipse Cato non solum apud *g* Rhodiginum celebrans pultem Punicam, sed etiam *h* docens eius conficiendæ rationem, innuensque pultis auidissimos fuisse Pœnos. Quum itaque Persæ Pœnis antiquiores extiterint, & Pœni Romanis; omnesque pariter Pultiphagi, non soli, nec primi debent Romani nuncupari Pultiphagi; licet omnes eadem ratione Pultiphagi dici debeant. Pultiphagos itidem fuisse Græcos edocet ipse *i* Persius, describens philosophantes in porticu Stoa, quam Plinio *k* pinxit Panæus Phidiæ frater, in ea graphice delineato prælio Athenienſium aduersus Persas & Medos, villosas braccas indutos ad terrorem, apud Marathona factum; & Polygnotus etiam gratuito, qui propterea meruit ab Amphictyonum Magistratu sibi decerni hospitia gratuita; inquit enim

Haud tibi inexpertum est curuos deprendere mores,
Quæque docet sapiens bracchatis illita Medis
Porticus, insomnis quibus indetonsa iuuentus
Inuigilat siliquis & grandi pasta polenta.

Quæ Pultis etiam nomine donatur: quod itidem *l* Plinius obseruat, cui *antiquissimum in cibis hordeum, sicut Athenienſium ritu, Menandro autore, apparet, & Gladiatorum cognomine, qui Hordearij vocabantur. Polentam quoque Græci non aliunde præferunt*: licet pultis nomen ignotum Græciæ *m* mox dicat, non secus ac Italiæ polentæ vocabulum. Hæc habui, vir Illustrissime, quæ de proposito ad te perscriberem: vtinam tuo iudicio non improbentur. Vale, & me ama. Patauij. Idibus Februarij MDCXIX.

g lib. 9. c. 16.
h cap. 18.
i Sat. 3.
k l. 35. c. 8. & 9.
l l. 18. c. 7.
m cap. 8.

DE

Digitized by Google

DE VARIO MVSARVM NVMERO APVD ANTIQVOS

Aloysius Lollinus Belluni Episc. Fortunio Liceto S. P. D.

DIgnus es tu quidem cum ista tua eximia eruditione mi Licete, qui ad æternos lucernarum ignes sedulus cuigiles ea commentando, quæ nec vlla aboleat vetustas, neque carpat liuor: nos vero haud sane digni, quorum tu spem desideriumq. mora nimium in longum ducta excandefacias. Annus iam vnus & alter in sua vestigia volutus abijt, ex quo tuos lychnos expectamus æmulos stellarum, quum tu interea promissa differs lentum nomen, atque ideo appellandum crebrius. Tanta est tui ingenij fœcunditas, is vigor animi quantumuis abditis rerum subtilitatibus superfuturus, vt suspicionem cessationis non admittat: ne alio cursum deflexeris, hoc vero nobis est verendum, qui tuarum lucubrationum lectura capimur. Sed hæc tu, cuius de fide agitur, non negliges. Ego quum per litteras te alloqui auerem, nec satis materiæ suppeteret, hinc occasionem arripui, vt se mihi dabat, epistolæ familiaris conscribendæ. Hanc, ni mihi tua humanitas spem faceret, subuererer equidem, ne Philosophia, quæ te totum per hos dies in Scholis occupat, vt grauis est, nec ad iocos nata, tamquam interturbantem Dauum procul ab se abigeret; quod ne forte accidat, desinam tua tempora, quæ publico commodo impendis, pluribus morari. Vale, & amicos magnos, qui mihi tecum, atque adeo cum ipsis Musis communes sunt, saluta meis verbis. Belluni IX. Kal. Decemb. MDCXX.

Postscripta.

Mitto quæ Musa tenuis ad Octauianum Bonum Equitem amplis-

Digitized by Google

amplissimum: Tu si quid sentiendum sit de controuerso Musarum numero ad me scripseris, rem ages mihi gratissimam iterum Vale.

Hibernam hirundinem alpium, prænuncium
Brumæ rigentis alitem, incanam niuem
Adhuc olentem mittimus cum compare
Nitore amicta purpuræ plumatilis
Sublime collum, ac tergora, vt mensam instruant
Tuam BONE optime. indidit nam illud tibi
Gens priscæ nomen, hoc fides & recti amor
Virtusque mergi nescia, aduersi licet
Nimbi occuparint æquora, & tumido ratis
Fluctu fatiscat. munus impar censui
Tuo, meoque, non nego; sed aucupis
Hæc culpa, prædam qui ministrat parcius
Empturienti, non mea; ars cui contigit
Seruare Ouile, non volucres fallere.

Illustriss. & Reuerendiss. Belluni Episc. Aloysio Lollino Fortunius Licetus B. A.

Respon.

NObile tuum istud (Illustrissime vir) ac peregrinum est accusandi genus; quod alij contraria ratione, tu laudibus, ijsque minime vulgaribus, acriter vrges ad inuulgandum opus meum de reconditis Antiquorum lucernis, pridem promissum, de cunctatione me reprehendis, tacitequè subaccusas meam fidem. Gaudeo mirificè me a tanto viro sic argui, licet immerito; nam obiurgandus aspere Deu-

Deuchinus, egregius ille mihi procrastinator, qui ante plusculos menses ab ampliſſimo Senatore Laurentio Iustiniano, tunc in viuis agente, meum codicem manuscriptum habuit suo prælo premendum, inceptamque dudum operam, me inuito, & sæpe incassum reclamante diutius intermisit; atq; ab illius viri obitu varia caussatus indies impedimenta, etiamnum intermittit: exorandus est mihi patronus aliquis magnæ apud Typographum autoritatis, qui voluminis editionem absque intermissione iubeat, & illi segniori testudini velum imponens, veloque vehementioris spiritus flamen incutiens, tardigradam festinare aliquando cogat: hunc mihi Venetijs conquiram e Patriciorum ordine. Post lychnorum perennium meditationem, difficillimum aliud argumentum De Nouis astris & cometis improbo labore sex intra libros congerere tentaui, Astronomicarum omnium obseruationum rationem de Peripato reddere conatus: an satis ostenderim Physiologiam nostram cum Mathematica nullas inimicitias agere; sed miris modis cum ea consentire, iudicabunt vna tecum tui similes, ingenui nimirum & vere sapientes: spero me proxima æstate volumini coronidem impositurum; etenim postremæ partis terminum prope video. Philosophia, certe me nunc totum in scholis occupat, & domi; sed & politissimas, easdemq. solidam spirantes eruditionem litteras tuas & suspicit, & amat: me vero abste in ipsis tam humaniter tractari, hoc summæ tuæ beneuolentiæ purum est opus, innatæque tibi comitatis; quæ ambæ, vt Lucretianis verbis vtar,

Suauiter attingunt, & suauiter omnia tractant.

Hodie inter Musas Antenoreas datum est nobis in mensa Prætoria optimi BONI perfrui iucundo nimium sapore tuarum alpium, alitum, ad Illustrissimum virum transmissarum, & abste carminibus elegantissimis iure celebratarum; quæ in gratiam Senatoris ampliſſimi sic proferre conabatur Etruriæ Musa,

Rendine

Digitized by Google

Rondine, che da l' alpi a noi predice,
E porta horrida neue, e algente brama;
E l' augel pinto di purpurea piuma
Il collo e l tergo in questa erta pendice.
Mandianti ottimo BON; BON da radice
Di stirpe, che l' italia orna & alluma;
Ottimo da virtù, che non costuma
Restar sommersa in onda predatrice.
Minor del merto tuo, del mio douere,
Nol niego, è il don; ma questa colpa sia
Di Vccellator, che poca preda apporte;
Di me non già; cui venne dato in sorte
Da quei, ch' ogn' animal conserua e cria,
Seruar l' Ouil, non ingannar le fere.

Sed Latinam tuam non assecutam se sentiens erubuit. Doctissimos Pignorium, Sandellium, & Sinclyticum (quos magnos amicos tibi mecum, atque adeo cum Musis communes abste nuncupari sum interpretatus) tuo nomine plurimum salutaui, tuisque litteris & versiculis plurimum oblectaui. De numero vero Musarum apud Autores vario, quis magis quam tu, vere Musagetes, veram rationem reddere potest? attamen parere debeo tibi, supra me summum imperij ius obtinenti. Musæ nomen, vt video, priscis æquiuocum fuit; modo ad facultates animi, modo ad earum facultatum operationes, modo ab obiecta tractanda, modo ad sapientes ipsos homines indicandos vsurpatum; quo factum est, vt non idem semper fuerit apud autores Musarum numerus. Porro Scaliger ait, *a Subtilius contemplanti mihi videtur Musarum numerus a canentium numero per initia constitutus: itaque eo crescente ad quartam personam vsque,* a 1. poet. cap. 2.

additam a nonnullis & quartam Musam: aucta deinde variis in organis arte concentionum, etiam septem proditæ: postremo ad nouem vsque prometa frequentia in eo stetit: idque non sine caussa; est enim perfectissimus numerus: super quo multi multa ex Musicorum præceptionibus tradidere. In quibus ego Scaligerianam non agnosco subtilitatem: quum etenim ab initio canentes essent vni, & singuli; nunquam tamen ab vllo Musa posita fuit vnica; quandoquidem prisci Gentilium Theologi duas ab initio Musas posuerunt; quarum vnam, quæ meditando inueniret, Meleten appellauerunt; alteram, quæ inuenta certo disponeret iudicio, Poeticen: quod & ipsemet paullo antea Scaliger obseruauerat, inquiens, *Iccirco duæ tantum Musæ per initia creditæ a priscis Theologis, qui se se earum discipulos cecinere; quarum altera dicta* μελετα; *quæ quidem meditando inueniret; altera* ποιητικη *inuenta certo disponeret iudicio.* & ante Scaligerum tres ad minus fuisse vel quatuor, testatur Gyraldus, asserens: *Musarum igitur in primis duo genera fuerunt; antiquarum, quas Cœli, & Terræ filias dixere: & iuniorum, de quibus paullo post agendum. &c.* Deinde nec ab instrumentorum musicorum varietate, nec a perfectione numeri nouenarij Musas nouem tantummodo fuisse dicendum; tum quia multo perfectior est numerus denarius; quod, & Bongus [illegible] cui de Mystica numerorum significatione tractanti [illegible] *rius numerus ad Denarij non accedens perfectionem; sed vnitate minor & citra illum deficiens, rerum & operum imperfectionem ac diminutionem designat, mortalibus potius & rebus seculi competens, quam diuinis*, cuiusmodi Musæ creduntur: quin & pluribus Nouenarij numeri designat imperfectionem, nullamq. prorsus in eo perfectionem agnoscit: tum quia musicorum instrumentorum numerus nouenarium excedit; nam apud eumdem Bongum, *Decem fuerunt Cantores Psalmorum, vt habetur in Misdrach: Tillim videlicet, Adam, Abraham, Melchisedech, Moyses, Asaph, Dauid, Salomon*

b De Dijs gent. synt. 7.

Digitized by Google

Salomon, & tres filij Chorę; quamquam a nostris Theologis alij connumerentur, nimirum Moyses, Dauid, Salomon, Asaph, Ethan, Ezrachi, Eman, Ezraita, Idithum, & tres filij Chorę, quorum in primo Paralip. nomina recensentur, videlicet; Asir, Elcana, & Abiasaph: Illis correspondent decem organa, ideſt decem instrumenta, vel decem modi Musicę, quibus canebantur, sic dicti apud Hebræos, Neza, in quo canebantur Odæ; Nablum, idem quod organum; Mizmor, in quo Psalmi; Sir, in quo cantica; Tephila, in quo orationes; Beracha, in quo benedictiones; Halel, in quo laudationes; Hodaia, in quo gratiarum actiones; Asre, in quo alicuius felicitas; Halleluiah, in quo laudes Dei tantum, & orationes: Dauid etiam Psalterium vocat decachordum &c.

Sic ergo Scaliger, vt recte numerum Musarum ab initio binarium fuisse notat, ita rationem numeri, & augmenti non recte desumit a numero canentium, & organorum Musicalium. Quum ita prisci duas tantum Musas primo posuissent, Meleten, & Poeticen; post, *c* Arnobij relatu, *d* Tzetzis, & *e* Pausaniæ testimonio, Corinthus Eumelus, & Ephorus tertiam his adiecerunt, quam a Memoria cognominarunt. Mnaseas deinceps, obseruatu *f* Lilij, & *g* Arnobij, quartam Musam numerauit, vt etiam *h* Aratus. Quidam apud eumdem *i* Gyraldum quinque Musas tradiderunt propter quinque sensus. Epicharmus in Nuptijs Hebes, Myrtilus, seu Myrsilus, vt ait Arnobius Musas numero septem commemorauit. Mirum sane videtur, neminem antiquorum dedisse Musis numerum senarium, quum tamen hic *numerus resultet ex dupla proportione*, vt ait Bongus, *quæ diapason conficit omnium consonantissimam; & Orpheus Mystarum princeps hymnos iubet sexta generatione finiri, quum ait,*

Aetate in sexta studium finite canendi.

Crates eidem *k* Arnobio Musas asseuerat octo: ad extremum Hesiodus in Theogonia, Homerus, Orpheus, Plato, & omnes alij constituerunt Musas esse nouem; nam & Granius a-

c 3 *adu. Gent.*
d *in Hesiod.*
e *in Boeotic.*
f 7 *synt. Deor.*
g 3 *adu. Gent*
h 5. *astro.*
i 7. *synt. Deor.*
k *lib.* 3.

apud veteres homo doctissimus, Nouensiles, qui Dei dicebantur Sabinorum a Pisone, Musas existimauit. Porrò nequeo ratio defuit cuilibet proposito Musarum numero; siquidem l Phornutus, Duæ, inquit Musæ dicuntur, propter theoricen, & practicen; nam & disciplinæ in speculatione, & actione consistunt. Tres Pausanias in Boeoticis ait constitutas, Meleten, Mnemen, & Aoeden, quasi dicas, Meditationem, Memoriam, & Cantionem; m Plutarchus, & Phurnutus, ob ternarij numeri perfectionem; aut quod tria speculationum genera sunt; quibus tota Philosophiæ ratio impletur; quæ ab n Aristotele diuisa est omnis in partes tres, Mathematicam, Naturalem, Metaphysicam; Tzetzes propter tres tonos, tria tempora, tres personas, & tres denique Græcorum numeros, singularem videlicet, dualem, & pluralem. Quatuor Aratus, & Mnaseas, ob quatuor dialectos Græcorum, Ionicam, Atticam, Doricam, Aeolicam; & propter alia multa; Phurnutus, quod vetusta Musicorum instrumenta quatuor habuerint sonos. Quinque, propter quinque sensus, & Phurnuto propter quinque sonos Musicorum instrumentorum veterum. Septem Epicharmus, & Myrtilus posuere Musas, ob septichordem lyram, & propter septem Zonas, septemque stellas, & inter hæc ob septem vocales, & quædam alia, vt ait o Lilius. Octo Crates, ob octo sphæras cœlestes astris insignitas ab antiquis cognitas, & ob octo musicos tonos, vt innuit ipse p Scaliger. Nouem Hesiodus, Homerus, Orpheus, & alij omnes antiqui, tum quia Varro apud q Arnobium tradit, nouenarium numerum in mouendis, siue innouandis rebus potentissimum semper & maximum haberi: tum quia nomen matris Musarum Mnemosyne nouem litteris constet; licet hoc non ita collaudet r Plutarchus, male notatus à s Scaligero, quasi hoc laudauerit; nam verba Plutarchi sunt, ‘ἐγὼ γὰρ δὴ πυκάσαι πείθει τὸ Μουσαγέτην ἐννέα ποιήσαι, ὅτι τὸ ὄνομα τῆς μητρὸς αὐτῶν ἐκ τοσούτων γραμμάτων ἐστίν. hoc est, Nō enim existimo id quoq; sibi persuasū esse, Musas

l *de nat. Deor.*
m *9. symp. q. 14.*
n *6. met. tit. 2.*
o *7. synt. de Diis Gen.*
p *1. post. cap. 2.*
q *lib. 3.*
r *9 symp. q. 14.*
s *1. post. cap. 2.*

Digitized by Google

tot esse, quia matris earum nomen totidem constet litteris: non bene vertebat hoc in loco Xilander *syllabis*; nam & Plutarchus quæstionem proposuit cur Musæ nouem determinate sint, neque plures, neque pauciores; in nomine vero Matris Musarum, quæ *Mnemosyne* dicitur, quatuor tantum syllabæ leguntur; & verbum Græcum γραμματων, non nisi litteras significat; quum syllaba Græcis pariter dicatur συλλαβη: & quia Plutarchus alias longe diuersas affert rationes nouenarij Musarum numeri, dicens eo loco, Musas esse nouem tum quia disciplinæ omnes quibus Musæ præficiuntur, Mathematica, Philosophia, & Oratoria, singulæ in tres terniones diuisæ, nouenarium numerum constituunt; subdiuisa Mathematica in Musicam, Arithmeticam, & Geometriam; partitaque Philosophia in Dialecticam, Moralem, & Naturalem: scissaque Oratoria in Demonstratiuam, Deliberatiuam, & Iudicialem; quibus singulis vnam Musarum præponens, nouenarium numerum in illis agnoscit: tum quia Musæ sunt octo globis cœlestibus præfectæ, vna locum pone terram est sortita, *Quæ octo sphærarum*, inquit, *reuolutionibus præsunt, ea errantium stellarum aduersus inerrantes, & ipsarum inuicem conseruant harmoniam: vna, quæ locum Lunæ, & terræ interiectum custodit, atque obit; ea mortalibus gratiæ, ythmi & harmoniæ (quantum horum eius ipsos recipere natura finit) indit facultatem ac rationem, & ciuilem persuadendi, qua societas humani generis adiuuetur; demulcetque & sedat animorum tumultus, vagantesque veluti ex auijs reuocat placide & componit.* Quum sententiam quum probabilem afferat Plutarchus, aliam veriorem affert, addens Musarum vnam Vraniam cœlo deberi, cuius natura est vna, & simplex; octo alias humanæ vitæ præfici; cuius res serias moderentur Calliope, quæ nos ad gubernationem Reipublicæ; Cleio, quæ ad studium bonorum, Thalia, quæ ad notitiam Deorum eleuat; Polymnia, quæ discendi memorandique animæ præest; Euterpe, cui consideratio veritatis de rebus

Digitized by Google

bus naturalibus adscribitur: Res vero iocosas gubernent in humana vita Erato, quæ præficitur libationibus & amicitiæ, vnde tollat lasciuiam, & molliciem; Melpomene, & Terpsichore moderentur oblectationes aurium, & oculorum. Licet in eo notandus esse videatur ipse Plutarchus, qui eamdem Musam Thaliam, quam nuper serijs præfecerat, & nos ad Deorum notitiam attollere dixerat; postea iocosis præsidem faciat, & hominem de foro sociabilem facere moneat in conuiuijs: ideoque qui amice & hilariter compotant, eos Thaliazin dicimus, non qui per vinum culpam committant: tum etiam Musæ nouem dicuntur, quia, vt Phurnutus ait, quos in suorum numerum cooptarint, triangulares reddant; talis enim est nouenarius numerus, generationem quamdam sua natura innuens; ac videtur a perfectione primi numeri particeps esse: nam ternarius *s* Aristoteli primus est numerus impar, & nouenarius triplici ternario constituitur: tum quia nouem fuerunt ipsarum inuenta, nam Clio reperit historiam, Thalia plantarum artem, Euterpe Tibias, Melpomene Cantilenam, Terpsichore Choream, Erato Nuptialia, Polymnia Rhetoricam, Vrania Astrologiam, Calliope Poesim. Extat Virgilio adscriptum *t* Ausonij Epigramma de Musarum inuentis huiusmodi nouenarium numerum celebrans,

s 2. *post.* 1 70.

t Idil. 20.

Clio gesta canens transactis tempora reddit:
Melpomene tragico proclamat mœsta boatu:
Comica lasciuo gaudet sermone Thalia:
Dulciloquos calamos Euterpe flatibus vrget:
Terpsichore affectus citharis mouet, imperat, auget:
Plectra gerens Erato saltat pede, carmine, vultu:
Carmina Calliope libris heroica mandat:
Vranie cæli motus scrutatur, & astra:
Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia gestu:

Mentis

Digitized by Google

Mentis Apollineæ vis has mouet vndique Musas:
In medio residens complectitur omnia Phœbus.

Sed hac de re venustissimum legitur epigramma Græcum his fere notis.

Καλλιόπη σοφίῃ ἡρωΐδος ἔυρεν ἀοιδῆς,
Κλειὼ καλλιχόρῳ καθάρης μελιηδέα μολπήν,
Εὐτέρπη τραγικοῖο χορῷ πολυηχέα φωνήν,
Μελπομένη θυητοῖς μελίφρονα βάρβιτον ἧρε,
Τερψιχόρη χαρίεσσα πόρεν τεχνήμονας ἀύλους,
Ἔρμῆς ἀθανάτων ἐρατὼ πολυτερπέας εὗρε,
Τέρψιας ἐυχηθμοῖο πολύμνια πάνσοφος ἔυρεν,
Ἁρμονίῃ πασαισι πολύμνιᾳ δῶκεν ἀοιδαῖς.
Οὐρανίη πόλον εὗρε καὶ οὐρανίων χορὸν ἄστρων.
Κωμικὸν εὗρε θαλεια βιον τε καὶ ἤθεα κεδνά.

Quod Ausonius fere videtur vertisse, quum ad verbum paulo aliter vertendum fuerit, quod præstare conatur Gyraldus: tum demum nouem esse Musæ dicuntur, quod Orpheus vnicuique sphærarum cœlestium, quas octo cognouerat, & Vniuersitati Mundanæ animam quamdam viuificatricem assignabat, quam ille dicebat esse Musam; nam Lunæ Thaliam, Mercurio Euterpen assignabat, Veneri Erato, Soli Melpomenen, Marti Clio, Ioui Terpsichoren, Saturno Polymniam, Firmamento Vraniam, Vniuersitati Mundanæ Calliopen: vnde constat a Scaligero non discernente totum Cælum a singulis orbibus cælestibus seorsim acceptis perperam accusari priscos de nouenario Musarum numero ducto a numero cælestium sphærarum, dum infit, *v Antiqui autem errarunt, qui a cælorum numero eum numerum ductum voluerint: nam octo tantum quum agnoscerent eo tempore, totidem faciebant Musas; nonam autem Matrem potius, aut nutricem arbitrabantur; aut ad Apollinis referebant potestatem.* Quem etiam coarguunt ea, quæ Plato, & ex Platone Macrobius de Musarum numero retulit: Plato *x* quidem,

v 1. *poet.* cap. 2.

x 1. *de Inst.*

Musas

Musas appellans nomine Sirenum, quas orbibus cælestibus singulas attribuit, & nonam toti Mundanæ sphæræ; Macrobius autem idipsum asserens in somnio y Scipionis *Hinc Plato*, inquit, *in Republica sua quum de sphærarum cælestium volubilitate tractaret, singulas ait Sirenas singulis orbibus insidere; significans sphærarum motum tantum numinibus exhiberi; nam* Siren *Deacanens Græco intellectu valet. Theologi quoque nouem Musas, octo sphærarum musicos cantus & vnam maximam concinentiam, quæ consit ex omnibus, esse, voluere: Vnde Hesiodus in Theogonia sua octauam Musam Vraniam vocat; quia post septem vagas, quæ subiectæ sunt, octaua stellifera sphæra superposita proprio nomine cælum vocatur* (quod & z Aristoteles decreuit) *& vt ostenderet nonam esse & maximam, quam conficit sonorum concors vniuersitas, adiecit,*

y lib. 8. cap. 3.

z 1. cel. t. 96.

Καλλιόπη θ', ἣ δὴ προφερεστάτη ἐστὶν ἀπασέων,

i. *Calliopeque, hæc autem excellentissima est omnium. Ex nomine ostendens ipsam vocis dulcedinem nonam Musam vocari; nam* Καλλιόπη *optimæ vocis Græca interpretatio est: & vt ipsam esse, quæ consit ex omnibus, pressius indicaret, assignauit illi Vniuersitatis vocabulum,* ἣ δὴ προφερεστάτη ἀπασέων; *hæc autem excellentissima est omnium,*

Hesiodi vero Carmina sunt in Theogoniæ principio,

Ταῦτ' ἄρα Μοῦσαι ἄειδον, Ολυμπια δώματ' ἔχουσαι,
Ἐννέα θυγατέρες μεγάλου Διὸς ἐκγεγαῶσαι,
Κλειώ τ', Ευτέρπη τε, θαλεία τε, Ουρανίη τε,
Τερψιχόρη τ', Ερατώ τε, Πολύμνια τε, Ουρανίη τε,
Καλλιόπη θ'. ἣ δὲ προφερεστάτη ἐστιν ἁπασέων.

i. *Hæc sane Musæ canebant, cælestes domos tenentes, Nouem filiæ magno e Ioue prognatæ, Clioque, Euterpeque, Thaliaque, Melpomeneque Terpsichoreque, Eratoque, Polymniaque, Vraniaque, Calliopeque: hæc autem excellentissima est omnium.*

Plutar-

Digitized by Google

Plutarchus item in Symposiacis agens ex professo de Musarum numero scribit, *a In ore omnes habent nouenarium numerum; & nemo non eum decantat, vt qui primum sit primi imparis quadratum, & pariter impar, scilicet qui in tres aequales diuidatur impares, atque his adde numerum hunc e primis constatum esse cubis, vnitate & octonario: rursumq; alio modo e duobus triangulis, ternario, & senario; quorum vterque perfectus est.* & mox. *Enimuero prisci quum obseruassent omnes scientias, & artes, quae ratione, & sermone absoluuntur, in tribus versari generibus, Philosophico, Oratorio, & Mathematico: dona haec fecerunt trium Deorum, quas Musas dixerunt: Post, & sub eamdem aetatem Hesiodi, quum tam facultates istae latius se proferent; in partes seu formas quum diuiderent, animaduerterunt vnamquamque tria in se continere discrimina, scilicet inesse in Mathematica Musicam, Arithmeticam, Geometriam; in Philosophia disserendi vim, Morum & vitae rationem, Naturae considerationem; in Oratoria primum Exornationis extitisse, deinde Consultationis, vltimo Iudicialem facultatem: quarum omnium quum censerent nihil Deo, musa, meliorique principio & praeside carere, bona ratione totidem Musas non fecerunt, sed agnouerunt. Sicut ergo nouenarius in tres diuiditur terniones, quorum quiuis denuo in tres vnitates secatur: ita vnicum, & commune est, Orationis circa veritatem rectitudo: diuiditur autem in tria genera, quorum vnumquodque in tria singularia deducitur, quorum vnicuique sua obtigit Musa, eius fouens ornansque facultatem.* Sed & magi, qui coelestibus siderum errantium globis quadratos numeros dicarunt, Nouenarium Saturno consecrauerunt, obseruatu *b* Bongi: est autem Saturnus praeses disciplinis, atque litteratis; qui e Aristotele doctore sunt vel natura, vel officio melancholici; atque adeo Saturnini: quum ergo Musae scientias indicent, & homines litteratos; vt late probauimus etiam in Encyclopaedia *d* nostra ad Aram Lemniam Dosiadae; iam apte congruit Musis numerus

a lib. 9. q. 14.

b de mist. nu. sign. c 30. sect. probl. 1.

d cap. 6. in f.

merus nouenarius; in quo conquieuit omnis Antiquitas eum, non prætergressa. Cæterum vt nemo seniorum Musam vnicam vnquam esse constituit optima ratione; quod ab Ioue principium Musæ retineant, vt inquit Hesiodus in Theogonia; vnitas tantum Deo competit adeo, vt quæcumque a Deo sunt, dualitate, ac pluralitate notentur; quum ab eo simpliciſſimo pendentia, saltem ex actu & potestate constituantur, essentiaque donentur habente partium multitudinem: ita nemo repertus est vnquam (quod obseruabamus) qui Musis numerum Senarium attribuerit: quum tamen senarius numerus obseruatu Bongi tribuatur Veneri a Martiano Capella, quæ fortasſis ideo Mater Harmoniæ dicitur, quod senarius fuerit primus harmoniæ genitor; namque resultat ex dupla proportione, quæ diapason conficit omnium consonantiſſimam. Sed non ne mentis inops ego sim, qui plane ἄμουσος de Musis ad te Musarum Mystam eruditiſſimum scribere non dubitem? Vale, decus Antistitum, & me amare perge. Patauij. VIII. Idus Decemb. M DC XX.

DE ANNVLORVM FERreorum, & aureorum vsu apud antiquos Romanos.

Aloisius Lollinus Bellun. Episc. Fortunio Liceto S. P. D.

MVltum tibi me Licete debeo tanquam luculenti nominis parario, quod mihi voluptatis, fructusque affert, afferetque, vt diuinat animus, in dies plurimum. Ecquodnam nomen istud sit rogas? Stroza tuus, idemque tuo beneficio meus, iuuenis lectiſſimus, si ætatem respicis; sin ingenij

Digitized by Google

genij monumenta, si vorsam, prorsamque non in vno genere facundiam, veteranus in studijs miles, immo rudiarius. Equidem delector mirum in modum ipsius litteris scriptis peramanter; oratione funebri capior summopere, totaque illa exequiali pompa ita sane graphice descripta, vt lectorem spectatorem reddat e vestigio: promissis etiam non parum ducor per quam amplis, quibus spem nobis facit, seu potius fiduciam fore, vt breui poematis exorsum non tenue legamus, quo Venetæ Vrbis incunabula persequitur grandiori stylo. Sed heus tu, laudum tuarum pondere nimium nos oneras, dum ornas, an illis pro dignitate respondsuri simus, susque deque habens: proinde vt restrictius porro agas sane censeo, nisi vis me famæ sponsoris periculo decoquere, si occasio faciendi apud Agonothetas periculi vspiam inciderit. Ceterum an putes apud Romanos meliores aureorum annulorum vsum fuisse, an ferreorum tantum priscis illis temporibus, mihi significare ne moleste feras. Vale Lycei columen, & rem posteritatis strenue, vt cœpisti, gere. Bellun. Nonis Augusti MDCXXI.

Illustriss. & Reuerendiss. Bellun. Episc. Aloysio Lollino Fortunius Licetus B. A. Respon.

STroza quidem noster omnia meretur genera laudum: Tu vero vir eruditissime, omnia laudum genera supergrederis, irrito conatu summæ modestiæ tuæ, quæ te infra laudes meas deprimere tentat. Ad annulorum priscorum materiam quod attinet, noui doctos viros existimasse, ferreos annulos melioribus olim seculis antecelluisse annullis aureis, & argenteis; quod & Iupiter Prometheo ferreum donauerit: & Romæ Senatores, & Lacedemone Reges ipsi digitis illis ferreos annulos induerint, quibus maximam orbis terrarum

Digitized by Google

partem temperabant: vt deplorandæ sint rerum vices: nimirum ferreos annulos tunc ab aureis viris habitos; posterius ab homunculis plumbeis, vel siculnis potius aureos passim gestari: ferreis annulis oneratas manus, Asiæ aurum diripuisse, & Libycas opes funditus euertisse; neque a barbaris vnquam post tergum reuinctas fuisse, nisi quum plusquam tria modiorum millia aureorum annullorum Romanus miles in castra inuexit. Verum enim vero longe mihi alia mens est in proposito; nam etsi homines antiquiores ferreis annulis vtentes, ob frugalitatem & fortitudinem antecellerent ijs, qui nimio luxu molliti postea gestabant annulos aureos, & argenteos; non tamen ideo ferrei annuli argenteis & aureis vnquam antecelluerunt; sed semper his dignitate concessere plurimum; etenim repertis aureis & argenteis tantum non despectui sunt habiti ferrei annuli. Prometheo quidem Iupiter annulum ferreum donauit, at non honoris ergo, sed mœroris atque doloris caussa; vt continuam suæ pœnæ memoriam amaram secum gestaret Prometheus, Iupiter eum soluens ex Caucaso, iussit vt annulum catenæ, qua tamdiu vinctus fuerat, cum scrobe saxi secum semper deferret; quam historiam refert etiam Plinius inquiens, *a Pessimum vitæ scelus fecit, qui annulum primus induit digitis: nec hoc quis fecerit, traditur: nam de Prometheo omnia fabulosa arbitror; quamquam illi quoque ferreum annulum dederit antiquitas: vinculumque id, non gestamen intelligi voluerit.* Pierius in eamdem sententiam scribit, *b Promethea olim Saturni lege perpetuis vinculis ab Ioue damnatum, ea mox conditione liberatum, vt inde annulum lapide & ferro compactum gestaret, ne omnino exolutus pœna videretur; indeque annulorum vsum propagatum.* Sed ante hunc Cœlius inquit, *c Prometheum quum Ioui Parcarum sortem patefecisset de Thetidis filio, quem patre illustriorem amplioremque futurum cecinerant, ab eo vinculis liberatum; ea tamen ratione, vt annulum lapide & ferro compactum gestaret; ne omnino pœna videre-*

a *lib. 33. c. 1*

b *Hierog. 56.*

c 2 *ant. lec. cap. 7.*

Digitized by Google

videretur exsolutus; quod & annulorum initium agnoscitur primum. Ceterum antiquiores Romanos prætulisse ferreis annulos aureos, ostendit Plinius iunior, inquiens vsum annulorum aureorum seruis interdictum, fuisse proprium Senatorum, ac Prætoriorum, his plane verbis, *d Omitto quod Pallanti seruo prætoria ornamenta efferuntur; quippe offeruntur a seruis: mitto quod censent, non exhortandum modo, verum etiam compellendum ad vsum aureorum annulorum: erat enim contra maiestatem Senatus, si ferreis Prætorius vteretur.* Verum & Plinius auunculus asserit, *e His qui Legati ad exteras gentes ituri essent, aureos annulos publice donari consueuisse: quoniam ita exterorum honoratissimi intelligebantur. Neque Romanis alijs aureo annulo vti mos fuit, quam qui ex ea caussa publice accepissent: vulgoq. sic triumphabant.* additq. mox. *Hi quoque, qui ob legationem acceperant aureos, in publico tantum vtebantur eis; intra domos vero ferreis.* Adstipulatur his Macrobius, referens ex Pontificali Romanorum libro de annulis ista, *f Veteres non ornatus, sed signandi gratia annulum secum circumferebant: vnde nec plus habere quam vnum licebat, nec cuiquam nisi libero: quos solos fides deceret, quæ signaculo continetur: ideo ius annulorum famuli non habebant: imprimebatur autem sculptura materiæ annuli siue ex ferro, siue ex auro foret: & gestabatur vt quisque vellet, quascumque manus, quolibet digito: postea vsus luxuriantis ætatis signaturas pretiosis gemmis cœpit insculpere; & certatim hæc omnis imitatio lacessiuit, vt de augmento pretij, quo sculpendos lapides putassent gloriarentur. Hinc factum est, vt vsus annulorum exemptus dextera, quæ multum negotiorum gerit, in lauam relegaretur, quæ otiosior est, ne crebro motu, & officio manus dextræ pretiosi lapides frangerentur. Electus in ipsa læua manu digito minimo proximus, quasi aptior ceteris, cui commendaretur annuli pretiositas: nam pollex, qui nomen ab eo quod pollet accepit, nec in sinistra cessat, nec minus quam tota manus*

d *lib. 8. epi. 6.*

e *lib 33 c. 1.*

f *7. satur. c. 13.*

g Contra manus. *nus semper in officio est: vnde apud Græcos* g ἀνθχειρ *vocatur, quasi manus altera: pollici vero vicinus nudus & sine tuitione alterius appositi videbatur; nam pollex ita inferior est, vt vix radicem eius excedat. Medium, & minimum vitauerunt, vt ineptos, alterum magnitudine, breuitate alterum & electus est qui ab vtroque clauditur, & minus officij gerit; & ideo seruando annulo magis accomodatus est. Hæc sunt quæ lectio Pontificalis habet.* Ex quo Macrobij loco plane constat, annulorum ferreorum vsum antiquiorem non fuisse aureorum vsu, sed frequentiorem: Liquet etiam ex vtroque Plinio, melioribus olim seculis apud Romanos pluris æstimari consueuisse annulos aureos quam ferreos. Quod & Suetonius innuit, asserens a Cæsare dictatore Decium Laberium Equitem Romanum donatum fuisse annulo aureo. Siquę concessero vetustissimis Numæ, Seruijque Tullij Regis temporibus apud Romanos non fuisse vsum aureorum annulorum, non tamen ideo dabo tunc illis Regibus gestatos fuisse ferreos, quod illis honos daretur supra aureos: at quia tunc aurum Romæ non erat in ea copia, vt ex ipso fierent annuli: siquidem Plinij testimonio, Romæ aurum non fuit nisi admodum exiguum longo tempore: quo ne Senatum quidem Romanum habuisse annulos aureos manifestum est: vndę non frugalitate, sed necessitate coacti, ob paupertatem ac penuriam auri, ferreos annulos communiter gestabant Romani, non autem electione ducti, ob parsimoniam ac temperantiam, qua ferreos annulos aureis anteponerent. Miraturque Plinius in Capitolio Romuli statuam nullum annulum habuisse, Numæ Seruijque Tulij ferreum habuisse, at post hos ne Lucij quidem Bruti, neque Tarquiniorum statuas vllos habuisse annulos, neque aureos, neque ferreos: & annulorum loco Prisci Tarquinij filium, quum in prætextæ annis occidisset hostem, bulla aurea donatum: vnde maiorem etiam tum auri quam ferri fuisse æstimationem constat. Idem euincas de Lacedemonijs: nam, & Homerus

longe

Digitized by Google

longe pluris æstimat aurea arma Glauci, quam ferrea Diomedis: dum illa centum, hæc autem nouem bobus valere monet: adeoque Glaucum sua cum Diomedæis permutantem arma, stultitiæ accusat his metris,

Ενθ' ἄυτε Γλαύκῳ Κρονίδης φρένας ἐξέλετο ζεύς,
Ος πρὸ Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβε,
Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι ἐννεαβοίων.

hoc est,

Tum vero Glauco Saturnius mentem ademit Iupiter,
Qui cum Tydide Diomede arma permutauit,
Aurea ferreis, centum bobus valentia nouem bobus valentibus.

Quem Homeri locum latius explicauimus in Encyclopædia nostra ad Aram Lemniam Dosiadæ. Ceterum quod Romani Antiquiores annulis ferreis vtentes diripuerint opes Asiæ, mirum non est: nam a pauperibus ditiorum gazam diripi, nouum non est: immo vero virtutis opus non est: Romanos posterioribus temporibus auri copia luxui deditiores, ac luxu mollitos, a Pœnis victos aliquando fuisse, notissimum est: sed non ideo auro pollentiores hos pauperioribus illis deteriores fuisse, dicendum est: quia post illam cladem Romani ditissimi, tandem Punicum imperium funditus euerterunt Carthagine destructa, & orbem terrarum fere suæ ditioni subiecerunt. Nec absolute ferrum auro præferendum est: nec antiquitus prælatum fuisse, confitendum est: quoniam & in sacris *b* litteris habemus, Deum iussisse altaria laminis aureis obtegi, non ferreis: & apud *i* Platonem legimus, ex Hesiodo meliores homines aureos appellari, gentem vero prauam ferream nuncupari: & apud Poetas meliorem ætatem *k* mundi auream dici, peiorem ferream. Sic ergo, vir eximie, nunquam ferrum auro fuit antepositum: & hæc de annulorum vsu apud antiquos mea mens est. Vale, meque Tibi deditissimum amare ne desinas. Patauij. V. Kal. Septemb. M DC XXI.

h *Exod.* & 40.
i *In Cratilo.*
k *Ouid. 1 metam.*

DE

DE MITHRÆ LVCO IN Chyndonactis Druidarum Principis Epitaphio

† *Sapientia praclara Bella.*

Fortunio Liceto V. Cl. † σοφίης ἐρικυδέος ἀστὴρ
Andreas Taurellus I. C.
ἐιπρατλειν

REfert Gruterus in thesauro antiquarum inscriptionum elogium tum vli Chyndonactis Druidarum Principis quod Diuioni, hoc est in Patriæ meæ solo repertum, quum mendis pœne vbique scateat; credidi e re litteraria fore, a ἀυτοψίαν, cui magna fides esse solet, opponere; & tibi (Vir eruditissime) sigillatim proponere in quibus lapsus sit solertissimus alioquin antiquarum rerum indagator. † Αρχέτυπον alias exacte notauimus in ædibus amicissimi Guenebaldi popularis nostri, cuius vinearij coloni, dum prædium vitibus consitum colerent, vix primo ab Vrbe lapide anno MDIIC duos sphæricæ formæ lapides, quorum alter alterum operiebat, effodere; sub vtroq. reconditum erat vas ansatum, crassiore vitro, vbi defuncti cineres includebantur. At lapidis inferioris ea crassities, quæ diametri pedis geometrici; cuius in medio literæ XY. in circulari superficie talis inscriptio,

a *Oculatem inspectionem*

† *Primigenium exemplar*

ΜΙΘΡΗC ΕΝ ΟΡΓΑΔ. ΧΩΜΑ ΤΟ CΩΜΑ ΚΑΛΥΠΤΕΙ
ΚΥΝΔΟΝΑΚΤΟC ΙΕΡΕΩ ΑΡΧΗΓΟΥ
ΔΥCΕΒ ΑΠΕΧΟΥ
ΑΥCΙΟΙ ΚΟΝ. ΟΡΩσι.

ideſt

ideſt,

In Mithræ luco tumulus hic corpus tegit
Chyndonactis Sacerdotum Principis.
Impie abſtine;
Dij liberatores Cimeribus fauent.

Idem refert Gruterus, ſed deprauate; nam Θ ſic ab illo pingitur. |⊟| . O hoc modo |⊐| . Ω vt hic ⊐| . C vero huiuſmodi |⊐| . denique ϒ ſic V; quum in archetypo ſcriptum ſit vt ſupra notauimus. Dictioni Οργασ. loco puncti, male addit I. nec bene nomini χῶμα, præponit σῶμα. ϒ, quod adeſt in fine ἱερέω abijci debet. in vtroque δυσεβ. & κον. addenda quæ deſiderantur puncta. male ἀπεχ pro ἀπέχου ſcribit: vbi vero maxime errat, Auguſtoduni repertum putat, quod Diuioni: oculatos teſtes habemus Clariſſimos Salmaſium, Iuretum, Sanctongium, à Vallepella, & alios Senatorij Ordinis populares, quorum vni (vt Comicus ait) maior eſt fides, quam auritis decem. Ad hanc autem veterem inſcriptionem reſtituendam difficiliora perſtringam, vulgaria prætermittens *b* ὑπομνήματα. Si quid tamen omiſſum putes in illuſtranda re adeo antiqua, quæſo te, vir *c* πολυμαθὴς, (quem iure habeo inter primos huius æui non ſolum phyſiologos, ſed philologos) adde ab illa tua *d* τῆς ἀγχινοίας εὐπορίᾳ, quod ſuppleat inopiam meam. Occurrit primum dictio Μίθρη, vox Perſica ad Græcos translata, quam pro Apolline ſumptam nemo e philologis negat: hinc dicta Mithriaca ſacra, quæ fiebant à ſacerdotibus Apollinem magna veneratione proſequentibus (inquit *e* Crinitus) quem Mithram appellabant. Sed Statius in Thebaide Mithram pro Sole dixit, *f*

Indignata ſequi torquentem cornua Mithram.

Vnde altera mihi ſubnata difficultas: non enim idem omnino Apollo cum Sole: Solem aſtrorum Principem, & moderatorem reliquorum luminum dixere Cicero, Macrobius, & alij; Apollinem vero Deum inuentorem Poeſeos, Lyræ,

b *Monumenta.*
c *Multiſcio.*
d *Solertia abundantia.*
e *l. 5. ca. 14.*
f *l. 1. in fi.*

Medicinæ, Diuinationis, Musices. At remoram dubij tollit idem Macrobius, asserens Apollinem etiam pro Sole vsurpari, & confundi, qui in Cælo Sol, in terris Liber, in inferis Apollo ab antiquis habebatur; sic Luna in Cælo Cynthia, in terra Diana, in inferis Hecate. Ceterum siue μίθρα Solem, quem à Persis adoratum constat ex Herodoto, Xenophonte, Brissonio; siue Apollinem asseram, cuius inter Druidarum Numina potior erat cultus, vt in commentarijs retulit *g* Cæsar. Cur Deam fœminino nomine, non Deum dixit? at reperio apud probatissimos auctores, vt Deas mares, sic Deos fœminas appellari: Macrobius in *h* Saturnalibus de Venere, & Luna exempla proponit; in Cypro, inquit, illius signum barbatum erat: & Aristophanes eam *i* Ἀφρόδιτον pro *k* Ἀφροδίτῃ nuncupat. Lunam marem facit: quod etiam Germani hodie retinent: & a mulieribus olim virili veste coli. Dixit Tertulianus masculum Lunum, siue Lunam. Blondus in sacris Luni Deo. Et Μίθραν in fœminino posuit pro Sole *l* Strabo, τιμῶσι δὲ μάλιστα ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν. Progredior ad nomen Chyndonactis: quæro quis iste Druida, immo quis *m* ἱερέων ἄρχηγος, eorum princeps? constat enim ex Cæsare, Druidas olim vnum habuisse, qui summa inter eos auctoritate polleret; quo fatis functo, si quis ex reliquis dignitate excelleret, succedebat: at Chyndonax præcelsi viri nomen; etenim testatur Budæus vocabula desinentia in ἄναξ non solum Heroibus, sed Dijs olim fuisse peculiaria: meminit Cæsar *n* Sigonacis, magnæ auctoritatis, & potentiæ inter Gailos Regis, & *o* Homerus ἄναξ pro θεὸς dixit,

† Ἑρμείας δὲ ἄναξ δῶκεν . . .

ibidem.

p Ἐκ Διὸς ὅς τε θεοῖσι, καὶ ἀνθρώποισιν ἀνάσσει.

alibi ——— † ἀνάσσεμεν Αἰτωλοῖσι.

vnde ἀνάσσω: ἄναξ. At Græca est, & peregrina terminatio: quid tum? Druidæ Græcis etiam literis vtebantur, vt ibidem

g 6. de bel. gal.

h l. 3. c. 8.

i Aphroditum.

k Aphroditæ.

l lib. 15.

m Sacerdotum primarius.

n 6 de bel gall.

o Iliad. 2.

† Mercurius aurea virga dedit.

p A Ioue qui Dijs, & hominibus imperat.

Digitized by Google

dem Cæsar. Sed quæ gens, qualis, & vnde nomen? Nemo inter Gallos hoc sibi attributum arrogabat; nisi qui se doctorem omnis veritatis, & fidei profiteretur. Druis Britanorum Dialecto quasi Truvvis; cui si tollatur litera duplex vv Latinis incognita, & mutetur tenuis in mediam, confestim erit Druis; hoc est vir sapiens. Scribit Albricus Saxonum lingua Dry Magum significare: & eos Plinius Magos appellat. Sed plerique censent hoc nomen eis inditum a quercu; δρῦς quercum, immo quamuis arborem refert: etenim inter arbores, & in syuis solitos degere testatur Cæsar. Alij altius Druidarum nomen repetentes a Druyde, siue Dryde iv Samotheorum [qui postea Galli dicti sunt] rege deriuant; de quorum moribus & disciplinis multa Cæsar, Strabo, Athæneus, Marcelinus, Plinius, & alij. Diuidebantur iuxta officia, quæ singuli exercebant, in Bardos, Eubages, Sarronidas, & Vacios. præerant isti Diuinis rebus. Eubages *q* μαντείαν exercebant. Sarronidæ *r* παιδουμίαν. Bardi (vnde mons Bardorum, opidum in Heduis antiquum) *s* ποιητικὴν. In finibus Carnutum regio est totius Galliæ media, quam designat Cæsar octauo lapide a Carnutum metropoli a Druidis vulgo Dreux dicta; vbi solemnis Druidarum consessus fieri solebat; quorum decretis lites Gallorum soluerentur: inter hos saltus asserit Simeontius adhuc extare quædam vestigia Druidarum ædium. Quum vero ex illis alij Sacerdotes, & Iudices essent, alij Causidici, alij Philosophi, alij Poetæ; non mirum si religiones interpretarentur, si iudicia exercerent, si Naturæ mysteria recluderent, & ad bonas disciplinas adolescentes instituendos susciperent, Heroicasque virorum illustrium actiones versibus celebrarent; vt Cæsar, Plinius, Strabo, Athenæus affirmant. Multa complexus est de illorum religione Strabo eo in libro, vbi totam Galliæ descriptionem *t* aperit. Δρυίδαι δὲ πρὸς τῇ φιλοσοφίᾳ, καὶ τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἀσκοῦσι, δικαιότατοι, καὶ νομίζονται, καὶ διὰ τοῦτο πιστεύονται, τάς τ' ἰδιωτικὰς κρίσεις, καὶ τὰς

† *Imperamus Aetolis.*

q *Diuinitricem.*

r *Iuuentutis institutionem.*

s *Poeticam.*

t *lib. 4.*

τὰς κοίτας ideſt, *Druidæ præter cauſſarum naturalium ſtudium moralem diſciplinam exercent: iuſtiſſimi omnium opinione: ideo & priuata & publica iudicia eorum fidei mandantur.* & paullo poſt ἀφθάρτους δὲ λέγουσι καὶ ἔτοι καὶ ἄλλοι τὰς ψυχὰς, καὶ τὸν κόσμον. *Immortales animas, & mundum hi & alij eſſe aſſerunt.* Obſeruat *u* Cæſar, eos temporum ſpatia non dierum, ſed noctium numero definiſſe; annos, & menſes ſic emenſos, vt noctem diei præponerent: forte quod Galli (referente Tullio) ſe genitos a Dite inferorum Deo prædicarent. Multa Plinius etiam de illorum ſapientia retulit: at memorabile, quod narrat de viſco, & illius arbore ſacra, Robore ſcil. vbi gignebatur, & excreſcebat. Plinianam lectionem, vt quæ tibi eſt ad manum, prætermitto. Ad hanc præterea Druidarum magiam reſpexiſſe *x* Virgilium reor, vbi de ramo aureo agit. Nec ignota fuit doctiſs. Lucano ſic canenti in *y* Pharſalicis.

u l. 6. com.

x 6. en.

y l. 1.

Vos quoque, qui fortes animas, belloque peremptas
Laudibus in longum Vates dimittitis ævum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi,
Et vos barbaricos ritus, moremque ſiniſtrum
Sacrorum Druidæ poſitis reperiſtis in armis;
Solis noſſe Deos, & Cæli numina vobis,
Aut ſolis neſcire datum; nemora alta remotis
Incolitis Lucis; vobis auctoribus Vmbræ
Non tacitas Erebi ſedes, Ditiſque profundi
Pallida regna petunt.....

Redeo ad Epitaphium Chyndonactis; nec enim erit abſre videre, quando factum ſit. Suſpicor ante Auguſti tempora; nam Druidarum religione ſacrificijs humanis cruentata, vt diræ immanitatis holocauſto ciuibus interdixit Auguſtus; quam poſtea omnino ſuſtulit Tiberius. Licet Vopiſcus aſſerat,

Digitized by Google

rat, Valerianum consuluisse Gallicanas Druidas, An in posteris imperium permaneret; nam tunc illæ erant, vt z Comicus ait, a ἐπιφυλίδες, reliquiæ superstitionis attritæ, profugæ, & in cryptis, siluarumque latibulis delitescentes: qualia sunt spelæa in rupibus Carthusianorum Diuionensium; quæ hodie ab illis fatuis Magis nomen retinuerunt. Supereſt expendamus epitaphij formam. Carmina puto tetracola; primum b ἑξάμετρον, alterum Phaleutium, tertium Adonium vltimum Glyconicum. Nolim in illis, vt in re vetustissima & sepulchrali, exactam legis metricæ regulam expectemus. Sed de istis satis. Vide vir doctissime, an faciant satis. quæ nisi ad iudicij tui amussim recte facta putaueris, id recte factum, si expunxeris, arbitrabor. Vale, tuus ex asse viuo. E Musæo Kalend. Maij. M. DC. XXXIX.

z *Aristof. in Rom.s,*

a *Reijcu- liracemuli.*

b *Hexa- mestrum.*

Cl. Viro Andreæ Taurello I. C. Fortunius Licetus B. A. Respons.

MIrifice delectatus sum Vir egrege, nobili Chyndonactis Epitaphio, tuisque litteris eruditissimis; quibus, vt aliquid addere possem, nihil mihi reliquum feciſti, dicam tamen aliquid, vt constet me tua placita diligenter, & accurate legisse. Multum tibi debet litteraria Resp. qui peruetustum Epitaphiũ Druidarũ Principis, deletis, maculis ad nitorem pristinum redegisti. Gruterus excusandus, qui corrupta sibi tradita exemplaria retulit ex fide. Litteræ XY. sculptæ in medio lapide. superficiem circularem Epitaphio descriptam habente, sensum abditum satis obtinent; non enim arbitror eas indicare principium nominis Chyndonactis; quod huiusce modi nomen integrum & expressum habeatur in elogio, descriptioneve ad oram lapidis circumducta procul a centro; frustra namque nomen idem bis positum esset,

Digitized by Google

esset, frustraque repetitum obscurius in centro lapidis, quod clare notatum esset in peripheria: nec in vllis vnquam veterum inscriptionibus legis nomen idem defuncti sic iterum delineatum. Forsitan ijs characteribus indicatur numerus aut sepulchrorum, aut Principatuum Druidarum, quem compleuerit Chyndonactes; aut potius opificis monumenti nomen primis litteris indicatum, aut aliud quid, nihil ad inscriptionm attinens, quacum nullam habet omnino cohærentiam; solebant enim sepulchralium seu lucernarum, seu lapidum artifices in operis fundo qua mutilum, qua integrum nomen proprium inscribere. Magna vero mihi dubitatio est circa Mithræ lucum. Tu quidem recte videris cum Philologorum vniuerso fere cœtu Mithram interpretari nobis Apollinem; sed rationem primam interpretationis, quod Apollo femineæ naturæ particeps dicatur, vt Venus atque Luna masculeæ, non assequor: etenim Lunæ pariter ac Veneri, Palladique sexum vtrumq; tributum ab Antiquis & nos olim
a *l.* 1. *c.* 5. 18. obseruauimus tam in *a Elia Lelia* Gripho, quam in *b* En-
b *pag.* 152 cyclopædia ad Aram Lemniam Dosiadæ, citatis Orphei verbis ex hymno Mineruæ.

Αρσην μεν κ(αὶ) θῆλυς πολεμάτοκε μῆτι.

Masculus quidem & femina genita es, bellorum susceptrix prudentia.

Quod scilicet Venus, & Luna, quatenus a Sole, qui dux est omnium siderum, luminis complementum recipiunt, femineam naturam æmulantur: quatenus autem agunt in subcælestia, masculi vices obtinent: At Apollini, Solive, qui fons luminis lumen ac vim aliunde non recipit, sed omnibus vitalem, seminalemque radium lucis impertitur, femineum sexum attributum esse ab vllo veterum nondum mihi videre licuit: neque legere quemquam, qui Matris nomine Solem appellarit: & absque priscorum euidenti autoritate, sineque certa ratione Lucum Matris de luco Solis, aut Apollinis interpretari non auderem. Quare quum videam apud Gyral-

Digitized by Google

Gyraldum de Dijs *c* gentium agentem, distingui Mitram Deam a Mithra Deo: quod ijdem Persæ Mithram *d* Deum masculum appellent, ac venerentur Apollinem: Mitrham vero *e* Deam feminam colant Venerem; Mithræ nomen mihi sexum femineum in Sole persuadere non potest: nam & Athenæus cum alijs antiquis omnibus Apollinem semper appellat Mithram Deum, nunquam vero Deam: vt ex aduerso prisci promiscue vocant non solum Lunam Deam, & Lunum Deum: sed etiam Venerem Deam, & polentem Deum Venerem: quod ex Acteriano apud Caluum refert Macrobius in *f* Saturnalibus: Quin & ex Aristophane Macrobius idem Venerem Aphroditum vocat, & ex Læuino scribit, *Venerem almum adorans, siue femina, siue mas est, ita vti alma Noctiluca est*: quia scilicet antiqui & in Luna pariter ac Venere sexum vtrumque distinguunt: qui masculeum solum in Apolline similiter ac in Baccho cognoscunt. Neque vero Statius in calce Thebaidos prioris Appollini femineam naturam adscribit: dum Persicum eius cultum memorans, ait, Mithram in antro torquere cornua Lunæ non dignatæ Solem sequi, quod Luna Soli potius occurrens eclipsim minatur, & ingerit. In hoc autem Solem a Luna differre, quod ista semimascula sit vtroque sexu pollens, Apollo vero nihil habeat feminei, penitusque masculus habeatur, ac vt ita dicam, masculissimus, in Symposio Plato satis declarat, inducens Aristophanem comminiscentem, antiquitus tria fuisse hominum genera, quorum vnum originem habuit a Sole, duplici sexu masculeo præditum, nihil habens feminini: secundum genitum fuit a Luna hermaphroditum, masculeo simul & femineo sexu donatum: ac tertium a Terra productũ, cui nihil masculei datum sit, sed geminatus feminæ sexus. Neque mihi Mithram in femininino posuit, sed penitus in masculino loquens de Sole Strabo, dum Persarum morem describit ita, *g* Τιμῶσι δὲ καὶ ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν, idest, *Colant autem & Solem, quem Mithram vocant.*

c Synt. 131. *d Isa.* 7. 17 *e Isa.* 13. *f l.* 1. *c.* 8. *g l.* 15.

cant. Sicuti neque Claudianus Mithram vt feminam ponit, in laudibus h Stiliconis asserens,

h l. 1.

Thuris odoratæ cumulis & messe Sabæa
Pacem conciliant Aræ. Penetralibus ignem
Sacratum rapuere adytis, rituque iuuencos
Caldæo strauere Magi. Rex ipse micantem
Inclinat dextra pateram, secretaque Beli
Et vaga testatur voluentem sidera Mithram.

Vbi pro *nutantem*, receptum a viro-eruditissimo, putamus legendum *micantem*; quod Regis patera foret aurea, lapillisque fulgentibus niteret; nam vix assequor quomodo patera Regis nutans dici valeat. Recte quoque Scaligero, & Seldeno VV. Cll. pro *belli* lægitur *Beli*; quem Deum colebant prisci: & Mithram voluentem sidera testatur, precaturque Phœbum Rex ipse sacrificans, vt pote numen oraculis clarissimum; audiens a Cicerone, i Macrobioque Sol Dux, & Princeps, & moderator luminum reliquorum in cœlo. Sed & Macrobius in k Saturnalibus fuse de Sole tractans, illi semper masculeam naturam attribuit, vt etiam Libero Patri, quem idem cum Sole ponit, numquam femineam; statuique principium esse generationis actiuum, vt pater: ideq. Patroum appellari; non autem passiuum, vt mater est, vt inde Mithra nuncupari valuerit; *Apollinem*, ait † Πατρῶον *cognominauerunt, non propria gentis vnius aut ciuitatis religione, sed vt autorem propignendarum omnium rerum, quod Sol humoribus exsiccatis, ad progenerandum omnibus præbuit causam, vt ait Orphæus*,

i. *in som.* c. 20.
k l. 1. c. 17 & seqq.
† *Patroũ.*

Πατρος ἔχοντα νοον, καὶ ἐπίφρονα βάλην,

idest, vt vertit Lilius,

Consilium prudens, & mentem Patris habentem.

Vnde nos quoque Ianum Patrem vocamus, Solem sub hac appellatione venerantes. & mox, *Et Solem quidem maxima vi caloris*

Digitized by Google

caloris in suprema raptum; Lunam vero humidiore, ac veluti femineo sexu naturali quodam pressam tepore inferiora tenuisse; tanquam ille magis substantia Patris consistet, haec Matris. & adhuc infra, *Hieropolitani praterea, qui sunt gentis Assyriorum, omnes Solis effectus atque virtutes ad vnius simulachri barbati speciem redigunt, eundemque Apollinem appellant; huius facies prolixa in acutum barba figurata est.* Plato similiter, non quidem in Eutyphrone vt ait Lilius, ast in Euthydemo vocat Apollinem Patrium, quia pater fuit Ionis, a quo procreati fuerunt Iones. Quod & Aristophanis Interpres ait, Apollinem vt Patrem cultum, quia Creusam Erechthei filiam vxorem duxit, ex qua natus est Ion, a quo Iones apellati. Patroi Apollinis & Apollonius meminit. Suidæ pariter, *Apollo Patrous, Pythius, quem publice Paternum venerantur Athenienses ab Ione, qui quum Attiram incoluisset, Athenienses ab eo dicti sunt Iones, & Apollo Paternus appellatus.* Notatque *l* Pierius, Aegyptios Accipitre Solem indicasse, quod animal id masculum fecundissimum sit, & tres testes obtineat, duobus tantæ salacitati (dixerim ego masculinitati) non sufficientibus; quodque tricesimo quoque die soleat fœminæ consortium appetere, vti Sol eo circiter temporis interuallo superato, Lunæ coniungitur. His addendus Aristoteles inquiens, *m Marem id animal dicimus, quod in alio gignit, feminam, quod in seipso: quamobrem in Vniuerso quoque naturam terræ quasi feminam Maremque statuunt; cœlum autem, & Solem, & reliqua generis eiusdem, nomine Genitoris, Patrisque appellant.* Vt iam mihi sit euidentissimum, Apollinem a priscis non appellari Mithram, quod habeat vllam in se rationem femineæ naturæ. Neque secunda ratio propositi difficultate caret, quod apud Druidas Mithræ lucus existimari debeat lucus Apollinis, quia Solis inter Druidarum Numina potior esset cultus, testimonio Cæsaris; nam Cæsarem video constituere potiorem cultum a Druidis exhiberi Mercurio, quam Apollini;

l 18. *hiero.*

m 1. *de gen. ang. c. 2.*

Digitized by Google

n *G. de bel. gal.* Druidæ, inquit, *n Deum maxime Mercurium colunt; post hunc Apollinem, & Martem, & Iouem, & Mineruam.* Ceterum de Mithræ luco in sepulchrali Chyndonactis inscriptione signato, libere meum sensum vt aperiam, Cl. Vir, triplicem interpretationem tibi proponam; tuum erit de singulis ferre iudicium. Primum quidem videtur explicari posse de luco Solis, vel Apollinis, quia vox Persica MIORIS; quæ primum ad Græcos deriuauit, & a Græcis ad Gallorum Druidas, *Dominus* significat apud priores illas gentes: quod & o *de em temp.* obseruatu Scaligeri o Iunioris V. E. aperte constat; ait enim, subscribente Cl. Seldeno, dum agit de Dijs p Syris, p *synt. 1. c. 2.* *Mithri, Mithir, aut Mether, Perfice Dynastam, aut Dominum significat.* Quod si de Grecia requiras etymon Mithræ, conuenies Apollini, non ab re forte fuerit dicere, Solem dici Mithram ἀπὸ τῆ μία, quod *Vna* significat, καὶ θρήσκεια, quod est *Religio*, ab eo quod *vna-religio* foret, qua Solem inter numina maxime colerent Persæ; quasique foret apud eos *Vna-diuinitas* Apollo, ad quem omnia numina referebant fere veteres, vt apparet ex q Macrobio, & ex antiquissimo Zoroastre, de quo r Porphyrius apud Lilium s inquit, *Primum Zoroastres apud Persas, vt narrat qui Mithræ historiam multis voluminibus scripsisse traditur Eubulus, naturalem speluncam & fontibus scatentem in proximis Persidis montibus consecrauit in honorem rerum omnium Autoris, Parentisque Mithræ; vt per speluncam quidem mundum significaret* (quam rem videtur etiam fecisse t Plato) *fabricatum a Mithra; per alia vero quædam intus congruis interuallis disposita, elementa plagas mundi deliniaret. Mithræ vero congruum assignare locum ad æquinoctia; quapropter gladium fert Arietis, qui Martium animal est: inuehiturque Tauro Venereo, quod scilicet, vt Taurus sic, & Mithras generationis Dominus sit.* Hæc ibi Porphyrius Philosophus: a quo sicuti Scaliger filius accipere potuit, Mithræ vocem significare Dynastam & Dominum: ita Pater in u Subtilita-

q *Saturn. c. 17. & seqq.* r *com. in 12. Odyss.* s *synt. 7. de Dijs gen.* t *in 7. de Rep.* u *exer. 153. 4.*

tibus

tibus recipere videtur a Macrobio, *Adad legi olim Solem dictum Persarum lingua*: nam de Adad rege Deorum agit Macrobius, inquiens, x *Et ne sermo per singulorum nomina* x 1. sat. *Deorum vagetur, accipe quod Assyrij de Solis potentia opinentur: Deo enim, quem summum maximumque venerantur, Adad nomen dederunt: eius nominis interpretatio significat, Vnus: hunc ergo vt potentissimum adorant Deum: sed subiungunt eidem Deam nomine Adargat in: omnemque potestatem cunctarum rerum his duobus attribuunt, Solem Terramque intelligentes.* Itaque Sol apud Persas, & Græcos dicitur Μίθρης, quasi *Vna-diuinitas* colenda maxime: vel etiam dicitur Apollo, Μίθρης, Mithra, ἀπὸ τῆ μία, quod *Vna* vertitur, τὸ θρῆαι, quod indicat *Calculos*, quibus in vrnam missis diuinare sortilegi solebant; vnde θριάσθαι pro *vaticinari*; nam antiquitus Apollo vnus omnium Deorum maxime vaticinabatur ex Tripode fundens oracula: sic apud Suidam, θρῖαι *sunt vatum calculi*; πολλοὶ θριοβόλοι, παῦροι δὲ τε μάντες ἄνδρες, *multi sunt, qui calculos iaciant, sed pauci vates.* Vt Apollo dicatur, inter Deos apte Μίθρης, quasi *Vnus-calculator*, siue *Vnus-Vates*: cui consentire videtur vox Ἀπόλλων, quæ signat idem quos *sine multitudine*; quod Latini *Solem* appellant, quasi *Solum*. Druidæ vero suscipientes a Græcis Mithræ nomen ad signandum Apollinem, non inepte illi Deo sepulchreta sacrare potuerunt: Medicinæ Deum illum ac morbos depellentem venerabantur, vt testatur Cæsar: maxima namque cognatio est ægrotantibus cum moribundis, & his cum sepulchro. Sed tamen huic interpretationi non parum obstat Druidarum sapientia, qui norunt optime *In luco Apollinis* Græce dici debere ἐν ὀργάδῃ Μίθρᾳ, non autem Μίθρης, quod nomen est feminæ, non masculo conueniens Deo. Quare secundam interpretationem fortasse meliorem afferam, scilicet Mithram Deam olim appellatam fuisse Venerem: de qua præclarum habemus testimonium Plutarchi, dum in Vita Crassi tractans de Syria Dea, quam Deorum Matrem appellitant, inquit,

Omen primum ei offertur ab hac Dea, quam Venerem alij, alij Iunonem, nonnulli eam, quæ incunabula & semina omnibus ex humido præbuit, causſam & naturam arbitrantur esse, & quæ principium omnium bonorum docuit mortales. Ptolemæus item agens de Syris, & qui Trigono Aquilonari, Geminis, Libræ, & Aquario subiacent, inquit, *y Qui has incolunt regiones, plerumque Venerem vt Matrem Deorum venerantur, & varijs patrijsque nominibus indigetant.* Veneri vero Mitræ, Mithræque nomen ab antiquis datum obseruat z Gyraldus: & ante illum Herodotus in Clio *a* de Persis agens, ait, *Vraniæ quoque sacrificant, sic nimirum ab Assyrijs Arabibusque edocti: vocant autem Assyrij Venerem Mylittam, Arabes eandem Alittam appellant, Persæ vero Mitram.* Quod & accepit eruditiſs. ille Seldenus, dum scribens de Dijs *b* Syris, asserit, *Mylittæ vero nimium congruit forsan Persarum Mitra*: Mader *enim, siue* Mather *(vnde facile Mitra deflectitur) Persice Genitricem, seu Matrem interpretari ex R. Saadiæ* Pentateucho notauit doctiſs. Raphelengius. *Si vis autem a Mithri, quod Dominum denotet, non reclamo. Conspirare autem hæc omnia videntur, vt deantatam Deum Matrem in hac reperias.* Addi posse videtur, & Cælius asserens, † Mithram Aegyptij statuunt sub æquinoctiali: propterea gladium Arietis, Martij animalis gestare. Inuehitur autem Tauro Venus, ceu tanquam Taurus, opifex generationis ac dominus censeatur Mithras. Ceterum ad Venerem attinere sepulchralia, quam propterea Libitinam, & Epitymbiam veteres appellabant, constat ex Plutarcho, qui Romanas quæstiones afferens, quærit, *c Cur quæ ad funera pertinent, in templo Libitinæ vendunt, quam eamdem esse cum Venere censent? An hoc quoque vnum est de Numæ regis sapienter institutis, quod discerent ab his rebus non abhorrere, neque pro piaculis eas ducere? aut potius eo monebantur, caducum esse, quod esset natum, vna eademque Dea & ortibus & interitibus præsidente? Nam Delphis quoque Veneris*

y 2. Quadr.

z Synt. 13

a l. 1. c. 131.

b syn 2. c. 1.

† l. 24. c. 17.

c qu 23.

Digitized by Google

neris Sepulchralis (Epitymbiam ipsi dicunt) est imaguncula, ad quam euocant eorum manes, quibus libant. & Gyraldo, *d* *d Synt. 13 de Obs.* *Libitina Venus a Latinis existimata fuit, quæ sepulchris præesset: unde essent* e ἐπιτύμβια *Delphis cognominata: nescio* e *Sepulcralis,* *vero an hæc eadem sit, quam M. Varro Lubentinam Venerem vocasse videtur, a Libendo denominatam, Meminit & Cicero de Nat. Deor. Veneri Libentinæ lucus Romæ fuit.* Hæc eadem fusius attullit in suis antiquis lectionibus *f* Rhodiginus. *f l. 29. c.* His adiungere lubet, placitum antiquorum fuisse, mortuos *18.* omnes esse in potestate Numinum infernorum, inter quæ Nox colebatur, quam Orpheus Venerem esse monet: vt propterea lucus Veneris apte dicatus fuerit sepulchris: Quam sententiam colligas non solum ex † Virgilio, canente, † *6. aneid*

Dij, quibus imperium est animarum, vmbræque silentes,
Et Chaos, & Phlegeton, loca Nocte silentia late
Sit mihi fas audita loqui: sit Numine vestro
Pandere res alta terra & caligine mersas.

Verum etiam ex Orpheo, suffimentum Noctis ita celebrante,

Νῦκτα θεῶν γενέτειραν ἀείσομαι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.
Νὺξ γενεσις πάντων, ἣν καὶ Κύπριν καλέσομεν.
Noctem Deorum generatricẽ cantibus celebrabo atq. virorũ.
Nox generatio omnium, quam & Venerem vocabimus.

Vt sepulchra belle condita sint in luco Veneris, quasi in luco Noctis. Atque ita satis probabile fit, apud Druidas in Gallia lucum fuisse Veneri, dicatum sepulchris, & mortualibus, qui diceretur Mithræ Lucus, Μιθρης ἐργάς. Tertia vero interpretatio est, Mithræ lucum esse nemus peculiare, destinatum sepulchris principum Sacerdotum Druidarum; quum alij defuncti tumularentur in alio loco: nouimus enim e sacra pagina Principes Dei electos habuisse ius monumenti, sepulchrique nemus sibi Patriarchas comparasse distinctum a loco in quo communiter aliorum defuncti sepelirentur; noluisseque tumulari cum alijs; qua de re celebrem historiam legimus

Digitized by Google

g Genes. cap. 23. mus g Abrahami, qui magna cum solemnitate peregrinus emit sibi nemus cum spelũca duplici dudum a filijs Heth, abnuens in aliorum monumentis contumulari: in quo sepultus h c. 25. est ipse, b filius eius i Isaac, & k Iacob, illuc delatus ex i c. 49. Aegypto. Sic apud Druidas in Gallia Lucus fuit peculiaris, k c. 50. in quo soli Druidæ, vel Druidarum principes fato functi sepelirentur, non item alij vlli; qui propterea nuncuparetur Lucus Mithræ, quia Mithræ cognomen erat proprium sacerdotum primariorum, siue Principis Sacerdotum; quod l 11. metam. apertissime constat ex Apuleio, talia scribente, l *Nec me fefellit, nec longi temporis prolatione cruciauit potentis Deæ benignitas salutaris; sed noctis obscuræ non obscuris imperijs euidenter monuit, aduenisse diem mihi semper optabilem, quo me maximi voti compotiret: quantoque sumptu deberem procurare supplicamentis: ipsumq. Mithram illum suum sacerdotem præcipuum, diuino quodam stellarum consortio, vt aiebat, mihi coniunctum, sacrorum ministrum decernit.* Igitur lucus Mithræ fuit apud Gallos, in quo soli Druidarum principes tumularentur; qui soli Mithræ cognomine dignabantur, ad aliorum omnium differentiam: in quo luco propterea sepulchrum fuerit Chyndonactis sacerdotum Druidarum principis. Quod autem Druidæ temporum spatia, non dierum, sed noctium numero definirent; & speciatim annos & menses sic emensi fuerint, vt noctem diei præponerent, in eos censeo desumpsisse a Chaldæis, Hebræisve; nam in sacra pagina legimus vespertinum tempus matutino præponi, m Gen. 1. m *Factumq. est vespere & mane dies vnus; factumque est vespere, & mane dies secundus*: & ita deinceps. Quod autem Galli se genitos a Dite prædicarent, hoc innuere voluerunt se vetustissimos esse, ac primos omnium hominum; quia n 12. metam. 30. non solum, vt ait Aristoteles, n *Theologi* primi *ex nocte cuncta generant*; quod Orpheus aperte cecinit in hymno proprio, vt nuper vidimus. Verum etiam ex sacra o pagina; o Gen. 1. vnde sumpserunt omnia ex nihilo, ac ex tenebris fere condita,

Digitized by Google

dita, proindeque quoquopacto ex Nocte, quæ tenebrarum nomen est; alludentes ad illud Mosaicum, *In principio creauit Deus cœlum & teeram: terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi: & diuisit lucem a tenebris, appellauitque lucem diem, & tenebras noctem.* Nec omittendum reor, Magas illas Druidarum relliquias, fortasse non ita bene Fatuas appellari, quod Magi nomen indicat Sapientem: sed Fatas, quasi Fatorum catas, eas nuncupauero facilius: nam & huiusmodi mulieres Fatidicæ, dicuntur, & ab Italis vulgo *Fate*, siue *Fade*, speciatimq. a meis Genuensibus *Foè*, non tam a Fando, quam a Fatis appellantur, quorum prænotionem, prædictionemque censentur habere. Nisi forte Fatuæ dicendæ sint, quasi Fanaticiæ, quod œsto diuinandi percitæ, plenæ alieno spiritu, mente motæ, furentes, ac insanæ valeant appellari; vt olim dicebantur Sacerdotes Apollinis vaticinatrices ad Cortinas Tripodum, atque Sibyllæ vel a Cicerone, dum de Diuinatione *p* tractabat. Denique descripta superius in tumulo Chyndonactis carmina ne sint, an solutæ orationis sententiæ, incertum mihi prorsus est: leges tamen metricas nobis notas & obseruatas, in antiquioribus versiculis, & præcipue in notis inscriptionum sepulchralium religiose nimium requirendas non esse, tibi consentio, vir eruditissime. Habui nunc hæc ad calamum, quæ de propositis exararem; vtinam in hisce difficillimis mysterijs tibi fecerim satis. Vale, & me ama. Dabam e domestico Museo VII. Non. Maij. M DC XXXIX. p 1.1.

DE

DE LVCERNA, ET ALIIS Ferrariæ repertis in Sepulchro Cominiæ

Cl. Viri Iulij Recalchi ad Fortunium Licetum Epistola I.

MOlt'Ill. &c. Mi fù si caro il libro delle Lucerne Sepolchrali, che V.S. Molt'Ill.& Eccell.mi fece presentare li anni addietro, che sempre me n'è rimasa viua memoria, & stretissima obligazione alla sua cortesia, con nópoco gusto della grandissima inclinazione, che tiene alla inuestigazione delle cagioni recondite delli effetti mirabili della Natura: per il qual rispetto non posso non amarla in sopremo grado d'amore, sentendomi anch'io reggere al medesimo Genio, quantunque impedito da quello, che mi occupa nel medicare. Hò poi insieme ammirato la esquisita diligenza di V.S. nella historia, canonizandola per vno de'piu inferuorati Spiriti del Sapere, che mi habbia in tanti anni, che viuo fin quì conosciuto. Et essendomisi offerta occasione di darle parte di alcune antichrità pertinenti ad vn Sepolchro trouato di presente tra noi, hò voluto communicargliele, promettendomi anche dal suo valore alcuna dichiarazione delle parole, che vedrà oscure, scolpite in certe pietre. Gradirà il buon animo mio, e N. S. le dia ogni esaltazione, e contento. Di Ferrara, il dì 4. Luglio 1624. Di V. S. molt'Ill.& Eccell. Seru. Affett. Giulio Recalcho.

Alli 16. di Giugno 1624. Si ritrouò nella Braglia del Sig. Gio.

Digitized by Google

Gio. Battista Pichiatti, sotto la Villa di Maiere, in luoco detto il Verzenese, le sottoscritte cose.

Vna pietra di marmo, larga tre palmi, e longa sette in circa, con l'inscrizione, che dice.

OSSA
COMINIAE Q. F. PAVLI
STACIA SEVERA MATER
E POSVIT
ANNO XXX.
HIC REQVIESCANT

Vna lume di pietra cotta, nel cui fondo è scritto

STROBILI

Vna pietra, pur di terra cotta, nel mezo della qualle è scritto

PANSIANO

Item due altre pietre simili; viè scritto nel mezo

NERONIS CIAPANI

Queste pietre, con vn' altra appresso, faceuano vna cassetta: nella quale era vna Tazza di vetro turchina, quasi a similitudine di ventosa, di tenuta di vn bichiere: & era piena, ma non si puote conoscere, che materia fosse.

Due ampolle di vetro piene, vna di materia simile alla cenere, e l' altra simile all' oglio: di tenuta anch' esse quasi di vn bichiere, ma fatte a similitudine di campanelle. Ve ne erano anche di mezane, & piccole: quasi simili a quelle, che vendono li Ciaratani: ma non si sà la quantità.

Vn vetro tondo, della larghezza di vn palmo, con vn manico, per leuarlo.

Vn vaso di vetro, simile ad vn albarello, della larghezza sudetta, al quale il sudetto faceua coperchio: era di colore, che tiraua al giallo, & lauorato di bellissimi fogliami.

Orne grandi, che per essersi rotte, non si sà la quantità (non erano meno di quattro) piene di materia, che tiraua al nero: si crede fossero ceneri.

Cl. Viro Iulio Rechalcho Fortunius Licetus B. A. Respon.

MOlt' Ill. &c. Il mio libro delle Lucerne Antiche fù contracambio del suo dottissimo della natura de' corpi similari: nel che si come io conosco di hauer fatto auantaggiata vsura, così tutto l'obligo deue restare dalla parte mia. Godo però che la mia fatica, e'l mio genio non le dispiacciano: & si renda sicura, ch' io molto l' amo, e più che molto ammiro la finezza dell' ingegno suo; pretendendo per hora di così pagare l'affetto di volontà, con cui V. S. molt' Ill. & Eccell. si degna di honorarmi. Il ragguaglio delle cose ritrouate al presente costì nell'antica sepoltura di Cominia, datomi nella gentilissima sua, da me stamane riceuuta, m' è stato oltre modo caro, contenendo molte particolarità memorabili. Et perche V. S. mi richiede, ch' io dichi il mio parere intorno al significato di quelle parole scolpite nelle tre pietre, le quali con la quarta formano la cassetta: per vbidirla più tosto, che perche io speri di dir a lei cosa nuoua, o di appormi al vero senso di cose così oscure, e tanto antiche; anzi anche per trarre da lei quello che ne giudica, verrò considerando partitamente tutta la storietta mandatami.

Ossa Cominiæ Q. F. Pauli Stacia Seuera Mater eposuit, anno XXX. Hic requiescant

1. Se la lettera *e* antepostà al verbo *posuit* hà significato alcuno, al mio parere vuol dir *eiulans* o vero vi manca altra lettera; douendo dire *reposuit* o vero *deposuit* o pure più tosto *quae posuit*.

2. L' anno XXX. o è l'età di Cominia, o più tosto l' anno *ab Vrbe condita*; in qual caso, se nello spatio frapostò non manca qualche carattere numerale, corroso dal tempo, come sarebbe CIↃ, o vero IↃ, o pure L. cotesta sepoltura sarebbe stata molto antica: ma l' vso, e l'origine de' vetri, massime

Digitized by Google

sime lauorati a fogliami maestreuolmente, ritrouati in essa, ripugna forse a tanta antichità.

„ Vna lume di pietra cotta, nel cui fondo è scritto, STROBILI.

3. Credo che tale fusse il nome del Vasaio, il quale cotali lucerne faceua, e vendeua; poi che vna lucerna simile dell' eruditissimo Petauio in Francia teneua nel fondo l'istesse lettere: & si come facil cosa fù, che lo stesso artefice molte lucerne col suo proprio nome descritte fabricasse; l'vna delle quali portata fusse in Francia, e l'altra in Ferrara (come si fà delle altre merci) da porsi in varie sepolture; così mi par duro a credere, che lo stesso seruo sepolchrale hauesse cura di di due così lontane Lucerne, o facesse in quelle scolpire il suo nome. Lo stesso dico del defonto; il cui nome in alcune Lucerne si vede notato; come altre † volte dimostrai di L. Cesa: Se già non fosse, che lo stesso nome a diuersi serui sepolchrali, & a diuersi morti poteua essere stato imposto. Ma pure con tutto ciò il caso possessiuo, e genitiuo del nome descritto, mi persuade, che significhi più tosto l'artefice, il quale ne fù padrone, e facitore; che o il seruo, a cui erano per essere fabricate, e vendute dall'artefice, e raccomandate dalli attinenti del morto; o vero il defonto stesso, a cui erano per ardere in honore.

† *lib. de Lucern. ant.*

„ Vna pietra pur di terra cotta, nel mezo della quale è „ scritto, PANSIANO.

4. Io m'imagino, che tale fusse il nome del seruo sepolchrale, a cui si soleua dar la cura di attendere alla custodia delle cose attinenti all'Auello; e specialmente a mantener viuo il lume, con porre ogni tanti giorni l'oglio nelle lucerne, come consta dalla Legge MÆVIA in queste formali parole, *Mæuia decedens seruis suis Sacco, & Eutychiæ, & Hirenæ ancillæ meæ, Omnes sub hac conditione liberi sunto, vt monumento meo alternis mensibus lucernam accedant, & solemnia mortis peragant: Quæro quum assidue monumento*

Digitized by Google

Mauiæ Succus, & Eutychia, & Hirene non adsint, an liberi esse possint?

„ Item due altre pietre simili: v'è scritto nel mezo, NE-
„ RONIS CIAPANI.

5. Penso che tale fusse il nome dell'artefice; massime sendo replicato in due pietre, componeuano vna stessa cassetta, come si soggiunge,

„ Queste pietre, con vn'altra appresso, faceuano vna
„ cassetta; nella quale era vna Tazza di vetro turchina,
„ quasi a similitudine di ventosa, di tenuta di vn bichiere;
„ & era piena, ma non si pote conoscere, che materia fosse.

6. Può essere, che coral Tazza in se conseruasse molti lucignoli della Lucerna, da subentrare a' suoi tempi, di mano in mano, in luoco delli già consumati; la qual materia poi si fusse in processo di tempo corrotta, e conuertita in quella sostanza non conosciuta, con mescolamento di polue, e d'humidità.

„ Due ampolle di vetro piene, vna di materia simile al-
„ la cenere.

7. E chi mi dimostrerà, che questa non fusse la cenere del corpo di Cominia, massime se fusse stato di picciola età? poi
a *lib.* 19. *c.* 1. che da *a* Plinio habbiamo, che tal cenere facilmente si discerneua da quella del rogo, col mezo della tela d'Amianto, nella quale incombustibile si rinuolgeua il cadauere da brugiarsi: poi che parlando egli delle specie de i lini, dice *Inuentum iam est etiam, quod ignibus non absumeretur: vivum id vocant, ardentesque in focis conuiuiorum vidimus ex eo mappas, sordibus exustis splendescentes igni magis, quam possent aquis. Regum inde funebres tunicæ, corporis fauillam ab reliquo separant cinere.* Qual detto rende probabile la
b *l.* 18. *c.* 31. sentenza di Celio *b* mentre de gli Indiani trattando scriue, *Lineis contegi amiculis, quæ certo nentur e lapidis genere, ignibus inuicta; sed quæ nec perpurgentur aqua; verum vbi sordes insederint, in flammam coniecta splendescunt.* E per

ciò

Digitized by Google

ciò non bene viene ripreso dal Dalechampio, e dicendo di tal sorte di lino, *Rhodiginus scribit Indos vestibus ex eo lino textis indui: quod parum credibile est; quum in tantam longitudinem trahi nequeat, vt vestes ex eo conficiantur:* perciochè se ne può far de' mantili, & de' touaglioli da mensa, e delle tuniche da contenere vn intero corpo del cadauero regio; perche non se ne può tessere vna veste ad vn'huomo viuo? Plinio dice solamente, che è *difficile textu propter breuitatem*; ma la difficoltà non apporta impossibilità, nè incredibilità; poi che con qual si voglia difficoltà tessuta la tela di tal lino, può venire poi facilmente in vso di veste all'huomo, quantunque grande. e *in Pl. annot.*

,, E l'altra simile all'oglio: di tenuta anch'essa quasi di
,, vn bichiere: ma fatta a simulitudine di campanella.

8. Io per me giudico, questa ampolla essere stata piena d'oglio vero, o d'altro liquor simile, che doueua seruire per fomite alla fiamma della Lucerna, da somministrarsegli *statis diebus* dal seruo Pansiano

,, Ve n'erano anco di mezane, e piccole; quasi simili a
,, quelle, che vendono li Ciaratanisma nõ si sà la quantità.

9. Non giurerei, che cotali ampolline non fussero parte di quelle, che haueuano di già per il passato somministrato l'humor combustibile alla Lucerna; & quiui dal seruo ogni due o tre giorni lassate vuote: & parte di quelle, nelle quali la Prefica, e l'altre donne, prefizolate ad accompagnare il morto alla sepoltura dirottamente piangendo, riponessero le sparse lagrime, & offerissero il pagato pianto nell'auello, con la lucerna, al morto.

,, Vn vetro tondo della larghezza di vn palmo, con vn
,, manico per leuarlo; vn vaso di vetro simile ad vn alba-
,, barello, della larghezza sudetta, al quale il sudetto fa-
,, ceua il coperchio: era di colore, che tiraua al giallo, &
,, lauorato di bellissimi fogliami.

10. Se cotesto non era il vaso, in cui si conseruaua il pianto

pianto della Prefica principale, distinto dalle lagrime delle altre donne piangenti a prezzo, contenuto in ampolline di minor valuta; forse era il vaso, in cui si conseruaua il dito della mano, solito di tagliarsi al morto, per farui l'esequie, come nota non solo ne' suoi Funerali il Porcacchi, douendosi il resto del cadauero abbruggiare; ma etiamdio presso Varrone, & Festo Gioseppe Scaligero nelle sue congetture, doue dice, *Aut si os exceptum est mortui ad familiam expurgandam: etiam digitum abscindi ad eam rem testatur Festus Membrum, inquit, abscindi mortuo dicebatur, quum digitus eius decidebatur; ad quod seruatum iusta fierent, reliquo combusto: Id autem ad purgandam familiam certo genere Februi quod vocabatur Exuerrias.*

„ Orne grandi, che per essersi rotte, non si sà la quanti-
„ tà (non erano però meno di quattro) piene di materia,
„ che tiraua al nero; si crede fossero ceneri.

11. Credo veramente, che tante Orne, e così grandi, piene di materia nericcia, fussero piene di ceneri, e carboni; non già di quelle, in cui si risoluettero le membra di vn solo cadauero brugiate; ma di quelle del rogo: hauendo per costume li Antichi, di porre le ceneri del morto in vasi conseruati nelle sepolture; non gettando via le ceneri, nè li carboni della Pira in molto maggior quantità; ma di serbarle ancora nell'Auello, come cosa sacra, hauendo toccato il cadauero, che sacro stimauano; e per sua cagione sacre stimauano etiandio le sepolture; come dalle Leggi si caua espressamente: Et in vero in molte orne grandi si è trouato di molta cenere, & di molti carboni, che d'altro, che di legna essere non poteuano: questi minuti, & in processo di longo tempo dall'humidità del luoco con la cenere mescolati, hanno potuto fare vna tal materia nericcia, quale si è nelle sopradette Orne ritrouata. Hò però osseruato, che delle lucerne poste nelli sepolchri, altre erano pensili, altre si ponenuano giacenti in terra, o sù qualche base: e come di queste se ne

trouano

Digitized by Google

frouano di pietra cotta infinite, così delle pensili ne habbiamo la belissima relatione da Dione nella cena, o sia conuito non meno bestiale, che laruale, o più tosto diabolico, fatto da Domitiano alli Romani Senatori, e Caualieri. *Itaque populo nocturnum epulum dedit, eius consolandi caussa: noctu enim sæpe exhibebat certamina; in eaque nonnas & mulieres introducebat. Vtque plebi eo tempore, ita post principibus Senatorij & Equestris ordinis conuiuium in hunc modum fecit: Apparauit ædes nigerrimas ex omnibus partibus: erant enim atra laquearia, parietes ac pauimentum, in eoque sedes nudæ eodem modo collocatæ erant. Quibus paratis rebus, eos de nocte introduci iubet absque comitibus: ac primum omnium iuxta vnumquemque columnam collocat, factam instar sepulchi, in qua nomen eius scriptum erat, pendebatque de ea lychnuchus paruus, vt assolet in monumentis: tum nudi pueri, atramentoq; obliti tanquam spectra quædam ingrediuntur, ipsosque horribilli saltatione circumeunt; eoque facto ante pedes ipsorum consistunt; ad extremum omnia, quæ in exequijs mortuorum adhiberi solent, in vasis eodem modo eis apposita fuerunt. Quas obres quisque maxime reformidare cæpit & perhorrescere, quod se iam expectarent interfectum iri, præsertim quod ceteris magnum silentium erat, quasi iam mortui essent, quodque Domitianus sermonem habebat de ijs rebus quæ ad mortem, quæue ad cædes pertinerent. Tandem vero illos dimittit, præmissis famulis ipsorum, qui in vestibulis ædium remanserant: quumque præparasset alios incognitos homines, a quibus domum reducerentur, vehiculis & lecticis datis, ijs metum multo maiorem incussit. Iam quisque domum venerat, iamque respirare quodammodo incipiebat, quum nunciatum est, nonnullos ab Augusto venire: qua ex re eis mori omnino expectantibus, ab vno horum oblata est columna argentea, ab altero aliud quippiam, ab alio vas ex ijs quæ in cœna apposita fuerant, quæque erant pretiosissima: postremo puer ille, qui ante Dæmonem repræsentauerat, vnicuiq; totus*

&

& ornatus oblatus est: eoq. pacto illi totam noctem magno timore, perculsi, munera acceperunt. Et Domitianus hos triumphos egit, vel vt vulgo loquebantur, exequias eorum qui in Dacia, Romæque mortem obierant. Et si come gli antichi nelli giorni di morte rinchiudeuano le lucerne ardenti nelli sepolchri, nè le poneuano nel cospetto de gli huomini sù le finestre, nè in sù le porte; così per il contrario nelli giorni natalitij poneuano le lucerne ardenti sù le finestre, & in sù le porte; per dimostrare la contrarietà tra'l nascere, & il morire; & perciò Tertulliano volendo mostrare, che nel tempo della nascente Christiana Religione, si estingueua l'Idolatria, diceua, *At nunc lucent tabernæ, & ianuæ nostræ; plures iam Ethnicorum fores sine lucernis & laureis quam Christianorum.* Questo costume di accẽdere le lucerne sù le finestre ne' giorni natali, viene anche da Persio notato mentre disse,

d *Sat. 5.* d *Herodis venere dies, vnctaq. fenestra*
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

e *in Flac. & Sex. Pom.* Nel che non riceuo l'opinione dello e Scaligero, che dice, *Natali die lucernæ accendebantur, mortuali id non faciebant:* poiche in tutti due li giorni ciò faceuano; ma nel Natale poteuano le lucerne sù le finestre, & in sù le porte al prospetto d'ogn'vno; nel Mortuale le rinchiudeuano nel sepolchro.

Questo è quanto per hora così alla sfuggita mi occorre dirle in tal particolare: se a lei soueniſſe cosa migliora, mi sarà gratia si degna farmene parte. Frà tanto la mi conserui nella sua buona gratia, che io resterò pregandole dal Cielo felicità. Di Padoua li 9. di Luglio 1624. Di V. S. molt' Illust. & Eccell. Seru. Affett. Fortunio Liceti.

Quam opinionem collaudauit vir insignis altero epistolio in hæc verba,

FINIS.

Digitized by Google

trouano di pietra cotta infinite, così delle pensili ne habbiamo la bellissima relatione da Dione nella cena, o sia conuito non meno bestiale, che laruale, o più tosto diabolico, fatto da Domitiano alli Romani Senatori, e Caualieri. *Itaque populo nocturnum epulum dedit, eius consolandi causa: noctu enim sæpe exhibebat certamina, in eaque nonnas & mulieres introducebat. Vtque plebi eo tempore, ita post principibus Senatorij & Equestris ordinis conuiuium in hunc modum fecit: Apparauit ædes nigerrimas ex omnibus partibus: erant enim atra laquearia, parietes ac pauimentum, in eoque sedes nudæ eodem modo collocatæ erant. Quibus paratis rebus, eos de nocte introduci iubet absque comitibus: ac primum omnium iuxta vnumquemque columnam collocat, factam instar sepulcri, in qua nomen eius scriptum erat, pendebatque de ea lychnuchus paruus, vt assolet in monumentis: tum nudi pueri, atramentoq; obliti tanquam spectra quædam ingrediuntur, ipsosque horribili saltatione circumeunt, eoque facto ante pedes ipsorum consistunt; ad extremum omnia, quæ in exequijs mortuorum adhiberi solent, in vasis eodem modo eis apposita fuerunt. Quas ob res quisque maxime reformidare cæpit & perhorrescere, quod se iam expectarent interfectum iri, præsertim quod cæteris magnum silentium erat, quasi iam mortui essent, quodque Domitianus sermonem habebat de ijs rebus, quæ ad mortem, quæue ad cædes pertinerent. Tandem vero illos dimisit, præmissis famulis ipsorum, qui in vestibulis adium remanserant: quumque præparasset alios incognitos homines, a quibus domum reducerentur, vehiculis & lecticis datis, ijs metum multo maiorem incussit. Iam quisque domum venerat, iamque respirare quodammodo incipiebat, quum nunciatum est, nonnullos ab Augusto venire: qua ex re eis mori omnino expectantibus, ab vno horum oblata est columna argentea, ab altero aliud quippiam, ab alio vas ex ijs quæ in cœna apposita fuerant, quæque erant pretiosissima: postremo puer ille,*

qui ante Dæmonem repræsentauerat, vnicuiq; lotus & ornatus oblatus est: eoq. pacto illi totam noctem magno timore, perculsi, munera acceperunt. Et Domitianus hos triumphos egit, vel vt vulgo loquebantur, exequias eorum qui in Dacia, Romaque mortem obierant. Et si come gli antichi nelli giorni di morte rinchiudeuano le lucerne ardenti nelli sepolchri, nè le poneuano nel cospetto de gli huomini sù le fineſtre, nè in sù le porte; così per il contrario nelli giorni natalitij poneuano le lucerne ardenti sù le fineſtre, & in sù le porte; per dimoſtrare la contrarietà tra'l naſcere, & il morire, & perciò Tertulliano volendo moſtrare, che nel tempo della naſcente Chriſtiana Religione, ſi eſtingueua l'Idolatria, diceua, *At nunc lucent tabernæ, & ianuæ noſtræ; plures iam Ethnicorum fores sine lucernis & laureis quam Chriſtianorum.* Queſto coſtume di accendere le lucerne sù le fineſtre ne'giorni natali, viene anche da Perſio notato mentre diſſe,

d *Sat. 5.* d *Herodis venere dies, unctaq; feneſtra*
Diſpoſita pinguem nebulam vomuere lucernæ.

e *in Plaut. & Sex. Pom.* Nel che non riceuo l'opinione dello e Scaligero, che dice, *Natali die lucernæ accendebantur, mortuali id non faciebant*: poiche in tutti due li giorni ciò faceuano; ma nel Natale poneuano le lucerne sù le fineſtre, & in sù le porte al proſpetto d'ogn'vno; nel Mortuale le rinchiudeuano nel ſepolchro.

Queſto è quanto per hora così alla sfuggita mi occorre dirle in tal particolare: ſe a lei ſoueniſſe coſa migliore, mi ſarà gratia ſi degna farmene parte. Frà tanto la mi conſerui nella ſua buona gratia, che io reſterò pregandole dal Cielo felicità.

Di Padoua li 9. di Luglio 1624.
Di V. S. molt'Illuſt. & Eccell.

Seru. Affett. Fortunio Liceti.

De

Digitized by Google

De lapide Magurj tenebricosissimam inscriptionem antiquam habente, recens ad Aponi Thermas effosso.

Amplissimo & Eruditissimo Viro FORTVNIO LICETO, Eminentis Philosophi Prouinciam Bononiæ ægregiè administranti Sertorius Vrsatus F. P.

VIuit benignitatis in me tuæ, Cl.& doctiss. Vir, nunquam peritura memoria: a qua quantis fuerim affectus beneficijs, satis superque constabit: quum dixero, per te Naturalem Scientiam Patauij enodantem, exilem ingenij mei cymbulam fuisse euectam, vnde tanti fauoris aura flante secunda, & Philosophicũ percurrere Oceanum, & in vasto illo plenoque gurgitum pelago portum appellere potuit: mihi tunc temporis suauissimus studiorum erat cultus; quippe qui Peripateticis aliquando demissis curis Antiquorum memorias colere genio ductus, abscondita quæ in ipsis aderant, & obscura te Delphici ad instar Oraculi respondente, diu me prope non degebant ignota; in quibus quanti valeas, non est cur exprimam modo; id enim apertissimè demonstrant ingenij tui partus eruditissimi: Antiqua itaque, vti soleo, monumenta perpendens mearum in te obligationum congeriem auctam agnosco ducta occasione ab insculpto Saxo. Id, tertius iam dilabitur annus, Aponi in hortis meæ domus, vbi balnea administrantur, effossum, a nonnullis doctissimis Viris, præcipuè a Cll. Ioanne Rodio, & Carolo Auantio, meis summę obseruantiæ Dominis, diutius inspectum, & considera-

tum, habitum est dignum impræssione, vt commodius eius hucusque latitans enodatio a celeberrimis nostri sæculi viris perquirenda foret; in quorum albo quum (absque fuco) te adnotasset Sapientia, impræssi ad te Saxi aliquot exempla demandare decreui, vt otio permittente, tuam de ipso, si lubet, meæ cupiditati satisfaciendi gratia, sententiam feras. Ceterum in eo imprimendo, qua potui diligentia, omnia exprimenda curaui, ipsius apud me degentis figuram representantia: Quadrilatera petra est, duodecim alta vigintiduas vncias longa: tres lineæ sculpturam includunt, quarum externam quatuor oppositæ disiungunt interstitia: litteræ qualescumque sine macula obseruantur, & verba fere omnia vt in folio, ita in lapide punctis distincta notantur. Hæc breuiter circa ipsum obseruanda necessaria credidi: atque hæc mei cupidi genij voluntas est. Tu, vir egregie, tale desiderium læta suscipe fronte; & viue diu litterarij Imperij decus, splendor, ac fulcimentum; meque tibi omnibus necessitudinibus deuinctum qua soles beneuolentia amplecti, non dedigneris. Vale. Dabam Patauij XXX. Iulij M DC XLIV.

Q. MA:

Digitized by Google



Saxum hoc XII vncias altum XXII longum in hortis SERTORII VRSATI Patauini Philosoph. & Medic. D. Aponi ad thermas erutum Anno CIↃ IↃCXL I.

Epitaphij Maguriani tenebricosissimi diluci datio Cap. V.

Nobilissimo Viro Sertorio Vrsato, Fortunius Licetus B. A.

MAle mecum agitur in præsentia, Nobilis. Sertori, dum mihi Patauij summa librorum inopia laboranti, nempe Musæum apud Bononienses habenti, necessarioque huic operi codices emendicare coacto, proponitur elucidandus obscurissimus iste Magurij Lapis: quem eruditiores in Academia Patauina viri, non curta fulti volumi-

luminum supellectili, haud ab re dictitant ignorabilibus adeo notis esse delineatum, vt antiquatarum simul & mi è miserèque mutilatarum dictionum sensa nullatenus ipsi percipiant. Sed tamen quando tu, cui plurimum inseruire cupio, meum calamum vrges in illius explicationem, amico iussui parens experiar ingenij vires in hoc euoluendo Saxo: num forte mihi detur e pumice succum exprimere, Sisyphiumque fatum rumpere, nec non ex isto Lapide veluti Philosophico, latentis Veritatis aurum in dias luminis oras educere.

Non inani fortasse, neque leui coniectura consequi me posse reor, Epitaphium istud esse: ac olim a Magurio Fabrorum Magistro positum fuisse defunctis Præfectis Piscatui, Salituræque Thynnorum apud Gades in ora Lusitanica; præsertim autem in honorem aliquorum sub quorum Præfecturis emolumento suo maximo fabricauerat instrumenta plurima, præcipuèque ferreos Vncinos, huic Arti Piscatoriæ, Conditoriæque Thynnorum apprimè necessarios. In extremo namque Lusitaniæ littore celeberrima quotannis in æstatis verisq; confinio fieri cõsueuit, & vberrima Thynnorum captura pariter & conditura: de quibus accuratè Io: Baptista Suarez de Salazar in opere suo (*a*) Gaditanarum Antiquitatum, & ex eo Iouius Historicus noster pressius ita, (*b*) *Thynni multitudine sua omnibus littoribus sunt noti: gregatim vagantur, ob id Euripis maxima eorum est captura. Irrumpunt Majo mense in mare nostrum ab Atlantico Oceano, cogentibus Xiphijs, hoc est Spathis piscibus, qui telo a rostris prominente instructi, eos toto mari persequuntur. Simplicissimi sunt piscium, propterea vel inanibus terriculamentis acti, facile vadis, atque littoribus intruduntur. Eo modo Gaditanus populus infinitam eorum multitudinem magno quæstu, solemnique spectaculo retibus extrahit. Saturantur inde captorum recentibus pulpis circumfusæ gentes: reliqua illorum multitu-*

a *l. 1 c 7.*

b *de piscib. cap. 6.*

do

Digitized by Google

do Cetarijs infertur, saliturque: asseruati vero membratim dissecti cadis celebri mercimonio per omnem fere Europam diffunduntur. Quum autem isti Piscatui, quin & Salituræ Thynnorum in Cetarijs, Præfecti fuerint nonnulli viri præcipui, qui per electionem a Regulo, vel sorte a Senatu Gaditano creati, singulis annis præsentes ingentem operariorum multitudinem moderarentur, operarum negocia distribuentes, & certis legibus atque pœnis nequiorum hominum gregem in officio continentes; etenim ad eiuscemodi piscium capturam, salituramque moliendam perditos homunciones quam plurimos ex finitimo quoque Turdetaniæ regno passim conuenire, testabitur infra (*c*) Suarez. Quumque magnam oportuerit ibi Fabrorum esse manum, qui cultros, vncinos, harpagonesve, ceteraque ferramenta necessaria suppeditarent indies numerosissimæ multitudini mortalium, non solum de mari piscantium, sed etiam tum elittore pisces captos ad Cetarias conuectantium, tum ex importatis intra Cetarias innumera salsamenta conficientium: verisimile satis est, huic adeo magnæ fabrorum multitudini præfectum fuisse quempiam Archifabrum, Protofabrumve, cui cæteri subessent, atque parerent. Accidit autem vt iste Faber omnium Princeps atque Magister, nomine MAGVRIVS, cognomine FEROX, vita defunctis nonnullis Piscatui Præfectis, Cetariarumque Præsidibus, amicis patronisque suis Epitaphium posuerit, dicaueritque in eorum cultum gemmas *Euras octo*, simul *& perticas ducentas quinquaginta nouem*, quarum singulis appensi forent *Vncini duodecim* ferrei. Quo quidem instrumenti genere passim vtebantur pro sui muneris oportunitate piscatum, vecturam, & salituram illa molientes, tum ad feriendos, & extrahendos e mari saucios Thynnos: tum ad eosdem incarpenta trahendos, & e curribus in Cetarias detrahendos tum demum etiam ad appendendos in sublimi piscium illorum

c. nn. 10.

lorum truncos condituræ non destinatos, sed esui recent sine salitura. Quod sane Saxum vel e Gadibus, vt fit, aliquando delatum ad Aponenses Thermas, ibi delituerit ad hæc vsque tempora nostra: vel etiam, si placet, a Magurio Patauij denique diuitem senectam agente, fabrili iam arte penitus intermissa, valereque iussa, dicatum fuerit, affixum honorario sepulcro, & inani tumulo, benemeritis de se patronis, & amicis, dudum in Lusitania defunctis: Quod etiam verisimile satis apparet, quum lapis ex eorum genere videatur esse, qui defodiuntur ex opido proximo Monte silice nuncupato. Quibus ita præmissis, iam singulas Epitaphij dictiones accurate considerabimus, ac explicemus.

1. „ Quintus MAGVRIVS Quinti Filius. Magurij nomen in Gruterianis inscriptionibus non habetur, vt aperte constat e luculentissimo Indice Scaligeri; quare Gruterium latuit hæc inscriptio.

2. „ FAB. Explico, *Faber*: censeoque Fabrum istum per excellentiam dictum, & extitisse Fabrorum omnium in eo Piscatu, Salituraque Thynnorum percelebri, Summatem atque Magistrum, vere Protofabrum, Archifabrumve; quod alius Faber inferioris conditionis adeo diues esse non potuerit, vt ære suo dicaret in honorem amicorum Manium octo gemmas, vnaque suspenderet Vncinorum ferreorum, ducentis quinquaginta nouem perticis appensorum, tria millia centum, & octo. Quin & adeo magnam Vncinorum ferreorum quantitatem, quis nisi Faber, idemque diues, amicorum tumulo consecrauerit? Poetæ poematia dicant, ferramenta Fabri.

3. „ FEROX Interprætor ego, *Ferocis* agnomen, siue cognomen hoc extrinsecus inditum isti Fabro fuisse, vel quod vultu, moribusve ferociam quandam præseferret, ferocitateve truculenta subditos imperio suo Fabros minores asperè gubernaret, seuerèque regeret immitis in virga

virga ferrea, vt dici solet: vel quod iste Magurius esset seruilis conditionis, etenim seruis huiusce modi cognomina frequenter antiquitus imponebantur: sic in plerisque Lucernis intra veterum sepulcra repertis, agnomen serui legitur in fundo FORTIS, qui fuit plastes fictilium Lucernarum fabricator, & venditor, conditione seruus.

4. „LVS. Explico: *Lusitanis*; enim vero Thynnorum Piscatus celeberrimus, & vberrima Salitura, cui priscis temporibus necessaria fuit, & eius Præfectis dicata potuit esse tanta ferreorum Vncinorum multitudo, non alibi quam ad Herculeum fretum in Lusitania fieri consueuit, vt infra (*d*) confirmabit Suarez in Antiquitatibus Gaditanis. At vero tot Vncinorum maiorum millia, cui possunt arti deseruire, nisi Thynnorum Piscatui Lusitano? d. *nu.* 15.

5. „EPIDIXIB. lego, *Epidixibus*: & interprætor hos extitisse Iudices, Thynnorum Piscatui-Præfectos cum autoritate suprema, Præsidesque summos delictorum vindices. A Iustitia, sane quam Dicen, siue Dicæosinen appellauere Græci, nuncupati fuerunt isti Iudices *Epidixes*, vel *Epidixies*, qui cum mero, & misto fortassis imperio Iustitiam administrabant apud Gaditanos in celeberrimo Thynnorum Piscatu, siquidem Arist. alicubi (*e*) scribit, *Enim vero Deus (vt vetusto verbo proditum est) principium & finem & media rerum omnium tenet: rectaque linea incedens, operatur ille quidem secundum naturam, e vestigio comitem habens Iustitiæ Præsidem, quam Dicen nominant, Diuinæ legis vindicem, simul vt quicquam sanctionum eius prætermissum sit.* Quibus antam nobis præbet accipiendi *Epidixes*, vel *Epidixtes* illos pro Iudicibus, qui legis humanæ vindices, Iustitiæ Præsides essent in Piscatu Thynnorum ad Lusitaniæ fretum Herculeum. In cuius opinionis confirmationem quoque legimus apud omnes Lexicographos; *Epidicasos: Iudex. Epidicastimos: auxilians* e *de mund. c.* 7.

in Iudicijs. Epidicen: res adhuc sub Iudice. Quapropter inde nomine deriuato, Iudices Præfecti Piscatui Thynnorum in Lusitania recte vocabantur Lusitani Epidixes.

6. „ ET. CETAES. explico, *Cetaestritis*; nimirum vt Palestrita dicitur Palestræ Magister, atque Præfectus; ita Cætaestritæ dicebantur Cetariarum Præsides Cetarijsque Præfecti; qui forent in Herculei freti littore Thynnorum Conditurae, Confectionique salsamentorum Præpositi; Cetariæ namque loca sunt iuxta mare, in quibus Thynni, & alij huiusmodi pisces capiuntur, & saliuntur.

fl. 37. c. 5. Autore (*f*) Plinio *Ferunt in ea Insula tumulo Reguli Hermiæ iuxta Cetarias marmoreo leoni fuisse inditos oculos ex smaragdis, ita radiantibus etiam in gurgitem, vt territi instrumenta refugerent Thynni: diu mirantibus nouitatem Piscatoribus, donec mutauere oculis gemmas*. mirum sane dictu, sed pulcherrimum obseruatu.

7. „ I. II. III. Interpretor, Primis, Secundis, Tertijs, etenim tres erant ordines, classesve Præfectorum eo loci: Primi quidem extitere Piscatui præfecti; qui Piscatorum causas iudicabant. Ordine vero Secundo continebantur Cetariarum Præsides, penes quos erant Iudicia de Salsamenta conficientibus. Qui duum ordinum Iudices congregabantur in quadam domo prope turrim ad iudicia fe-

g l. 1. c. 7. renda de controuersijs; vt ait Suarez (*g*) inquiens, *Losque gouiernan este pesqueria, se recogen en vna casa, llegada a esta torre, que porseruir de ampare contra el Sol, llaman el Toldo*. Quæ latine vertuntur. *Qui Piscatum, hunc moderantur, se recipiunt in quandam domum huic turri vicinam; quam, quod inseruit arcendo Soli, Toldum* (la Tenda) *vocant*. Præter hos, Ordo Tertius Præfectorum fuit; cuius officium erat, cogere multitudinem operariorum ac eos etiam vi trudere ad suum ministerium, vbi foret opus; ac imperiali fuste segnes ad opus vrgere: Qui sane Præfecti fuere multi; suumque munus admnistrabant,

Digitized by Google

bant, non in domo sedentes ad tribunal, vt illi Iudices priorum ordinum seniores, at in planicie lata obequitantes; de quibus idem Suarez infit paulo post, (*b*) *Llegados ya circa de tierra, gente de a cauallo con arcoss en las mano recogen toda la chusma a la ribera*. Quæ sic latine sonant: *Vbi prope terram appulerunt* Thynni; *viri circumobequitantes, fustibus vniuersam illam turbam ad littus trudunt.* Sic igitur, non vnius Ordinis Præfecti fuere, quibus fato iam functis inscriptus fuit iste Magurij Lapis, sed triplicis ad inuicem subordinati, Primi, Secundi, Tertij, qui quidem ordines distincti subordinatique, recte signantur item distinctis numerorum inter se subordinatorum notis, I. II. III. Ceterum quia non omnibus eorum trium Ordinum Præsidibus antea defunctis erexit hunc Lapidem Magurius; at solum quibusdam patronis, & amicis suis, sub quorum Præf. Curia artem Fabrilem cum lucro maiore iam exercuerat; propterea statim hosce sibi charos interstinguit a reliquis in vnoquoque ordine dicens.

(*b*) *loc. cit.*

8. „ IN GREG. lego: *In Gregoram*: Vetustiores profecto, qui consecrabant aliquid in alicuius honorem. promiscue dicebant se modo *eidem*, modo *in eundem* rem oblatam dicare. Sic apud antiquos Epigrammatarios in Antologiæ voluminibus habemus, poemátia laudatoria, donariaque plurima tum *Dijs*, tum *in Deos* posita: nec non *Philosophis*, & *in Philosophos*; consimiliter *Athletis*, & *in Athletas* cantata: & ita de multis alijs. Immo vero Ianus Gruterus, qui formulas vtrasque seorsum acceptas profert in diuersis inscriptionibus: legens (*i*) tum:

(*i*) *pag. LVIII. n. 7.*

In Diœcesi Eistetensi in Norico Ripens.


IN HO.
D. D.
MARTI. VICTORI
L. L. L. L. I. E.
V. S. L. M.

ex Apiano:

Quæ sic legimus:

In Honorem
Dei Domini
Marti Victori
Legiones Prima E....
Quinta Sexta Liberorum Militum.

k *ibid.* (*k*) tum *p. 8.* *Ventia in Provincia.*

MARTI. VINCIO. M. RVTINVS. FIL. CAL.
IIIIIIVIR. ET INCOLA. CEMENAEI
EX VOTO.

A Scaligero.

l *pag. lxxxviij.* tum etiam (*l*) inferius:

Romæ in vinea Card. Carpen.

Palus

Digitized by Google

Palus e Tiburtino trans Tiberim repertus.

Legimus *In Deuas*, hoc est Diuas *Corniscas Sacrum.*

Idem inquam Gruterus non vnam ponit antiquam Inscriptionem, in qua simul geminam istam dicandi formulam legimus, vt in Epitaphio Maguriano; scribit enim ille, (*m*) *Metis, in aedibus Dionysij Lebei-Batlij, Regij apud Mediomatrices Praesidis, visuntur tres puellae stolatae, manu altera nescio quid florum continentes: Inscriptio tympani haec est.* (m) pag. xcii.

IN
HONOREM
DOMVS DIVI
NAE DIS MAIRABVS
VICANI VICI PACIS

Ex

Digitized by Google

Et sane per Domum Diuinam, in cuius honorem lapis erectus est, illico notatur intelligi Deas Mairas, quibus inscriptio dicata fuit; nam & Austriacæ Domus nomine Gentem inclytam intelligimus, non ædificia, si dixerimus nos in honorem Austriacæ domus aliquid consecrare, ponere, vel scribere. Pariter in alia Inscriptione vetere duplex ista loquendi formula visitur, scribente (*n*) Grutero,

pag. cviii. n. 1.

In Pago Praumheim circa Moguntiam.



Ex Huttichio.

Quam Inscriptionem ita legimus: *In honorem Dei Domestici, Genio Sancto Marco Aurelio Claudius Pompeianus miles Legionis Octauæ Antoninianæ, Augusto Balbi*, vel, *Balbini Filio Consule, Kalendis Ianuarij, Imperatore Domino Nostro Antonino Quartum, & Balbino II. Consulibus.* etenim veteres arbitrabantur, Genios Sanctos, Deosque Domesticos, Manes item appellatos, esse mortuorum animas; quare defuncto iam Marco Aurelio, & in Deum Domesticum, Genium que Sanctum per apotheosim relato, positum est hoc Epitaphium in honorem eiusdem Dei Domestici,

mestici, ipsimet Genio Sancto Marco Aurelio. Sic & in suo Lapide Magurius eandem istam geminam inscribendi formulam seruauit, in quo Lusitanis Epidixibus, & Cetaestritis, primis, secundis, tertijs, in Gregoram, Veturiamque, & Iuniores alios dona sepulcralia dicauit. Praetulit autem ceteris quibusque Gregoram, quod is inter Epidixes in Ordine Primo Praefecturam Piscatus administrasset.

9. „ VETVRIANQVAE. In ista dictione mendum euidens agnosco Lapicidæ; nam ille pro coniunctione, *quo*, casum relatiui nominis incidit, *quae*; sæpius enim rudiores lapicidæ prisci solœcismis inscriptiones fædarunt: inter quos ignaros Magurianum istum adnumerandum esse, liquet ex eo, quod oportuerit sibi singulas dictiones punctis interpositis aperte segregari, ne natura sua discretas ipse per inscitiam temere copularet, atque confunderet. Nisi notam istam Amanuensi velimus inurere, qui per incuriam lapsus fuerit in autographo describendo. Quin etiam, nisi Græcam orthographiam secutum Magurium, aliumve quemuis Magurij iussu, rogatuve sepulcralis huius Inscriptionis Autorem, asseras; erasse quoque dixeris in eo, quod pro *Veturiam*, descripserit in autographo *Veturian*. Est autem mihi *Veturias* iste Cetaestrita, nimirum in Ordine Secundo Iudicum, Salituræ Thynnorum in Cetarijs Praefectus, qui post Gregoram Epidixem, in Ordine Primo Piscatui-Praefectorum collocatum, nominatur in lapide; quum Cetaestritæ dignitate cederent Epidixibus. Porro multas Veturias feminas multosque Veturios mares habuit Antiquitas; quorum plures inscriptiones attulit in suo volumine Gruterus; qui tamen nullius vnquam meminit Veturiæ masculi; cuiusmodi fuit is, de quo Magurius in lapide.

10. „ ET IVNIORVM. A. A. Iuniores hi Tertium ordinem Praefectorum habebant; qui vel sine peculiari nomine

mine dignitatis, a prioribus illis discernebantur, quod Iuniores Epidixes atque Cetaestritæ promiscue dicebantur, Tirtijve Cetaestritæ, ac Epidixes; quum illi seniores in primo, secundoque Ordine sedentes, per excellentiam Epidixes, atque Cetaestritæ simpliciter appellarentur. Et in hoc sensu verba sic explicari posse videntur, *Et Iuniorum Aliorum Animas*, Epidixium nimirum, & Cetaestritarum in Ordine Tertio locum habentium. Profecto veteres aliquid in honorem defuncti consecrantes, id in illius Animam dicare, constat ex eo, quod opinabantur Antiqui, cum cadauere commorari semper animam in sepulcro; propterea que, vt Dijs Manibus, ita sepulcralia dona in defunctorum animas dicare se confitebantur; etenim Virgilius, Antiquitatis cultor eximius, Aeneam inducit ad sepulcrum Anchisæ Patris offerentem munera, salutantemque paternam Animam, his (o) metris,

o *Aen.5.*

Ille e concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterua.
Hic duo rite mero libans Carchesia Baccho,
Fundit humi, duo lacte nouo, duo sanguine sacro:
Purpureosque iacit flores, ac talia fatur:
Salue sancte Parens, iterum saluete recepti
Nequicquam cineres, Animaque Vmbraque paterna.

p *Aen.3.* Et multo [p] antea Polydoro mortuo parentans Aeneas infit, apud Virgil.

Ergo instauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus. Stant Manibus Aræ
Cæruleis mæsta vittis, atraque cupresso:
Et circum Iliades crinem de more soluta.
Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras: Animamque sepulcro
Condimus, & magna supremum voce ciemus.

Quare Magurius in honorem amicorum donaria ponens, ait recte se illa dicare in *Iuiniorum Aliorum* Præfectorum *Animas.*

Digitized by Google

Animas. Nec ab re dixero, si vertero, *Et Iuniorum Amicorum Animas*. Quin etiam tertio verti possunt verba lapidis illa, *Et Iuniorum* Amicorum, siue *Aliorum Aras*; etenim apud Antiquos Aræ ponebantur pro sepulcris, vt apparet ex allato Virgilij loco, nec non ex alio, vbi Miseni funus instituens (*q*) infit, (*q*) *Aen.6.*

Haud mora festinant flentes, Aramque sepulchri
Congerere arboribus, cœloque educere certant.

Et multo [*r*] prius Andromachen inducit inferias Hectori facientem, aiens, [*r*] *Aen.3.*

Libabat cineri Andromache: Manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem,
Et geminas, causam lacrymis, sacrauerat Aras.

Læuinus per Aras intelligit sepulcrum ipsum, allato versiculo (*s*) Nasonis, (*s*) *Metam.*

Ante sepulcrales infelix astitit Aras.

Suetonius item agens de sepulcro Neronis ait, *In eo monumento solium Porphyretici marmoris, superstante Lunensi Ara, circumseptum est lapide Thasio*. Quo sensu legi possunt ea verba Saxi: *Et Iuniorum Amicorum Aras*; quod est dicari dona in honorem sepulchri Iuniorum Amicorum, vt supra vidimus apud Gruterum dicatam Inscriptionem *In honorem Domus Diuinæ*; quum sepulcra sint Manium domus. Nec omittendum est, easdem litteras legi posse, *Et Iuniorum Amicorum Apotheosim*; quod Antiqui mortuorum Animas Deificarent in Manes Deos, & Genios Sanctos; vt non semel eruditissimus Corda notauit apud Virgilium Quod si malueris haberi peculiare quodpiã nomen dignitatis in hoc Ordine tertio Iuniorũ, cõtradistinctũ a nomine Cetaestritarũ, & Epidixiorũ; non grauate tibi concedam nomen Archarij, vel Archontis, vt lectio sit: *Et Iuniorum Archariorum Animas*; aut, *Iuniorũ Archontiũ Animas*; etenim Archarius est idem quod Præfectus, & Moderator: ita D. Paulus ad Romanos inscribit, *Salutat vos Erastus*

sius, archarius ciuitatis. Archontes item, autore Suida, nouem Athenis fuere Præsides; quorum sex Thesmothetæ, hoc est Legislatores dicebantur; vnus Rex, vnus Polemarchus, & præter hos vnus, qui per excellentiam Archon dicebatur: de quo Magistratu plura Budæus. Porro, quantum apparet ex Inscriptione, Præfecti priores duo, Gregoras, atque Veturias, extitere seniores in Magistratu sedentes, iudiciaque dicentes in domo prope Turrim, Toldi nomine donata, sententiamque ferentes de controuersijs Piscatorum, atque salituram in Cetarijs molientium; posteriores autem in Ordine III. Iuniores alij, si placet, Archontes, vel Archarij nuncupati, multo plures Præfecti fuere, qui præsentes imperabant numerosorum operariorum turmis quamplurimis. Quos quidem Iuniores Archarios, Archontesve, Piscatus, & Cetariarum Præsides, ob multitudinem in paruo lapide Magurius nominatim singulos describere minime potuit; propterea communi nomine dignitatis vel ætatis eos multos complexus est, & appellauit Iuniores Archarios, Archontesve; quo nomine quoque M. Tullius vsus est in Latio, dicens (t) *Moritur Epicurus, quum duos, & sexaginta annos vixerit, archonte Pytharato*. Ceterum etsi non proprijs nominibus, apte tamen signantur, qui tempore Gregoræ, Veturiæque Præfecturam suam gesserunt in Ordine III. Iuniores alij Cætaestritæ, vel Epidixes, vel si mauis Archontes, Archarijve. Mihi vero potius arridet lapidis verba legere, *Et Iuniorum aliorum Animas*, siue *amicorum Animas*, apte subintelligendo promiscue, Cetaestritarum, vel Epidixium; quod in prima parte, cuius hæc secunda est explicatio, simpliciter Epidixibus, & Cetaestritis, non item Archarijs, nec Archontibus locus vllus datus fuerit: vt Iuniores isti, tertium ordinem habentes, quod imperij virgis plecterent, ac in officio continerent contumaces tam piscatores, quam salitores, promiscue

(t) *de fato.*

Iunio-

Iuniores Epidixes, & Iuniores Cetaestritæ nuncuparentur Iuniorum titulo segregati satis a ceteris priorum duum Ordinum, qui simpliciter Epidixes, & Cætaestritæ dicebantur. Turmas autem operariorum in Lusitaniæ Piscatu, Cetarijsque valde multas extitisse, popellique nequioris atque perditi propemodum innumeros homines habuisse, quibus in officio continendis, coercendis, puniendisque, multi Iuuenes robusti præficerentur, ostendit idem Suarez, adiungens antea propositis, (u) *A pocos passos está à otra bien capas, dende se recoge todo el pescado, se desquartiza, y sala. A estas accompannan por todo aquel campo buen numero de chasas, y casillas, formada de paja, y piedra seca, acogida de a quella chusma, y gente perdida, que de toda Andaluzia se recoge a este exercito*, & mox, vt antea vidimus: *Llegandos ya cerca de tierra, gente de a caualle con acotes en las mano recogen toda la chusma a la ribera*. Quæ sic latine redduntur: *Non multis inde passibus extant ædes aliæ satis capaces, in quas totus piscis defertur, finditur in partes, & salitur. Hisce adiungunt per totam illam planitiem plurima tuguria, & humiles casas, congesto lapide & stramentis confectas: receptaculum turbæ, & illius hominum colluuiei, quæ ex vniuersa Turdetania, seu Vandalicia confluit ad hoc exercitium. Vbi prope terram appulerunt* pisces, *qui circumobequitant* Præfecti, *fustibus vniuersam illam turbam ad littus trudunt*: Multos igitur esse oportuit, & Iuuenes huiusmodi Præfectos.

(u) *l. 1. c. 7*

11. „ DICAVIT. Vbi vero dedicationem istam sepulcralem fecerit Magurius non aperte constat: an ad Gades in suo discessu ex Hispania veniens in Italiam ætate prouecta; diuitijsque non paucis comparatis Artem fabrilem derelinquens, atque penitus valere iubens, qui sibi supererant Vncini piscatorij plurimi, perticis appensos dicauerit omnes, vna cum Euris octo gemmis in honorem

Digitized by Google

Præfidum Piscatus, & Cetariarum sibi dilectorum ad eorum sepulcrum in ora Lusitaniæ constructum. An potius ad Aponenses Thermas (quum Italiam iam appulisset, ibi valetudinis causa degens, vbi confluebant ex omni penitus Europa valetudinarij, sanitatem inde sibi non temere conquirentes) in ocio suo, vita defunctis Præfectis Gaditano Piscatui, patronis amicis herisque suis, vna pius atque gratus posito vel inani sepulcro, consecrauerit lapidem inscriptionis cum donis mortualibus: etenim frequens fuit apud Antiquos, amicis defunctis, etiam in longinqua regione cineres habentibus condere tumulos, construereque sepulcra cum donarijs; quod passim obseruare licet apud Virgilium, Antiquitatis cultorem eximium; namque

x Aen. 3. (x) primo captiuam inducit Andromachen in Epiro sepulcrum, & sepulcralia dona ponentem Hectori suo reliquias in Troiæ terra distantissima tum habenti; quem tumulum in Epiro propterea dicit inanem, quod Hectoris ossa non contineret: carmina Poetæ sunt:

Solemnes tum forte dapes, & tristia dona
Ante Vrbem in luco falsi Simoentis ad vndam
Libabat cineri Andromache; Manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem,
Et geminas, causam lacrymis sacrauerat Aras.

y Aen. 5. Et (y) inferius item inducit Aeneam dicentem se quotannis Parenti suo sacra funebria facturum, etsi procul ab eius cineribus foret:

Postera quum primo stellas oriente fugarat
Clara dies, socios in Cœtum littore ab omni
Aduocat Aeneas, tumulique ex agere fatur:
Dardanidæ magni, genus altum a sanguine Diuum,
Annuus exactis completur mensibus Orbis,
Ex quo reliquias, diuinique ossa Parentis
Condidimus terra, mœstasque sacrauimus Aras.
Iamque dies (ni fallor) adest, quem semper acerbum,

Sem-

Semper honoratum (sic Dij voluistis) habebo.
Hunc ego, Getulis agerem si Syrtibus exul,
Argolicove mari deprensus, & Vrbe Mycena,
Annua vota tamen, solemnesque ordine pompas
Exequerer, strueremque suis Altaria donis.

Altaria namque mortuorum erant sepulcra. Quin & inferius (*g*) Aeneas Deiphobum mortuum alloquens ait, g Aen. 6.

Tunc egomet Tumulum Rhæteo in littore inanem
Constituì, & magna Manes ter voce vocavi.
Nomen & arma locum servant: te, amice, nequivi
Conspicere, & patria decedens ponere terra.

Solebant veteres (inquit etiam eruditissimus ille (*a*) Cerda) ijs, quos amabant, pluribus in locis imaginarium quendam tumulum excitare, quem hic Poeta *inanem* vocat: & (*b*) Suetonius *honorarium*, his verbis: *Exercitus honorarium ei tumulum excitavit, circa quem deinceps statò die quotannis miles decurreret, Galliarumque civitates publice supplicarent.* Inde vetustæ marmorum inscriptiones (quod notavit (*c*) Alciatus) habebant hæc verba, *ob honorem*: cuius sententiam firmo verbis (*d*) Taciti: *Honorique patris princeps ipse cum legionibus decurrit*; forsan ista fuit saltatio Pyrrhica militum ad honoraria sepulcra Ducum. Huius inanis honorarijve tumuli exemplum est apud (*e*) Homerum; quum enim audisset ex Proteo Menelaus Agamemnonis fratris mortem, illi statim tumulum excitat:

a 3. Aen. v. 301. 7.
b in Claud. 6. 1.
c 10. Parcap. 12.
d 2. Ann.
e Odiss. 4.

Cæterum postquam sedavi iram Deorum immortalium,
Agessi Agamemnoni tumulum, ut immensa gloria esset.

f 6. exp. Cyr.

Et apud (*f*) Xenophontem, vbi huiusce modi tumulum vocat Cenotaphion: *His quorum corpora inventa non sunt, Cenotaphium magnum fecerunt, pyramque magnam, & coronas imposuerunt.* Et apud (*g*) Pausaniam, In Atticis Euripidi honorarius tumulus excitatur, quum ipse in Macedonia sepultus esset. In (*h*) Corinthiacis item Ducibus omnibus, qui ad Ilium ceciderant, Hunc tumulum dici monumentum

g in Attic.
h in Corinth.

i ff. de relig. & sump. funer. tum etiam asserit (i) Iurisconsultus inquiens, si ibi sit corpus, dici sepulcrum: si absit, dici monumentum, vt & Græcis Cenotaphium, quia structum solum ad memoriam defuncti. Græca voce vsus Lampridius; (*) ait enim, *Cenotaphium in Gallia, Romæ ampliſſimum ſepulcrum meruit.* Philostratus in Apollonij vita, (†) *Pseudotaphium* nominat proprie, quia mendax sepulcrum. Ad hunc tumulum [k] Horatius alluſit,

*in Alex.

† l. 8. cap. 13.

k l. 2. od. 20.

Abſint inani funere nænia.

Optat quippe mutari in alitem; ac proinde inane funus erit, vbi ipse non futurus. Nonnius in (l) Dionysiacis huiusmodi tumulum vocat *cenſirion, caſymbon ceneon.* Sic igitur antiquorum more frequentissimo, facile Magurius Faber, iam senex atque diues, arte fabrili valere iussa, & e Lusitania quum migrasset Italiam, & ad Aponenses Thermas valetudinis ergo domicilium sibi constituisset, Lusitanis Epidixibus, & Cetaestritis, atque speciatim in honorem Gregoræ, Veturiæque, necnon aliorum Præfectorum, sub quibus artem suam cum ingenti lucro iam exercuerat, honorarium sepulcrum construxit, inanemque tumulum, ijsque Patronis, herisque suis dicauit.

l lib. 2.

Vacuum monumẽtum, & tumba vacua,

12. „ EVRAS. Qui splendidissimas gemmas importunas esse Piscatui nouit, Smaragdos refugentibus Thynnis, in honorem amicorum Præsidum dicauit apte Magurius gemmas non ita splendidas Euras nomine; siquidem autore Plinio, (m) Eureos gemma nucleo oliuæ similis est, striataque concharum modo, minus tamen habens candoris. Eurotias gemma est, quæ situ videtur operire nigritiam; ita dicta a Græco verbo *eurotian*, quod est situm trahere. Anselmus (n) Boetius de Boodt ait, eiusmodi gemmam videri esse neotericorum lapidem Iudaicum. Neque vero me turbat, quod in Epitaphio legimus *Euras*, non Eureos, nec Eurotias; nam id adscribendum est dialecto, qua Magurius vsus est, Plinianæ non omnino eidem; sic

m l. 37. c. 10.

n 2. de gem. cap. 303.

vnam

vnam & eandem rem omnino Veneti *Fio* nuncupant, quâ Etrusci *Figlio*, & *Figliuolo*: quare quod a Plinio dicitur Eureos, vel Eurotias, cur a Magurio dici non potuit Euras? Quin etiam tropum syncopis obseruans Magurius, Euras non inepte scribit pro Eureas, vel Eurotias; etenim promiscue pro eadem re dicitur a Latinis, Deorum & Deum, Diuorum & Diuum, Virorum & Virum, Induperator & Imperator. Dicauit autem Euras istas gemmas Magurius Lusitanis Præfectis Epidixibus, & Ceraestritis, atque peculiariter in honorem Gregoræ, Veturiæque seniorem, nec non etiã in Iuniorũ Aliorum Præsidum Animas, tesseram lucri sub illorum Præfecturis olim sibi comparari; signumq; gratitudinis erga beneficos patronos: & symbolũ venerationis atque pietatis erga defunctos Dominos. Num autem eiuscemodi gemmæ fuerint Anulis ligatæ, an solutæ, soljtariæque; non apparet ex hac inscriptione. Censeo tamen Anulis inclusas fuisse; quod Anuli priscis ponerentur inter dona defunctis oblata, quin & ex testamento legata, simulque cum cadauere contumularentur in sepulchris: speciatim vero mos iste fuit apud Hispanos, atque Lusitanos; etenim Ianus Gruterus affert antiquum epitaphium (e) huiusmodi; (e) pag. 1118. 2.

Mala-

VENEREM. AVG. CVM. PARERGO
ITEM. PHIALAM. ARGENT. AEMIL
RVST. F. ITEM. TABVLAM. AR
GENT. M. ANNIVS. CELCITAN
TEST. SVO. POST. MORTEM
AEMILIAE. ARTEMISIAE. VXORI
ET. HEREDI. SVAE. PONI. IVS
AEMILIA. ARTEMISIA. TIRA
POS. EADEMQ. DE. SVO. ANVLVM
AVR. GEMMA. MELIORE

Gemmæ melioris nomine signatur hic pretiosior, vt adamas, carbunculus, smaragdus, & id generis: ad gemmarum minoris pretij discrimen, cuiusmodi sunt Achates, Onix, Iaspis, Sarda, & similes. Quin & apud Gaditanos antiquitus in more positum fuisse, defunctis Anulos consecrare, ponereque in sepulcris, autor est idem Suarez, (p) p l. 4. c. 3. f. afferens *En algunos vasos sepulcrales a bueltas de los huessos, y cenizas, se hallan en esta Ista joyas de oro, y plata, tal como çarzillos, coralles, Anillos, y manillas. Lo mas particular, que dello à venido a mis manos, à sido vn Anillo de oro, engastado en el vna Cornerina, en la qual se ven dos manos asidas, de entre las quales se leuantan dos espigas.* Ita latine dixeris: *In nonnullis vrnis sepulcralibus vna cum ossibus & cineribus inueniuntur interdum in hac Insula ornamenta quædam aurea, & argentea, vt inaures, torques, Anuli, armillæ. Quod præsertim ex his ad manus meas peruenit, fuit Anulus aureus, cui insertus est Sardius lapis; in quo duæ manus iunctæ conspiciuntur; e quarum medio duæ emergunt aristæ.* De quibus nos late nuper egimus in opere

re proprio De priscorum(q) Anulis, recens inuulgato. Vt hinc appareat euidenter Magurium in honorem defunctorum Præsidum dedicasse gemmas Euras Anulis inclusas, ex consuetudine regionis Gaditanæ; denominatione donarij facta, non ab auro, vel argento, sed à gemma; qui mos fuit Antiquorum, etiam num vigens ætate nostra, qua smaragdi nomine, vel adamantis, non solitariam gemmam, sed Anulum huiuscemodi gemma præditum significare solemus. q cap 40 & 63.

13. ,, VIII. OCTO. Octonarius autem iste numerus congruentissimus esse videtur huic inscriptioni, tum ex parte Fabri dedicantis: tum ex parte Iudicum, quibus dedicatio fit: tum etiam ratione loci, sepulcri scilicet, in quo suspenditur, ac ponitur mortuale donarium istud, tum demum ratione regionis Hispanæ; etenim qui dedicauit Euras Octo Magurius, Faber fuit, sub tutela Vulcani, Fabrorum ferrariorum Dei apud Gentiles: At vero Bongus, agens de Mystica numerorum significatione scribit, *Octonarius numerus Vulcano dicatur*. Quibus autem dedicantur Octo gemmæ prædictæ, fuere Iudices, Iustitiæ Præsides: Modo Bongus idem infit, *Quum ergo & compositio ipsius numeri Octonarij pari æqualitate procedat, & resolutio æqualiter redeat vsque ad vnitatem, quæ diuisionem pro arithmetica ratione non recipit; iure optimo Pythagorici iuxta suæ disciplinæ morem, hoc numero Iustitiam comprehendebant: quod Iustitia sit æqualis pro cuiusque meritis distributio, fundamentumque firmissimum ciuitatis*. Quin & (r) Aristotele doctore Iudiciorum species octo ponuntur. Denique vero numerũ Octonariũ indicare cõplementũ & absolutionẽ donarij sepulcralis apud Antiquos aperte satis ostendit idem Bongus addens, *Illud denique relatu dignum videtur, quod hunc numerum vsurpauit Antiquitas, quum nihil alicui rei deesse significaret, aut quum multa inter se viderentur consimilia, OMNIA OCTO, dicentes. Stesi-* r 4 Polit. c. 16.

chori conditorium, magnifico extructum impendio ex octonis constabat omnibus, Octo columnis, Octo gradibus, Octo angulis: cuius meminit Iulius Pollux agens de lusu taxillorum, quem dicit numeris constare, in quibus vnus sit, qui Stesichorites appelletur, nimirum Octo; idque cognominis sumptum ab eius monumento. Verba Pollucis ea sunt, *Tum & Stesichorus appellatur quidam in astragalorum ludo numerus, qui octonarium significat; Poeta enim huius in Himera sepulcrum, ex octonis omnibus compositum, peperisse tradunt, OMNIA OCTO, parœmiam.* Denique vero Gulielmi Onciaci notatu in Decade Numeralium locorum, *Octonaria Regionum Hispania* ponitur. Igitur aptissime Magurius Faber ferrarius defunctis amicis Iudicibus, Præfectisque suis Hispanis cum lapide sepulcrali dicauit in eorum cultum Euras Octo.

14. „ET. PERTIC. Legimus: *Et Perticas.* Profecto priscis inter sepulcralia dona præcipuum habuere locum Perticæ; qua de re pulcherrimum habeo testimonium Pauli Diaconi scribentis de gestis Longobardorum, verbis ipsissimis: (*f*) *Regina vero vxor eius Rodelinda basilicam Sanctæ Dei Genitricis extra muros Ciuitatis Ticinensis quæ ad Perticas appellatur, opere mirabili condidit, ornamentisque mirificis decorauit. Ad Perticas autem locus ipse ideo dicitur, quia ibi olim Pertica, ideſt Trabes erectæ steterant, quæ ob hanc causam iuxta morem Longobardorum poni solebant: si quis enim in aliquam partem, aut in bello, aut quomodocunque extinctus fuisset, consanguinei eius intra sepulcra sua Perticam figebant, in cuius summitate columbam ex ligno factam ponebant, quæ illuc versa esset; vbi illorum dilectus obiisset: scilicet, vt sciri posset, in quam partem is, qui defunctus fuerat, quieſceret.* Quem locum notauit etiam eruditissimus Cerda apud (*t*) Virgilium. Quoniam vero non vni tantum, sed plurimis epitaphium posuit Magurius, non vnam tantum perticam, sed plures dedicat perticas.

(*f*) l. 5. c. 13.

(*t*) 3. Aen. v. 67. n. 14.

15.

Digitized by Google

15. ,, VNCINOR. XII. Lego, *Vncinorum duodecim*: nimirum singulæ Petricæ appensos habebant Vncinos ferreos duodecim; aptissime dicantur a Fabro ferrario Præfectis Piscatui Thynnorum Vncini ferrei, quod hi præcipua sunt instrumenta, quibus Thynni de mari capiuntur, sicuti Suarez idem obseruat, (u) inquiens, *Cinnem luego buena parte del Oceano con vna redde esparto muy rara, que solo sirue, hundida en las aguas, con su tremolar, y visos, a temorizar los Atunes, y detenerlos en su veloz curso (son los animales mas timido que el mar tiene, y de muy poca vista, que no les aumenta poco el miedo) A esta red llegan otra de cañamo mas fuerte, y espessa, para con mas seguridad traherlos a tierra Viendose reduzir a tanta estrethura, que ya el agua les falta; y desde los barcos los harpones, y piedras los acosan; dan furiosas carreras, y saltos, sacudiendo a vna parte, y a otra las colas, con que lleuantan toruellinos de agua, y assi heridos, y acosados, saçan las cabecas sobre las sangrientas aguas, que parece (como dixo (x) Eschylo) sin voz, ni suspiros estan pidiendo misericordia*: Qui sine suspirijs, velut Thynnus, sine voce precabatur: *Llegados ya cerca de tierra, gente de a cauallo con aço tes en las mano recogen toda la chusma a la ribera: donde vnos tirando de las redes, otros ocupado con sus cocles en traer a tierra la presa (que son vnos garfios de fierro pendientes de vna soga) ofrecen a los ojos vna agradable vista. De alli en carretas los lleuan a la Chancha, lugar donde los desquartizan salan, y embarrilan.* & mox tandem: *En que parte de esta Isla se hezieße esta pesca por a quellos tiempos, no ay cosa cierta. Si puede el que escriue en cosa tan antigua conjecturar algo, sospecho seria en el cabo Heracleo, a que oy llaman de Santi Petri; porque este promontorio se corta con las aguas del Oceano, haziendo vna pequeña Isla, en que estuuo el templo de Hercules: en cuyo estrecho y calasse entran muchos Atunes; y alli enbalsados sin necesidad de*

u l. 1. c. 7.

x Apud Athen. l. 7. ca. 20.

redes, ni otra industria, si no solo con harpones los pescan, y matan. Cuyo modo de pesqueria es el mas antiguo, ofreciendo assi por el sitio, y naturaleza de mar, y triera. Quæ Latio donantur ita: *Cingunt illico magnam Oceani partem rete quodam sparteo* (e iuncis marinis) *valde raro, quod aquis immersum sua facie, ac tremulo motu deseruit tantum terrefaciendis Thynnis, ijs que prepete cursu detinendis (sunt autem animalia maritimorum omnium timidissima, visusque perquam habetis: quod ipsis metum nox parum adauget) Huic reti addunt aliud cannabinum fortius, spissiusque, quo tutius eos in terram trahant. Qui animaduertentes se ad tantas angustias redactos, vt eos iam aqua deficiat: videntesque e lintribus imminentes harpagones* (vncini ferrei sunt) *& lapides, quibus impetuntur, pernicissimo cursu aguntur, saliuntque quatiendo hinc inde caudas, quibus turbines aquarum attollunt: & ita percussi vulneratique, exerunt e cruentis aquis capita, vt videantur* [*sicut Aeschylus ait*) *sine voce, & suspirijs misericordiam petere:* (y) Qui sine suspirijs velut Thynnus sine voce precabatur. *Vbi prope terram appullerunt* pisces: *Qui circumobequitant.* Præfecti, *fustibus vniuersam illam turbam ad littus trudunt; vbi pars attrahendo retia pars occupata in pertrahenda in terram suis Vncinis præda* (*sunt autem ferramenta hamata & recurua de reste pendentia*] *exhibent intuentium oculis iucundum spectaculum. Inde plaustris eos deferunt in locum quendam, dictum la Chancha, vbi in partes findunt, saliunt, dolijsque recondunt.* Ac demum: *Qua parte Insula ijs temporibus fuerit huiusmodi Piscatus, incertum est. Si quid tamen scribenti in re tam antiqua licet conijcere, erediderim in Heracleo promontorio, quod hodie Sancti Petri vocant; quoniam promontorium hoc scinditur Oceani aquis, efformatque paruam quandam Insulam, in qua fuit Herculis phanum. Cuius fretum, & sinum innumeri Thynni subeunt; ibique velut in stagno detentos, sine retium, ope, alia-*

y *Apud Athen. l. 7. ca. 20.*

que

ve induſtria, ſolis harpagonibus piſcantur, & mactant. Cuiuſmodi piſcandi modus eſt omnibus antiquior, ita indigitatus a ſitu, & natura maris, atque regionis. Vt iam ex his appareat, harpagones, qui ſunt Vncini ferrei, maximo ſemper vſui fuiſſe Gaditanis in Luſitaniæ mari ad Thynnorum piſcatum. Quem ſane piſcandi morem Vncinorum ope non ſemel ego iuuenis olim ſpectaui ad promontorium Sancti Fluctuoſi prope Camulij vicum in ora Liguſtica Orientali, ſub ditione Rechi Opidi. XII. Duodecim autem Vncinos vnicuique Perticæ ſepulcrali Magurius apte ſuſpendit in honorem Iudicum Luſitanorum vita functorum, ac ab Antiquis inter ſuos Deos Manes relatorum; quoniam obſeruatu quoque Bongi, Duodenarius numerus plenæ, conſummatæque virtutis eſt nota: naturam humanam exprimit: Platonicis ciuilium Gubernatorem indicat: a Platone in Phedone valde laudatur; in Phædro, Deorum Dæmonumque exercitum ſub Ioue diſtribui conſtat in ordines duodecim. In Legibus, cuſtodias, Magiſtratus, agros, vicos, ciuitatemque ſecari pariter in partes duodecim: Ciuitatem Platonicam Dijs Duodecim commendari: & in Republica tanquam diuinum celebrari numerum duodenarium: eſſeque metrum totius corporeæ plenitudinis. Cedrenus item in Hiſtorico ſuo Compendio ſcribit, duodenario ſpacio diei cunctas Creaturas offerre Deo preces; & hora duodecima ſpeciatim fieri hominum interpellationem Deo acceptam. Denique vero certum eſt, Leges antiquiſſimas hominum duodecim Tabulis inſcriptas fuiſſe; Quamobrem Iudicibus Piſcatorum ad Gades vita defunctis apte non minus duodenarium Vncinorum numerum ſingulis Perticis appenſorum dicauit Magurius Faber, quam Octonarium gemmarum. Perticas autem vncinis duodenis refertas conſecrauit.

Digitized by Google

16. ,, N. CCL. IX. dico, *Numero ducentas quinquaginta nouem*: Quo quidem numero, si Perticas consideres, inspexit ipse Magurius ad numerum Epidixium, & Cetaestritarum, Iuniorumque Præfectorum, qui diem obierunt eo tempore toto, quo Fabrum primarium egit ad multos annos in illo Piscatu Lusitaniæ: ponens numerum magnum determinatum pro indeterminato; singulis Præfectis dedicans item singulas Perticas, vt defunctis suis efficere consueuisse priscos Longobardos, vidimus ex Diacono. Si vero mentem dirigas ad Vncinos, ij duodeni singulis Perticis impositi, ad numerum Perticarum ducentum quinquaginta nouem, duodena multiplicatione complent numerum trium millium centum & octo; quæ multitudo facile locum habere potuit in vno Thynnorum Piscatu singulis diebus apud numeroßimam illam Piscatorum, Salitorumque turbam. Neque vero me turbat adeo magna Perticarum, seu trabium, & Vncinorum multitudo; quia veteres, potißimum diuites, qualem fuisse Magurium censemus, viris insignibus, cuiusmodi fuere Præfecti Piscatui Gaditano celeberrimo, de se benemeritis erigebant etiam honoraria sepulcra magnifice constructa, magnæque molis; ita Virgilius inducit Aeneæ comites Miseno Tubicini
z Aen. 6. constituentes Aram sepulcri magnis & quamplurimis arboribus de sylua vetusta recisis; dum [z] ait

Haud mora, festinant flentes, aramque sepulchri
Congerere arboribus, cœloque educere certant.
Itur in antiquam syluam, stabula alta ferarum:
Procumbunt piceæ, sonat icta securibus ilex,
Fraxineæque trabes, cuneis & fissile robur
Scinditur: aduoluunt ingentes montibus ornos.
Nec non Aeneas opera inter talia primus
Hortatur socios, paribusque accingitur armis.

Vt hinc appareat, mirandum non esse si Magurius Hispanis Præfectis, Dominis, patronisque suis condiderit, vel honora-

Digitized by Google

norarium sepulcrum, constructoque dicauerit ducentas quinquaginta nouem perticas duodenis singulas Vncinis refertas.

Quare iã Epitaphij sẽsus apertus esse videtur huiusmodi:

Quintus MAGVRIVS Quinti Filius

FABer primarius, plurimos habens sub se ministros, fabricantes instrumenta ferrea, necessaria numerosæ multitudini piscantium Vncinis e mari Gaditano Thynnos innumeros initio æstatis cuiuslibet anni:

FEROX cognominatus vel a truculentia vultus, vel ab asperitate ferociaque morum, vel a conditione seruili; qua Lucernarum antiquarum plastes agnomen sibi FORTIS imposuit: quale plurimis in Lucernis antiquis legitur:

LVSitanis EPIDIXIBus, qui supremi Iudices fuerunt ad Gades Thynnorum Piscatui-Præfecti:

ET CETAEStritis: qui Præfides extitere Cetariarum, vbi Thynni capti membratim diffindebantur, salicbantur, & in cadis ad venum asseruabantur.

I. II. III. Primis, qui seniores Epidixes erant. Secundis, qui Cetaestritæ similiter ætate prouecti, sedentes pro suo quisque Tribunali iura dabant, atque dicebant Piscatoribus, & Salsamentarijs. Tertijs, qui robusti Iuuenes Epidixies, Cetaestritæque circumobequitantes, operariorum turbam immensam cogebant, & baculis imperij sui vrgebant ad opus, Nominatim vero & peculiariter in honorem sibi dilectiorum, sub quorum Præfecturis artem fabrilem cum emolumento suo maximo fabricans Vncinos piscatorios exercuerat: nimirum.

IN GREGoram Epidixen, Piscatui-Præfectum supremum.

VETVRIAMQVE Cetaestritam, Cetariarum Præsidem: seniores Iudices duos sibi chariores.

ET IVNIORVM Aliorum Animis ad sepulcrum honorarium vocatas: qui Iuniores Epidixes, Cetaestritæ-

ve,

Digitized by Google

ve, tertio continebantur ordine Præfectorum infra Gregoram, & Veturiam, qui duobus in prioribus Ordinibus sedebant.

DICAVIT in honorario tumulo ab se apud Aponenses Thermas constructo.

EVRAS gemmas OCTO, donarium mortuale congruentissimum Fabro ferrario dedicanti, Iudicibus Præfectis vita defunctis, Tumulo sepulcrali, & Tynnorum Piscatui.

ET PERTICas item sepulcrales VNCINORum DVODECIM, *Numero ducentas quinquaginta nouem*; continentes propterea ferreorum Vncinorum tria millia centum & octo; symbolum Magisterij fabrilis, quo ferramenta præcipua, tam celebri Piscatui Thynnorum necessaria, fabricauit sub illorum Præfecturis Magurius Fabrorum princeps ad Herculeas columnas in Lusitaniæ littore Gaditano.

Neque vero pulchritudo litterarum maioris notę, quibus incisus videtur iste Lapis, hilum derogat Inscriptionis huius Antiquitati; quia passim Antiquas Lucernas, & per vetusta marmora conspicer licet cum litteris pulcherrimis, & consimiliter affabre factis.

Hæc illa sunt, Optime Sertori, quæ mihi nunc occurrere scribenda de tenebricosissimo Lapide Maguriano: Tu mea sensa boni consule, ac me ama. Dabam ex ædibus nostris in ocio Patauino, IV. Idus Augusti M DC XLIV.

ALE-

Digitized by Google

ALEXANDRI SARDI FERRARIENSIS

DE MORIBVS AC RITIBVS GENTIVM.

LIBRI III.

Opus rerum varietate refertum, omnibus ingeniis vtile, ac neceſſarium.

Digitized by Google

Digitized by Google

IVLIO CANANO

ADRIAE PONTIFICI.

CRIPSI quinquennio iam elapso Optime, ornatissimeq; Pontifex, tres hos libros, quos nunc ad te mitto, de Moribus, vt periculum mei facerem, si quid diuturno litterarum studio, continuaq; optimorum auctorum lectione dignum hominũ auribus efficere, atque edere possem Cumq; vidissem quod esset doctorum aliquot hominũ his meis de libris iuditium, experiri etiam volui, cæteri ne sententiam eorum sequerentur, an libros ipsos respuerent, atque aspernarentur: vt hoc doctorum hominum communi penè iuditio, quid in reliquis, quæ vel scripsi, vel scribere cogito, faciundum mihi foret intelligerem. Eos vero tibi ipsi dicare constitui,

Digitized by Google

quòd scirem maximam te voluptatem ex huiusmodi bonarum litterarum studio percipere intelligerem pręterea tuam auctoritatem magnum adiumentum mihi allaturam: vtpote qui bonis omnibus carissimus, gratissimusq; sis & tua præclara virtute, & officiis, quæ multa, magnaq; in hominum genus omne viuo Iulio Montio Tertio Pont. Max. cui merito quàm acceptissimus eras, contulisti: & quę hoc tempore in omnibus confers: vt hac ratione ampliſſima hac tua Pontificia in antiquissima vrbe dignitate, ampliorem, & tua virtute, pietateq; digniſſimam te adepturum credamus, & optemus. Tu vero poteris hoc ipsum munus meum si exiguum fortasse tibi videbitur, ea obseruantia augere, qua te Pontificem Optimum prosequor, & colo: eo etiam desiderio, quo tuas laudes, atque fortunam aliorum laudibus, & fortunæ præstare vellem: faciam vero vt tute postea etiam sic me voluisse intelligas. Bene, diuq; valeas.

ALEX. SAR.

PRO-

PROOEMIVM.

COMODA, quæ ex gentium institutis hominum vitæ, & ingenijs prouenirent, coegerunt me quidem hoc tempore de Moribus libros scribere. Cum enim nihil tam libenter, & serio homines agere viderem, quam res omnes imitatione consequi studere, siue ad virtutem, & modestiam spectauerint illæ, siue ad bellum, & pacem, siue litterarum, & eloquentiæ sint, vitia etiam alieno exemplo sequi, & aliquando probare: fore sperabam neminem tam corrupta, & difficili natura, qui recusaret omne vitæ tempus honestè traducere, si quæ optimè antiquì egissent, & quæ male, intellexisset. Quare crediderim Aristotelem maximum illum ingeniorum, & doctrinæ parentem ducenum quinquaginta Rerumpub. leges collegisse, instituta, & mores, gentium etiam Leuceam Argiuum poetam, vel hac, qua vtor, inscriptione. Vnde præterea vel altissima augeretur prudentia, cum Vlyssem, quem prudenti dixerat inter Græcos vigere consilio, decem annis peregrè mittat Homerus vrbes, & mores cognoscentem: & laudet apud Ennium Seruilius illis carminibus, quibus suum credebatur ingenium poeta ab Aelio Stillone explicasse, amicum.

Et mores veteresq; nouosq; tenentem.

Ne dicam eruditam voluptatē, quæ multa, & varia

hac rerum cognitione captatur: & naturæ maiestatẽ quæ dedit ingenium homini, quo quæ deessent ad vitã ducendam necessaria, pararet, ne iustè de illa vllus conqueri posset. Scripsi igitur de Moribus, nec separatim semper pro gentibus, & nationibus, ne eadem sæpius, vel similia referrem, cum nihil quandoque aut parum differrent, sed coniunctim singulas actiones comprehensus à nuptijs, vsque ad funus ipsum, inde eũ, quæ prætermissa videbantur, de Rep. bello, sacrificijs, & huiuscemodi alijs. Nec semper ambitiosius vnde hæc sumpserim, nominaui auctores, celeberrimos illos quidẽ, & eruditissimos, quòd satis feliciter mecũ agi putarẽ, si rerũ varietate ex tot gentiũ nominibus, minus quàm delicato lectori nõ afferẽ fastidiũ, non modo non adiectis ijs, quorũ auctoritate nixus, hæc scripserim: quos tamẽ simul omnes vno loco explicaui, vt qui multiplici, & varia doctrina delectãtur, scirent vnde hæc peterent: & qui in huiuscemodi litterato otio diu esse nequeunt, crederẽt nihil à me dictũ, quod nõ prius aliunde exceperim. Poterũt nãque aliqui fortasse de me noui nonnihil in eis libris quos post συνταγματά huiuscemodi ex electis cõmentarijs sumpta, scribã, expectare, in his nequaquã, quod antiqua magis, quã recẽtia, quæ ex historia requirũtur, sequar, vt antiquitatis multa cognitione, quantũ vel moribus profecerimus, vel de illis decesserimus intelligentes, honeste vitam viuere possemus.

ALE-

ALEXANDRI SARDI FERRARIENSIS, DE MORIBVS.

LIBER PRIMVS.

Veneris Promiſcuus Vſus, Vxores Communes, Pluresque, plures item mariti. Cap. I.

NVLLA fuiſſe apud antiquos nuptiarum ſolennia certum eſt, quòd ferarum more paſſim vagarentur, & cum mulieribus concumberent, donec inſtituta ſunt vel ab Ioue, & Iunone, qui iura matrimonij celebrare primum, vel a Cecrope Aegyptio Athenienſium Rege: quem promiſcuum Veneris vſum & Hyrcani ſecuti, Antropophagi, Scoti, Tyrrheni, ponti accolæ, Machlyes, & Auſes, apud quos, cuius puer formam haberet, eius credebatur filius, vt & apud Limyrinos, & Garamantes, Agathyrſos etiam, vt fratres omnes eſſent, & Maſſagetas, qui habebant quidem vxores, ſed communes illas, quibus palam commiſcebantur ſuſpenſa è curru pharetra, vt & Moſynœci faciebant in Ponto, & in Caucaſo, in Ibernia quoq; & Indi: communes etiam Troglodytæ, præter quàm Regum, vel plures ducebant vt Barbari omnes ferè, Numidæ, Mauri, Aegyptij, Indi, Iudæi, Perſæ, Parthi, Taxili, Naſamones, Thraces, Germani, Nomades, qui Tartari ſunt, duas Siculi, & poſt corruptos bello, & lue ciues, Athenienſes, ſiue, quod tradidit Hieronymus Rhodius, vxorem & pellicem:

contra

contra Britanni deni, duodeniq; vnam, fratres cum fratribus, parentes cum liberis filij eius sunt, à quo primum virgo ducta est: & vnam Arabes consanguinitate iuncti, apud quos ex alieno genere adulter est; quinq; viris nubit fœmina apud Medos, qui montes incolunt.

Matres, Sorores, Filiæ, Consobrinæ, nouercæ, fratriæ, quæ filijs, fratribus, parentibus consobrinis, priuignis, leuiris nubunt. Cap. II.

HAbebant Persæ, Aredi, Indi, Aethiopes & Magusæi, qui ex Perside in Mediam, Parthiam, Aegyptum, Galatiam, & Phrygiam venere in matrimonio matres, & sorores id quod permisit etiam Chrysippus, filias quoq; & consobrinas nouis Zoroastri legibus, qui Orimasdei filius, quem Magi, qui & cum matribus concumbunt, oromasin vocant, Idaspis temporibus scelera docuit, & Magiam Persas, cum Ninus matrem Semiramim interfeciſſet filij congressus appetentem, expulisſetque Artaxerxes regia ea causa Parisatidem. Docuit postea Persas Alexander à maternis nuptijs abstinere, cum tamen Macedones inire crederentur matres, quòd insanum appellassent œdipum, vbi illum primum excæcantem sese ob materna connubia in theatro vidissent. Parthi & ipsi habebant in matrimonio matres, filias, & sorores, has Assirij, & Ptolemæo permittente Aegyptij, cum Arsinoen sororem insano amore amaret: Athenienses, etiam, quod tamen crimini datum Cimoni scribit grauis auctor Plutarchus, & Cares, vt de Artemisia dicitur, & Mausolo: nouercas, & fratris vxores patre, fratreq; mortuo Nomades, & Sarmatæ Igillio-

nes,

Digitized by Google

nes, qui Samagithiani in Lituania (sic Sarmatiæ ea pars vocatur) hodie incolunt: qui Nauriam in Asia filias, Romani ex plebiscito neptes, Athenienses Solonis lege genere proximiores virgines orbas, vel illis dotem dabant, vnde & apud nos est Terentij fabula, quæ dicitur Phormio: nefas vero iam apud Græcos vel duas sororesduobus fratribus nubere.

Virgines, quæ Faciunt ante nuptias. Cap. III.

NEC poterant Atticæ virgines tradi prius connubio, quàm consecratæ fuissent Dianæ crocota indutæ ἄρκτοι dicebantur, quòd infestam Atticæ placarent Deam, propter vrsam, quam immiserat, à fratribus puellæ à fera occisæ interfectam, vnde fames, luesq; secuta, nec ante depressa, quàm filiam sacrificasset Embulus. Sacrificio quoque aliæ in Græcia Iunonem placabant, Dianam, & Parcas. In Bœotia ad Cnisoessam fontem sacra Eucliæ faciunt, quam alij Dianam credunt, alij Herculis, Myrthæq; filiam esse virginem mortuam: sacra item Veneri Limoniæ apud Hermionios sponsæ. Argiuæ consacrant comæ primitias Mineruæ, Deliæ Hecaergæ, Sicyoniæ, Hygeæ, Megarenses Iphinoe Alcathoi filiæ, quam virginem mortuam dicunt ad eiusq; tumulum inferias mittunt, Troezenię Zonam in Sphæriam Insulam ad Apaturiam Mineruam Aethrę instituto Thesei matris, & comam ad Hippolyti templum. Ante nuptias solebant Heliopolitę in Veneris templo prostare, more sublato à Constantino Principe, Amorrhææ septem diebus in Syria, Armenię in templo Tanaidis Deę in Acilesina: Illyricę vero puellæ, & Thracię virgines passim nubebant postea, sed plerique Thraces cœlibes erant. Cypriæ quęstu

corporis dotem sibi parant, & Lydiæ, quę tamen, & hominibus munera dant, nuptę pudicæ sunt.

Virgines viro vt collocentur. Cap. IIII.

SIGINNORVM fœminę nubunt cum primum norint arte currus agere, Sarmatę, & Iaxamathæ vbi hostem interfeciſſent: contra non vxores prius ducunt Carmani, quàm hostis attulerint Regi caput, qui linguam frustatim conscissam dat pane mistam amicis edendam. Tapyrijs fortioribus virtutis præmium collocantur fœminæ: Cathei Indi, qui Sophitis Regnum incolunt mutuo se diligunt, pulchriores etiam simul mares, fœminasq; iungunt nobilitatis nulla, aut opum habita ratione. Samnites decem præstantes virgines singulis annis dant totidem optimis iuuenibus, plures non nubunt. Indi alijs sponsas emunt bubus: Taxili inopes in foro productas filias volentibus nudas ostendunt, dantq; cui placuerint. Apud Assyrios tribuum magistri singulis annis semel nubiles virgines congregant vno loco, pulcriores præconis voce vendunt, & ea pecunia collocant turpiores maritis, quod & in terra Illyrica olim feciſſe Venetos auctor est Herodotus, & Thraces Pomponius. Apud Sacas Procus cum virgine decertat, victor vxorem habet, victus illi seruit. In Bosphoro Proci conuiuę petunt puellas, quo genere, quaque ipsi virtute sint præferentes spargunt; simul in mensa vinum: in conuiuio quoque Talchlees Libyci se vicissim cauilantur, cui arriserit puella, illi nubit, vt apud Segoregios Ligures cui prębuisset aquam. In Thessalia vxorem ducturi sacrificio facto hibenis tradunt illis ducendum equum armis munitum. Macedones pane gladio diuiso libant, in chęronea sponsos

sos iungebat coniugio Ceriris Sacerdos, Græci ante aras Deorum celebrabant nuptias, genero socer in conuiuio auream phialam tradebat, vt arctiori coniugerentur vinculo, sponsus coronabatur thyrso, sic dicebant nuptialem coronam, ex foliis, quæ σισύμβρια appellat Aristophanes. Athenienses balanis consueuerant prope focum caput sponsi perfundere, numis, leguminibus, caricis, nucibus, id genus alijs, ad significandam fœcunditatem, quomodo, & nouitios accipiebant seruos, & hæc dicebantur κατάχυσματα.

Sponsa cum viro concunbens, & cum pluribus. Cap. IIII.

VIR cum vxore primum concunbit in domo soceri, in India vnguento peructus, quod arboribus fluit, quæ in ripa Hypasidis, Hyphasidisue, vt dicunt Græci, sunt, in Perside degustato malo, vel camelli medulla verno æquinoctio, Athenis cotoneo, Spartæ nocte quadam religione, lecto à pronuba collocata sponsa capillis ad cutim vsque rasis, & virili amictu tecta, quam nec interdiu videt maritus antequàm sit mater, ante thalamum alligato pistillo, adest sponsi amicus fœminas sponsæ clamanti opem laturas, reprimens, adsuntque virgines, quæ ne sponsæ vox audiretur, canebant epithalamium ad tibias duplices alterum vespere, mane alterum, quod διεγερτικὸν dicebatur, & ὄρθριον, illud κατακοιμητικὸν. Virginibus recedentibus claudebatur hostium, hinc mittebat vxor dono marito vestem, quam ἀπαυλιστηρίαν dicunt. Baleares vero nuptiali cœna amicos suscipiunt, qui sponsam omnes ineunt, extremo loco vir. Sic apud Nasamones, & Augilas prima nocte noua nupta singulos admittit conuiuas, & ab eis accipit donum: in Insulis Fortunatis mariti

Regi virgines vxores corrumpendas præbent, & Adyrmachidæ Aphri, Tebethei Indi hospitibus, Volsinienses seruis.

Sponsa viri Domum Petens. Cap. V.

SED apud Græcos vbi ἀπουλισηρίαν sponsa misisset marito, eius inde domum capite obtecto rheda petebat iunctis mulis, vel bubus, in medio erat ipsa, hinc maritus, hinc πάροχος affinitate coniunctus, sponsæ mater ferebat facem, λουτροφόρος genere proximior, vel fœmina, quod polluci placet, aquam ex flumine, Athenis vero primum ex Callirrhoë fonte, mox ex Enneacruno, propter Nymphas, quo nomine Græci vocant sponsas, quòd intelligerent antiqui Nymphis animos qui vt prolem susciperent, mittebantur in corpora. Sponsa Solonis lege phrygetum ferebat, quo siccabant hordeum, aderat ancilla cum cribro industriæ signo, & puer spini folijs, & querneis glandibus opertus coronatusq; panes afferrens, & repetens sæpius ἔφυγον κακὸν, ἄμεινον canebaturq; ὗμὴν ὦ ὑμέναε, ὦ ὑμήν. Is enim Clius, & Magnetis filius cantus inuenisse dicitur in nuptijs. Dicebatur etiam ἐκ κορὶ κορὶ, quę perdicum vox est, quæ tanta religione matrimonij iura seruant, vt altera mortua, superstes vitam omnem viduam degat, quod etiam faciunt cornices, quare & ipsæ inuocabantur in nuptijs concordiæ, vt ait Aelianus, omen, hinc Iuuenalis mordax poeta.

Quæque salutato, inquit, crepitat concordia nido. Iuuenes saltabant tibicine, & citharœdis canentibus atque precibus à Dijs petebant sponsam ita maritus amaret, vt fecerat phrygius pieriam, cuius causa conciliata pax inter Iones, qui Milethum, & Myuntem colebant. Bœotij currus axem proforibus comburebant, vt permanere in-

ire

ro ſponſam debere ſignificarent. Ad generum poſtridiè mittit ſocer puerum candida veſte indutum cum caniſtro, in quo aurum erat, alios, qui pelues ferunt, ſagma, lecticas, pectines, alabaſtros ſcrinia vnguentaq; quæ omnia ἐπαύλια δῶρα dicebantur. Tertio die agebantur ἀναχαλυπτήρια repotia vocant Romani, quo quidē die retecta ſe videndam amicis præbet ſponſa, quo etiam nomine & θεοφάνια dicebantur Proſerpinæ feſta cum Plutoni nupſiſſet, in Sicilia vero ἀνθεστήρια, quibus rapta eſt, & celebrantur prope Syracuſas ad lacum, quem repente eo loco extitiſſe dicebant, quo Pluto abrepta Proſerpina, penetrauit ſub terra qui feſti dies anniuerſarij ſignificantur a Cicerone in Verrem. In Haliarto Bœotiæ ſponſa cum viri domum accederet primitias offerebat ad fontem Hederaceum, quo loco Stratonis, & Calliſthenis amantium manibus miſerè diſcerpta fuerat Ariſtoclia inſigni forma puella: ipſæq; Bœotiæ ſponſæ aſparago coronatæ ducebantur ad virum, quòd aſparagus ſpina quidem ſit, ſed fructu ſuaui, cuiuſcemodi, & matrimonium. Rhodij præconem mittebant, quem ad viri domum ſequeretur ſponſa. Hanc excipiebant Coi mulieri veſte induti, quòd in ea inſula Hercules Meropum vim fugiſſet mulieris veſte tectus, qua poſtmodum ornatus, Meropibus victis; Alciopi filiam vxorem duxit. In Lepta Libyæ poſtridie nuptias ollam mittebat ſponſa ad ſocerum petitum, quam ſe negaret habere, vt ſtatim diſceret æquo animo ſocrus difficultatem perferre.

Vxor repudiatur, alterius datur. Cap. VI.

NON poterant Germani repudiare vxores, repudiabant Iudæi, repudiabant & Romani dote tribus penſionibus reddita. Tapyri vero, qui inter Derbicas, &

& Hyrcanos sunt, vbi treis, quatuorue liberos susceperint, prolis gratia permittebatur fœcundas vxores alijs tradere, idem & Romanis Numæ lege, quomodo multum postea & M. Cato dedit Martiam Oratori Hortensio. Senex maritus Spartę vxorem iubebat admittere iuuenem alium ex quo illa filios susciperet, qui senioris essent.

Romanorum nuptiæ. Cap. VII.

HINC nobis de Romanis dicendum est. Puellæ nubiles, duodecim scilicet annorum, vt probam earum indolem præstare mariti possent, cum Iacones grandiores collocarent ob sobolem firmam procreandam, in templis Deorum excubabant, omen futuri mariti acceptura. Vxorem ducturi iugum subibant, vnde & in Iugario vico colebatur Iuno Iuga, quæ à Dionysio dicitur ζυγία, vt recte credidit M. Antonius Antimachus eruditissimus homo. Latini sponsi quorum genere fuere Romani, versicolori paludamento vtebantur, quod fecere Curiatij, qui pro Albano Imperio pugnarunt cum Horatijs. Ipsi etiam, Græci, & Aethrusci nubentes immolabant porcum: Latinæ nanque mulieres naturam virginum appellant porcum, & Græci χοῖρον. Romuli instituto panis, & aquæ communicatione contrahebantur nuptiæ, quòd sic raptas Sabinas viris ipse collocasset, aqua etiam, & igne, quibus vita constat, & exules propterea interdicuntur. Nam vitæ causa vir est, & fœmina, aqua hæc, ille demonstratur igne. Sedebat sponsa pro festo die (festo enim nubebant viduæ) in pelle lanata, vel ob lanificij curam nobile matronarum opus, vel quòd in pellibus cubarent antiqui, illisq; induerentur. Data dote sponsa viri domum petebat, cælibari hasta, cuspide scilicet lignea, & quæ in corpore gladiatoris stetisset, comebat caput, quòd

Sabinæ

Digitized by Google

Sabinæ iunctæ fuerint Romanis vi, bellumq; propterea gestum: cingulo item cingebatur laneo Herculis nodo ob foecunditatem, hunc nanque septuaginta dicunt fuisse liberorum patrem. Cingulum vir in lecto soluebat. Flammeo Flaminicæ, cum qua vir diuortium facere non poterat, induta lutei scilicet coloris veste, rapiebatur, vt olim Sabinę, ex matris, vel propinquioris fœminę gremio, quinque præferebantur faces ex Aedilium facibus accensæ, quòd id noctu fieret, ex alba spina, quomodo, & apud Sex. Pompeium legendum est quibus vsi sunt pastores in Sabinarum raptu mox ad faces & carpinus recepta, & corylus. Quinq; erant propter Deos, qui inuocabantur in nuptijs Iouē adultū, Iunonē adultā, Venerē, Suadā, & Dianā inuocabatur etiam Hymenæus, & omnis gratia Thalassius qui fuerat præclarissimus Dux Romuli tempore, pulchramq; virginē recepit. Mercurius quoq; ex disciplina Aegyptiorū propter caduceū, in quo dracones duo erant, mas, & fœmina iuncti. Sponsam tenebant pueri duo patrimi, matrimiq; alius facem præferebat, quam raperent amici, ne extincta nubentium mortem portenderet. Habebat sub amiculo sponsa coronam ex herbis, verbenis, & floribus à se lectis; ferebatur, & cumera, siue, vt vocant, alij cumerum, vimineum vas opertum cum sponsæ vtensilibus, colus item compta, & fusus cum stamine, quòd Tanaquilis lanam, colum, & fusum videri dicerent in Virilis Fortunæ templo ab Anco Rege condito. Farreum etiam libi genus ex farre factum, quo tantum populus Romanus trecenis annis vixit. Postes mariti vittis laneis ornatas vngebat sponsa oleo, vel adipe suillo, aut lupino ad propulsandā mala medicamenta, limen transcendebat, dicebatq; Vbi tu Caius, ego Caia, vt vxoris, & viri omnia communia esse ostenderet, a pronubis, quæ nupsissent semel, excepta fescennini versus canebantur obscenitate pleni, & maritus pueris spargebat nuces, vel ominis gratia, quòd id Iouis

tutella

tutella sint, vel quòd earum fœtus puluinato calice, & ligneo putamine munitus, vel quòd contemneret omnia acta puerila, nam & concubini pueri vbi a turpi Venere liberabantur, spargebant nuces. Treis asses Romuli lege sponsa ferebat, alterum, quem manu tenens dabat marito, atque si eum emeret, quæ per coemptionem dicebantur nuptiæ, & vir ipse pater familias; vxor mater: alterum in pede, quem locabat in focolarium: tertio in sacciperio maiori scilicet crumena, resonabat in compito, hoc est quadriuio vicinali. Sternabatur lectus toga, sponsa adhibat genium viri, a pronubisq; colocabatur in lecto, papaueris succo, lacte, & melle misto ad prouocandum somnium sumpto, quo vsa dicitur venus, & in tenebris cum sponso iungebatur.

Quæ in natali Filiorum seruentur, exponantur, nomen filijs quando imponitur, nataliſq; celebritas. Cap. VIII.

NATOS postea infantes obstetrices in terra ponunt Opim implorantes, non enim credunt vocem ante habere puerum, quàm communem omnium parentem terram tetigisset, Herculisq; mensura sternebant lectum, quem quidem Herculem quatuor cubitos, & pedem excessisse scripsit Heraclides ponticus. Celtæ quo nomine Græci & Germanos, & Gallos intelligebant, scutis impositos in Rheno collocabant nuper natos filios, qui si vndarum vim euitassent, habebantur legitimi, oppressi, ex adulterio concepti, facto inde prouerbio κελτικὴ ῥίψις δι-καιοτικώτερον Barbari gelido amne abluunt filios, oleo vngunt Romani, mero lauant Lacones afferuntq; Leschen, loci

loci nomen, & inſpiciunt Tribules Iudices ſeniores, qui ſi & pulchros, & fortes futuros dixerint infantes, aluntur, ſin deformes, & ſegnes in Apotheis exponuntur ſecus Taygetum præcipiti loco: hoc modo & Indi, qui Cardei dicuntur, ſophitiſq; Regnum incolunt iudicatos filios, vel alunt, vel perdunt: Athenienſes ſpurios exponunt loco, qui Cynos arges dicitur, Herculi ex adulterio genito conſecrato. Exponunt vero nuſquàm Thebani, ſed qui alere aut nolunt, aut nequeunt faſcijs deuinctos deferunt ad magiſtratum, qui pueros paruo vendunt, vt alantur, & ſeruiant. Genas Hunni candenti ferro ſecant, quare imberbes ſunt ferè omnes. Trausij in Thracia, Cæſiæ, vel Heniochi, & Barbari aliqui circa Caucaſum montem natos filios lugent, calamitates, quæ vitam conſequantur, recenſentes, gaudio vita functos proſequuntur incommoda referentes, quæ cum vita ſimul effugerint. Tibareni poſt vxorum partum, tanquàm puerperæ eſſent, in lecto cubant, quibus vxores miniſtrant quod; & Cantabri faciebant in Hiſpania. Aegyptiæ fœminæ ſtatim a partu è lecto ſurgunt ad domeſtica munia obeunda. Scritifini gens in Inſula Thule infantes editos pelle inuolutos arbori ſuſpendunt, & alunt ferarum cerebro. Græci in vannos deponebant frugalitatis omine: quintoq; die poſt partum abluebant nutrices manus, curſimq; ferebant ad focum infantes, qui dies vocabatur ἀμφιδρόμια & munera mittebant propinqui polypos, atq; ſepias piſces. Septimo die imponebant illis nomen, quod ſcripſit Ariſtoteles, Athenis verò decimo facto ſacrificio, & acceptis conuiuio amicis, propinquiſq; Quare & poſtea natales celebrantes Iunonẽ colebant; adolebant Dijs thus, ardente in domo igne, conuiuio excipiebant amicos (vt & Perſæ) ad tibiam ducebant choreas, & talis ludebant, quæ & fecere Romani, qui tamen fœminis octauo die, qui luſtricus vocatur, nono maribus nomen dabant, & lacte nutriendos deferebant in

forum olitorium ad columnam lactariam: in Germania verò matres filios nutriunt. Athenis nutrices pueros afferebant ad Dianam Corythalliam, cui & infantium vestes, quorum Dea habere curam putabatur, suspendebant, & Zonas, quas primum puerperæ soluebant, quadragesimo die τεσσαρακοστὸν celebrant, cum mater primum sacra addit, à quibus quadraginta ante partum diebus, totidemq; post, abstinet, quòd & illi, & filio pericula immineant quamplurima.

Nominum Ratio Cap. IX.

SVPERVACVVM verò non crediderim, si quæ ex eruditissimorum auctorum lectione de nominum ratione obseruaui, paucis recensserem. Olim Romani vno tantum nomine vocabantur, duobus deinde latinorum exemplo, nec multo post assumpsere tertium Græcorum, & Barbarorum more, quod scripsit Claudius Aruntius. Apud eos enim, & Romanos liberi tria nomina habebant, serui vnum. Primum, quod dicitur prænomen, proprium erat singulis hominibus, & patris prænomen sumebat natu maior filius, marestamen non antequàm virilem togam acciperent, fœminæ cum nupsissent, vt & Probus tradit, & Valerius Maximus in decimo, quo libro, licet ab Iulio paride in breuiarium redacto, agit de Romanorum nominibus. Alterum erat nomen gentis, & ducebatur à generis auctore, vt ab Iulo gens Iulia, à Dardano Dardania, ab Aeaco Aeacia: quandoq; ab oppidi nomine, quod sæpius postea factum est: quomodo scripsit Dionysius Lucumonem Romam profectum prænomine vsum Lucij, Tarquinij nomine à Tarquinijs Aethruscorum oppido, vbi fuerat educatus. Omnes ex eadem gente vocabantur hoc nomine, fœminæ etiam, quæ, si duę, aut plures fuissent, habuisse prænomen ex ordine nascendi credidit

Paulus

Digitized by Google

Paulus Manutius vir doctiſſimus Venetus, quare apud Tranquillum, & Octauiam maiorem, & Octauiam minorem, apud Ciceronem Tertiam Aemyliam, Quartam, & Quintam Claudiam eſſe dicit. Legimus tamen C. Cæcilium Tarquinij vxorem, & apud Valerium ipſum fœminarum prænomina Rutiliam, Ceſeliam, Radacillam, Murculam, Burram a colore, Luciam, Publiam, Numeriam, quorum aliqua ſunt nomina. Tertium erat cognomen à rebus geſtis Soteri Callinicus. Alexander, opem enim attulit patriæ Achille perempto, Torquanus: à forma Gryphus, Phyſcon, Sylla, Cicero, niſi à ciceribus inuentis ſit: à fortuna Eudæmon, Poliorcetes, Priamus, nam à ſorore emptus fuerat capto Ilio ab Hercule, Vopiſcus, Poſthumus: à virtute Euergetes, Philadelphus, cognomina enim habuiſſe Aegyptios teſtatur Pauſanias, Diogenes, Magnus, Sophus, quo nomine dictus eſt P. Sempronius: quandoq; etiam mordacitatis cauſa, vt Antigonus dictus eſt Doſon, quòd multa promitteret, præſtaret pauca, Ptolemæus Lamyrus, quòd is eſſet: Metelus Vittatus, fortaſſe is eſt, qui à Latinis L. Metellus Diadema dicitur, quòd vltus in fronte habuiſſet vitta colligatum: hoc tamen mihi videtur fuiſſe agnomen. Tertium hoc nomen, ſunt qui credant eſſe ſingulorum proprium. Ego verò, cum omnes ex eadem familia eodem nomine apellari videam, putarim additum vt diſcernerentur familiæ, quæ eadem origine ſunt, cum tanquam in colonias deducuntur: qua ratione ſæpius legimus Iulios Tullos, Iulios Cæſares, Tullios Cicerones, Tullios Decolas: Cornelios Syllas, Cornelios Scipiones, Cornelios Cethegas, Papyrios Mugilanos, Papyrios Craſſos, Papyrios Curſores, Papyrios Maſſones, Carbones Turdos, Calpurnios Piſones, Beſtias Bibulos, & ni fallor, Calpurnios etiam Marios: nam C. Marij filiam,, quam ipſe in bello Cimbrico Manibus immolauerit, Dorotheus in

quarto rerum italicarum appellat Calpurnium. Sic legimus multos alios eodem nomine, diuerso cognomine, vt & Spartæ, cum Aristodemus Herculis genere proclem, & Eurysthenem genuisset, Heraclidæ quidem omnes, sed illius posteri Eurypontiæ ab Euriponte proclis nepote dicti sunt, huius Agidæ ab Eurysthenis filio Agide. Agnomen, quod etiam cognomen à Cicerone, Sallustio, & Liuio dicitur accessit homini vni tantum ex rebus gestis, alioue casu, vt Aphricanus, qui primus Imperator nomine abs se victæ gentis nobilitatus est; Creticus, Caligula. Cum apud auctores nomen tantùm legimus, putant Grammatici cognomen esse: cum duo, prænomen, & cognomen. Ciues enim Romani ostendebantur tribus illis nominibus, tribu etiam, sed cognomen postponitur tribui: Sic apud Ciceronem est Ser. Sulpitius Q. F. Limonia Rufus. Et qui ciuitate Romana donabantur; prænomen, nomenq; alicuius familiæ Romanæ accipiebant, cognominis loco vtebantur nomine, quo antea appellabantur: sic apud Ciceronem legimus C. Clodium Archagathum, C. Clodium Phisonem, P. Cornelium Demetrium, P. Cornelium Megam Siculos homines, A. Licinium, Aristotelem Melitensem, A. Licinium Archiam Antiochenum. Horum libri, si Romani ciues esse voluissent, lege cogebantur patres ex bonorum parte hæredes facere alios, vel principem: quam legem antiquauit Antoninus Pius. Hoc nominum ordine vsos Græcos, & Barbaros, præter Aruntium, quem diximus, tradunt Plutarchus, Appianus, Ibicus Græci, & alij. Nam Achilles Podarces, Alexander, Vlysses prænomen est, nomen Pelides, Dardanius, quare, & Maro Aeneam appellauit Dardanum, vel Homerum secutus, vel tanquam Dardanium, vt interpretatur Nonius, Arcisiades ab Arcisio patre Laertis: cognomen Achillis videtur apud Homerum πόδας, vel ταχὺς, sed sic etiam Aiacem Oileum vocat: cognomen

gnomen Podarcis est Priamus, Alexandri Paris, Vlyssis δυσγενὴς, & eius agnomen πολυμηχανὴς, vel πολύπους, quanquam hæc perperam legantur apud Diomedem, qui ex Ibico sumpsit, Agamestor tamen Pharsalius in Epitalamio Thetidis Achillis nomen fuisse significat Pyrisium, vel Pyrisoon, cognomen Achillem propter labrum, χεῖλος scilicet, quod cum filium igne reddere immortalem mater voluisset, cineri inhæserit. Crederem igitur generis auctores, & nouos homines vno nomine appellari Herculem, peleum, Dardanum, Iulum: posteros duobus, altero proprio, altero patris, quod nomen familiæ esset Heraclidas, Pelides, Dardanios, Iulios, dignosci tertio familias, quartum hominis vnius esse. Sed apud Homerum, qui digniores alloquuntur, eos patris nomine, generisq; vocant. Achillem enim, Aiacem, Nestorem dicunt Pelidem, Telamoniadem, Neleidem. Duobus item, tribusq; nominibus vsos Iudæos scribit Origines. Nam & Salomonem dictum ait Didoa, & Sedeciam Ioacim, sic Oziam Azariam etiam, Tatthæum quoque appellari a Marco, Lebaum à Matthæo, Iudam à Luca, Saulum item Paulum, & Simonem Petrum. Lycij, Xanthios vocat Nymphis in quarto de Heraclea, nomen, & familiam à matribus habebant, quòd fœminæ Lycijs placasset Bellerophontem infestum, Troglodytæ vtebantur bestiarum nominibus, quibus soli ex omnibus nationibus Atlantes in Aphrica carent.

Qui Filiorum pudenda circuncidebant. Cap. X.

PVDENDA puerorum circuncidunt Iudæi, octauo die, circuncidunt etiam Phœnices, Sarraceni, Aethiopes, Troglodytæ, Macrones, qui hoc didicerunt à Col;

Colchis, & qui Thermodoontem incolunt, & parthenium, Creophagi etiam fœminarum, Aegyptij quartodecimo anno, tertiodecimo Arabes Ismahelem gentis auctorem imitati.

Filios qui non videant: perſarum, & Laconum puerorum inſtitutio, quibuſq; locis pueri amentur. Cap. XI.

GALLI liberos, antequàm adoleuerint, ad ſe venire non permittunt, Perſæ patres non eos ante quadriennium vident, qui nec in conſpectu matris ſedent, niſi illa permittente. Docentur vſque ad XVII. ætatis annum mores optimos, iuſtitiam, temperantiam, mittereq; ſagittas: inde ſeptem, vel octo annis, nam à Strabone differt Xenophon, ſeſe in armis, atque venatione exercent, mox milites ſunt vſque ad quinquageſimum annum, quo redacti inter ſeniores domi manent Remp. adminiſtrantes: palam ſpuere, vngi, meire, aut huiuſcemodi alia facere dedecus eſt. Lacædemonij ſeptennes diuidunt in claſſes, quibus fortior, prudentiorq; præeſt, qui dicitur ἆρχος. is pueros in furto deprehenſos (ſparthæ enim pueris licet furto obſonia parare) caſtigat canere iubet alios laudes eorum, qui fortiter pro Sparta occubuerint, alios eorum vituperationes, qui id recuſaſſent, propoſitas alios quæſtiones ſoluere in gymnaſijſq; exercerí, iudicra curabant quinq; Bidiœi. Litteras diſcebant pro neceſſitate, ſed eorum diſciplina tolerantia laborum erat & arma: Natu maioribus cedunt deuia, & aſſurgunt, more ſumpto ab Aegyptijs: Omnibus, qui iuſſerint, obtemperant, audiunt omnes, qui reprehenderint, amantes maximè,

Digitized by Google

ximè. Post duodecimum annum nudis pedibus incedunt vnico tantum pallio singulis annis contenti, in thoris harundinaceis cubant, decimo quoq; die ostendunt se Ephoris, qui cædi iubebant, qui molliores pinguioresq; essent. Post pubertatem dicuntur Sphærei, & suo arbitratu viuunt: non descendunt in forum ante vigesimum annum, sed peragebant necessaria propinquorum opera, & amantium. Puerorum nanque amores laudabantur Spartæ, Athenis, Minois legibus in Creta, vbi amantes pueros rapiebant, triduum antea rapina prædicta: muneribus scilicet puerum allectum conuiuio accipiebant cum socijs, & donis cinctum remittebant: is veste induebatur accepta ab amante, qui quidem φιλήτωρ dicebatur, & puer ipse κλεινός, ac si amantem diceremus nos, & inclitum, præclarumq; Apud Elienses, & Bœotios, Thebanis maximè permittebantur concubitus cum pueris, & apud Troianos, & Persas, qui hoc didicere à Græcis: in Gallia pueri olim viris publice nubebant. Itali quoque sectabantur puerorum amores, sed lege prohibiti, licebat pueros, qui apud mangones erant, soluto precio, quod moderatus est, Domitianos inire, seruos etiam forma insignes, qua causa creditum ingenuos pueros bullas habuisse, vt dignoscerentur à seruis. In Aphrica Tunete solenni die extra vrbem quodam loco conuenit omnis ferè multitudo ad Venerem cum pueris exercendam, puerorum amantes Græci postes floribus ornabant, & corollis, fidemq; inter se dabant ad Iolai sepulchrum, quod Thebis erat, quoniam Iolaus ab Hercule amatus, secum fuerit in certaminibus auriculisq; apprehensis eos osculabantur: quod osculum dicitur ab Aenico χύτρα de quo & Tibullus.

Oscula compressis auribus eripiet.

Apud Argiuos verò honesti adolescentes cum Clypeo pompam ducebant magno castitatis honore.

Græ-

Græcorum Puerorum Inſtitutio: Comæ, Barbæq; depoſitio. Cap. XII.

ALij Græci iuuenes, qui Spartani non eſſent, nobilitate, & dignitate illuſtres liberalibus diſciplinis omnibus inſtruebantur, & Macedones, qui Philippi inſtituto Regis miniſterio tradebantur omneſq; in ſingulis Græciæ vrbibus ab vno præceptore, qui & comes erat, quod & in Italia fecere Faliſci. Athenis vbi puberes facti eſſent, publicè illis oſtendebantur artium omnium inſtrumenta, quæ quis apprehendiſſet, illam artem, tanquam inuitante natura, exercebat. Mox primam barbam, comamq; deponebant, id faciebant Romani altero & vigeſimo anno conuiuio acceptis amicis, vim menſura quadam in templum Herculis, illatam, propinantes conuenientibus, quæ dicebatur οἱ πυρία. plures tondebant primam comam prope fluminibus, alij adducebantur in Delum, primitiæ enim iſtæ fluminibus, vel Apollini conſecrabantur, quod corporea conſtent incrementa ex humore, & caliditate: capillus ipſi Deo dicatus appellatur ab Aeſchylo θρεπτήριος Cutti verò non ante barbam, crinem, & ferreum annulum deponebant, quàm hoſtem interfeciſſent.

Indorum, Arcadum, Aliorum, Romanorumq; puerorum inſtitutio. Cap. XIII.

INdi pueri cibum ſumpturi adibant Gymnoſophiſtas, & referebant eo die, quę bene feciſſent: qui nihil haberet, quod diceret, impranſus ad opus mittebatur. Arcades ad trigeſimum vſque annum Muſicæ operam dabant, canebant pueri hymnos Deorum laudes, & Heroum continentes, grandiores Philoxeni, & Thimotei diſciplinis inſtituti

Digitized by Google

ſtituti annuos ludos libero celebrabant cum cantu, & choreis, iuuenes ludos viriles, omnino apud illos turpe ignorare muſicam. Parthi vero in primis docebantur arcus tendere, Germani haſtam vibrare, Lucani venari: viuebant enim venatu in ſyluis citra ſeruorum operam: Romani equitare, & pugnare cominus: ij olim probatæ anus curæ demandabantur, quæ eorum verba, & luſus obſeruaret, ne præter honeſtatem aliquid agerent. Poſtea vero ancillæ Græcę, & Seruo Pedagogo filiorum cura demandata, quare mores corrupti putantur: docebantur in ludis litterarijs, qui quondam in foro erant, & ſimul virgines: nam Appius Virginiæ amore captus dicitur, cum legentem vidiſſet in ludo. Minerual dabatur præceptori Quinquatrijs, Saturnalibus, & Calendis. Maſſiliamq; mittebantur in Galliam, Græcam vrbem Phocenſium ad ſapientiæ præcepta perdiſcenda. Adulti bullis penatibus conſecratis, repoſita prætexta XVII. ætatis anno in templo Iouis Capitolini liberalibus, die libero patri ſacro XVI. Kal. Aprilis togam ſumebant, & petebant cum amicis Deorum templa. Qui futuri Oratores erant, a patre, vel propinquis ducebantur ad eum Oratorem, qui princeps in foro eſſet, quem iuuenes obſeruarent, ab eoq; diſcerent eloquentiã. Primum dicturi, in forum producebantur à conſulari viro, vt ab Auguſto legimus C. & L. filios eorum Tyrocinio in forum productos. Principum liberi, & alij eiuſdem ætatis nobiles ſedentes veſcebantur in propinquorum conſpectu propria, & partiore menſa. Ex publico trigemini vſque ad pubertatem alebantur, propter Horatios. qui cum Curicitijs pugnarunt pro Imperio Romano. inde ius trium liberorum inſtitutum.

Digitized by Google

Virginum, Mulierumque Loca, Opera, impudicitiæ meretrices, mulieres facie obtecta. Cap. XIIII.

VIrgines verò in ædium seceſſu verſabantur apud Græcos, vnde non egrederentur niſi matres, aut cuſtodis iuſſu. Romanæ matronæ operas in atrijs agebant, in Iberia Iudicibus quotannis quicquid texuerint, oſtendunt, quæ plus texuiſſet, maximo afficiebantur honore. Perſis mulieribus turpe lanæ manum admouere, quod Romanis decus, hæ vero nec coquunt, nec noliunt. Apud Iaxamathas eaſdem arces fœminæ, quas viri, exercent, adeo vt ne militia quidem vacent, laqueis hoſtes interceptos trahendo conficiunt. Gretulæ, Grelonias videtur appellaſſe Clemens colunt agros, id & Threſſæ faciunt, oueſq; cuſtodiunt, vt Troglodytarum fœminæ, ædificant, vagantur, homines, aduenæ maximè cum illis coeunt, verſantur in negotijs Aegyptiæ, domus curam gerunt viri. Romanæ vero, abſente viro, nec de rebus neceſſarijs loquebantur. Sarmatæ equos tractant, & arma: in Bactris, atque Suſis equitant, vnguentis vnguntur, & veniunt in ſeruorum: Hoſpitum, aliorumq; complexus: Proſtam Rheginæ die Veneri ſacro ex Leophrenis Tyranni voto in bello aduerſus Locrenſes, ſemel in vita Veneris fano Babylonię, Corintho vltra mille virgines. Gindanorum fœminæ tot fimbrias ex pelle ferunt, cum quot hominibus habuerint conſuetudinem, decus eſt plures habere, vt apud Sthymphalos cum pluribus viris commiſceri, & apud Indos, elephanto accepto, Syracuſis etiam. Non enim vir, aut mulier in ea vrbe precioſius exornantur, qui non fatererentur ſe ſtuprum paſſos. Romæ vero turpe corpore quæſtum facere, licentiam ſtupri apud Aediles meretrices vulgabant, togatæ erant, ſuccinctiq; veſte, quod ex Aphranio Togatarum

Digitized by Google

tarum ſcriptore patet, mutatum nomen inſcribebant cellæ in lupanari, vbi proſtabant, vt in Attica in Sciro: concubitus precium quadrans erat, quare, & Quadrantaria fortaſſe à Cicerone dicta eſt Clodia, & a Cæcilio, vt eſt apud Fabium, Clytemneſtra. Olim non dabant fœminis pecuniam, ſed oues, equos, boueſq; quos petijſſent, quoniam antiquorum opes in armentis erant. Athenis meretrices templis arcebantur, nullas in vrbem admittebant Cij, nec tibicines, in qua Inſula nunquam adulterium, aut vetitos conoubitus commiſſos dicunt, nec apud Seras, vbi non meretrices ſunt, non fures. ſic in Aethiopia, non homicidæ. Contra Indi adulterijs operam dant, & cædibus, abſtinent à mendacio, vt & Perſæ, qui pellices, & vxores, quas peruices adeunt, domi occluſas tenent, in itinere opertis vehiculis ferunt. Byzantiæ noctu tantum domo egrediuntur, equo vectæ, facie obtecta, vt & ſunt Carthaginenſes, & in Arabia vno excepto oculo, facie item velata nuptæ fœminæ Spartæ, aperta virgines, quod ipſæ virum quærant: velata etiam Chalcedonia, quam tamen denudabant dimidia parte Magiſtratibus, aut externis occurrentes, quod Chalcedonijs à Bithynis victis externis nupſiſſent. Thraces ſtigmate notant mulieres, quod vatem olim Orphea interfeciſſet, qui eis ſpretis puerorum ſectabatur amores.

Nobilitatis ſignum Ephippia equorum Cap. XV.

PVNCTIS etiam notabant ipſi pueros, hoc enim apud eos nobilitatis ſignum eſt, vt apud Romanos imaginum ius, quod non habebant noui homines niſi in Aedilitate, & damnati amittebant: nigros etiam calceos cum luna nobiles ipſi, ſiue vt credidit Caſtor Deiotari Re-

gis nepos, quòd in globo Lunæ essent Elysij campi, beatorum loca, siue quòd antiquissimo genere ipsi essent, quando Euander ex Arcadia venerit, vbi fuisse dicuntur homines ante Lunam, & προσέληνοι Athenienses ea causa aureas gestabant cicadas capite, tanquàm primi hominum fuissent terra geniti, quos tamen vocat Theopompus Aegyptiorum colonos: sic Garamantes, & ipsi capite ferebant pennas, quòd volasset fermè excreta in Aphricam Acacalis Minois filia, Amphithoontis mater, qui dicitur Garamas, Nasamonis pater ex Tritodine Nympha, vnde & Garamantes, & Nasamones fuere. Apud Persas Cyri lege nobiles equo vehebantur, pedibus enim ingredi seruorum erat, prohibitumq; nobilioribus, & turpe apud Halanos: equis ephippia ea apponebant, quibus iam vtuntur equorum domitores, absq; annulis ferreis, quibus ipsi imponimus pedes. Apud Aegyptios, qui nubilis est annulo, torque, & purpura à Rege donatus curru circunducitur per vrbem clamante præcone nobilem illum esse, quod scriptum est apud Iosephum, sic enim dicitur ab Eusebio ὑόσηπος scilicet ὑόσηππος vero à Lycophronis interprete Isacio. Apud alios aurum auriculis gestare nobilitatis signum erat, seruitutis stigmate, punctisq; notari.

Serui quomodo libertate donentur. Cap. XVI.

AT Scythę seruis exculpunt oculos, ne lacequinium, quod pro vino habent, biberent. Lacedemonijs certas plagas vel inueneritis quotanis infigebant Elotis, ne deteriores fierem, quorum opera liberi ormes, vt & equorum vtebantur. Nam Spartani, Indiq; omnes ingenui erant, serui externi, & apud Iudæos ex Chananæis, quo nomine vocabantur gentes Palestinæ omnes. Phryges

ges filios etiam vendunt, vt seruiant. Nulla olim erant seruitia, agros liberi colebant, & apud Nabataeos consanguinei inuicem sibi ministrabant, quare & ἀνδισήρια celebrantur Athenis eo mense, qui ἀνδιστηριῶν dicitur, quibus cum dominis ab opere liberi sedebant ad mensam serui, qui in Creta Hermeis festis liberi erant apud Babylonios in Saceis imperabant quinque diebus liberis. Apud Thessalos Pelorijs ministrabant illis domini, more à Pelasgo Rege sumpto, qui cum a Pelore seruo accepisset terræmotu Peneum fluuium erupisse, parata mensa ministrauit seruo, Romæ. Id Augusti liberi erant, & in Saturnalibus, quibus ante, quàm domini, cœnabant pileos sumebant tanquam liberti. Qui enim donabantur libertate capite raso in templo Feroniæ Libertorum Deæ sumebant pileum, spectatæ virtutis insigne, vnde & serui aliqui propter virtutem pileati vendebantur, siue propter Dioscuros, qui primum Soteres a Menestheo dicti sunt, cui, Thesei filijs expulsis, Regnum dederant, & pileati sunt, quando etiam vocantur a docto Catullo Libertis, festucas tenues inijciebant domini, dextraq; comprehensos circumagebant, quo eos sui esse iuris ostenderent, Athenis ingrati in seruitutem reuocabantur, Massiliq; etiam, sed tertio tantum, quod & D. Claudius Romanis licere voluit. In Lybia Δυλοντπόλιν scribit Hecathœus vrbem esse, in qua seruus, qui intulisset lapidem, liber erat, aliam πυρδυλον in qua omnes serui erant, ingenuus vnus tantum. Qui se alicuius seruum fateretur, terram illi, & aquam præbebat, rerum scilicet omnium potestatem, illis enim omnia fiunt: propterea misit in Græciam Xerxes legatos terram, & aquam petitum. Romæ trans mare adductis seruis, eorum pedes creta notabant, scriptis etiam monstrabant qua arte præstarent: nam plerunque vendebantur bello capti, & hi sub hasta, & coronati. Dominorum indignationem placabant ad monumenta parentum, & statuas fu-

fugientes, qua causa simulachra coli cæpta scripsit Diophantes.

Seruorum nomina comam qui alunt, tondantùe. Cap. XVII.

ATHENIS serui vocabantur nomine gentis, ex qua essent, Syrus, Geta, Dauus à Dais in Margiana populis, vel nominibus, quæ in prouincijs, vnde essent, magis in vsu fuissent, sic phryges dicebantur Manes, & Midæ Paphlagones Tibici, Harmodij verò, aut Aristogitonis nomine nemo vocabatur, qui Hipparchum Hippiæ fratrem interfecere. Nemo etiam apud Græcos comam alebat, libertatis enim signum apud eos hoc est, & apud Hispanos, Germanos etiam, & Francorum Reges, qui sunt in Germania, Ansiburij, Angriuarijq; dicebantur, nunquam abscindebant comam. Persæ quoque alunt, & Parthi, qui capillos spargunt, quod & alij facere, vel mulierum more componentes; hæ nanque apud Homerum eos vngunt, vt, & corpus, reticuloq; candido tegunt, postea alieno crine, προκόμιον dicunt Græci, in capitis vertice turrim fecere; virgines cogebant nodo, Hispanæ aliquæ circumponunt stilo pedali, quos atro pileo tegunt. Spargunt, & Scythæ capillos flauo colore tinctos. Thraces in frontem, Euboici homines in terga demittunt, qua coma dicitur à Lycophrone Hectorea; Germani, Sueui maximè, nodo colligunt, nodo etiam a tergo Aegyptij pueri ingenui, quod & in Græcia seruos fecisse legi apud vnum Lucianum. Pallene pago in Attica decus, vel senioribus nutrire comam, redimereq; reticulo, Mauris cincinnis exornare: olim Argiui capillati erant, tonsi Spartani, qui vbi eos prælio vicissent, aluere comam,

Digitized by Google

comam, depoſuere Argiui: aluiſſe tamen primus apud Spartanos dicitur Leonidas Rex, quòd ſic aſpectu terribilis videretur hoſtibus, amicis vero mitis, ſimulque aluere Thurij, Tarentini, Mileſij, & alij, quibus Laconia inſtituta placebant. Britanni corpus omne radunt, præter caput, & Labrum ſuperius, Indi mentum intonſum, vt Græci, barba tincta, intonſum etiam caput, ſic Aſſyrij, hirtis comis Mardi in Perſide, Machlyes anteriorem capitis partem radunt, & Nomades, qui Tartari ſunt, barbam etiam, præter labrum ſuperius, vt Turcæ: poſteriorem capitis partem radunt Longobardi, Anſes, & Hiſpanæ mulieres quædam, ſiniſtram Maxyes, Macæ verticem, & vtrinque partes inferiores, in medio capillos habent: Abantes pugnaces homines, & ipſi anteriorem, ne ſcilicet capillis in bello ab hoſtibus caperentur, quæ tonſura dicitur Theſeis à Theſeo, hoc modo in Delo detonſo. Poſtea breuibus capillis vſi ſunt viri, quos, & barbam nutriebant in mœrore, aſperioris enim vitæ ſignum eſt, quare bene capillati erant philoſophi, & vates, barbati etiam: capillati, & Bœotum Magiſtratus, cum corona, & armis inſtructi: in Creta vero deponebant Magiſtratus comam.

Artifices, quibus aliqui delectentur maximè, permutatio, pecunia antiquorum. Cap. XVIII.

CAVTVM eſt præterea perpetuo edicto, vt ſeruitia picturam docerentur, aut toreuticem. Apud Thebanos vero cogebantur pictores, & plaſta pulchrius effingere imagines, meliuſq; quàm exemplaria eſſent, more

Digitized by Google

poetarum. In Aegypto nil noui pingere poterant, apud perſas à Regibus tantum interfectis feras. Scribebantq; in ſuis operibus pictores χαιροληγότατε, eius ſcilicet, qui pinxiſſet, ſtatuarij eius, qui feciſſet, hoc modo ποιεῖ πολύκλειτος ἐξεμίδας, vel alius. Apud Aegyptios, Perſas, Scitas, Lydos, Græcos, Corinthios maximi artifices habebantur ignobiles, generoſi, qui in nullis arcibus verſarentur militiæ cauſa, quod & Aegiptiorum exemplo credunt Lacedemonij, apud quos militiam tantum colunt liberi Lycurgi legibus, artes alias omnes ſerui, præter quàm vnguentariam, quam vrbe expulerunt, quòd oleum diſperderet: turpe Romanis popinam, & artem manibus facere, in Ibernia rapto pulchrum viuere, pulchrum & in Thracia, otiari etiam, deformis agricultura: apud Indos duas artes exercet nemo, nemo apud Vxios agriculturam, paſtores enim ſunt. Arachoſij docti ab Alexandro colunt agros, agros, & Græci, ſed mulis arant. Arabes eaſdem artes ſequuntur; quas parentes: qui artem omittebāt; Deo artis præſidi inſtrumenta ſuſpendebant. Germani in otio, venatione, & bello verſantur, Cretenſes in venatione quæ omittuntur, ſi fera in fluuium ſe deiecerit: quod cæpiſſent antiqui omnibus impartiebant, dentes, ferarumq; cornua, & pelles in templis ſuſpendebant. Sybaritæ in luxu viuunt, & Lydi ſtupra etiam inferentes, patienteſq; ac ſi omnibus ſeparatim ineſſent, non permixtæ, parentum ſeurinis vires, qua cauſa redidit Parmenides fieri μαλθακὸς. Iones choreis gaudent, Partiq; ad tibiam, fiſtulam, tympanum tripudia ducentes Antiocheni Syri ſpectaculis, Babilonii, & Leontini Siculi ebrietatem Byzantij, qui ea cauſa hoſpitibus domos relinquunt, & vxores, vt in popinis, ipſi verſentur: his omnibus Vandili, bibacitate Perſæ, gloriæq; ducunt non inebriari, Tibareni iocis, Phæſtii etiam, & ſcemmantibus, ad quæ proferenda ſe a pueritia exercent; Cilices ieiunijs Neruij Belgæ frugalitate

galitate, nullus ad eos aditus, nihil patiuntur vini reliquarumq; rerum ad luxum pertinentium inferiri: frugaliſſimi etiam ſenes in Aſia alios fugiunt homines rerum prætia oculis æſtimant: fila enim, quæ ex arboribus, vermiculiſq; colligunt, vendunt alijs rebus permutantes, vt ſolebant antiqui ante pecuniarum vſum, nam & Homerus Græcos accepiſſe vinum tradit ære, ferro, & hominibus datis, qua rerum permutatione Pauſaniæ, qui Græciam deſcripſit temporibus, Indi vtebantur, numos enim non habebant, & ſi auro, & ære abundet maximè regio: Numorum inde loco fuere obeliſci ferrei, æneiq; quare, & oboli nomen eſt: primumq; pecuniam ſignarunt in Græcia Aeginetę, Saturnus in Italia: Britanni numo æreo, & annulo ferreo vtuntur, Syracuſani ſtanneo numo, Lacedemonij coriaceo, inde ferreo à Licurgo inſtituto pondere minæ Egineæ: Indi aliqui trans Gangem iam mori cortice, alij glebis aureis, coralio quidam, nonnulli ſale, antea aurichalco, & ære, ære Aethiopes, quod apud eos precioſiſſimum eſt, cum auro propterea fontes vinciant: aurum vero Solidefodiunt homines Babytaces oppidi ad Tigrim.

Nudi qui ſint, aliorum veſtes, & Romanorum annulos qui ferrent.

Cap. XIX.

ILLIS vero, quæ Seres legunt, filis, Sericæ veſtes fiunt delicatorum olim hominum, quibus, & Vandili vtebantur, & Seres ipſi: has ex floribus propterea appellauit Dionyſius Apher qui ſcripſit περιήγησιν, non enim habent oues Meroitæ ad Nilum nudi ferè ſunt, & Iſmahelitæ, qui Arabes ſunt, pallium tantum ferunt, & caligas, caput vittis circundant, cætera nudi, nudi & Gamphaſantes in Aphrica, & Ethiopes aliqui, & Britanni qui ferro ventrem; ceruicemq; cingunt & corpus inficiunt

glasto cęruleo colore animalium formis, cęruleo etiam Agathyrsi, nimio Maxyes, & Zigantes Aphri, Sesamo Assyrij, anthemidis flore pectora, & terga Mosynœci, Libycæ gentes decocto nardi celtici. Apud Lydos vero, & barbaros omnes ferè alios nudum conspici probrum erat. Britanni interiores pellibus vestiuntur, & Aphri paupere s, ditiores enim sagis vtuntur: pellibus Fenni, Sarmatę, Sueui, Germani alij, & Sibæsi Indi, magna corporis parte nuda: Getuli & Sardi caprarum pellibus veterum Græcorum more, vnde Hercules cum pelle est, & Poetæ senes vocant ab hac veste διφθερίας, iuuenes etiam Cæcilius, & Græci Grammaticos hac veste indutos, quæ ἰσάλη dicebatur alio nomine. Scythæ tergis vulpium, & murium, quæ tactu mollia sunt, Sabellorum, & madriorum pelles putarim. Scythæ ipsi, & Thraces vestes mero perfundunt, quod generosum ad modum putant, & beatum. Pelles induunt præterea Locri ozole, qui in Phocide sunt, Sobij Indi, & Indi, qui ad Oceanum, Gotthi, & Hunni, hedinisq; pellibus circundant crura: Mauri leonum, Pardorum, vrsorumq; pelles, quas Græci gestasse videntur apud Homerum vsque ad pedes supra alias vestes, hæcq; erat χλοίνα, quomodo caprinas pelles Aphræ mulieres fimbriatas, vt postea fecere Græci agida Pallados. Aliqui ex Pharusijs serpentum, & piscium coria vestium loco habent, piscium Arbi in Carmania, Ichthiophagi, qui Stoberam vrbem incolunt, & Indi in Oceani Insulis: vituli piscis ij, qui sunt ad paludes Araxis in Armenia: Massagetæ indumenta ex phocarum pellibus faciunt & arborum corticibus, corticibus Indi aliqui, Geloni artibus hostium interfectorum, Indi palustres, & nautæ antiqui è tegete, olim pleriq; auctore Theophrasto, ex lana, quæ in bulbis est intra summum corticem, & eam partem, qua vescimur. Maurusij tritam, & vilem vestem gerunt, vt Philosophi, qui prolixa barba, dextra baculum librum

Digitized by Google

fibrũ habebãt ſiniſtra. Parthi tenuiſſimã, perlucidamq; vſq; ad pedes, & Sarmatarũ more, fluitatẽ, perlucidã Tarentini, Iapiges, qui etiam fucata facie erant, floribus pictam, vt meretrices, & ditiores fœminæ: pictam Niſæi Indi, purpuream Lacones, ne pugnantes ex vulneribus ſanguinem viderent, purpuream vero non ferebant ſerui. Pullam habent Melanchlæni, & qui circa Padum ſunt propter Phaetontem fulmine ictum, pullam etiam Daunij in Apulia, quòd incenſis a captiuis Troianis nauibus, vel inuitus illic permanere coactus ſit Diomedes: albam Rhetores, vnde ἀλευροφόρον Ammianus Rhetorem appellat. Getulæ fœmine veſtem habent nullo colore infectam, nec calceos, nec vnguenta. Contra viri ornantur auro, & vnguentis, cum pugnaces tamen ſint: cæruleis non vtuntur Agrigentini, quòd eo colore veſtes fuiſſent ſatellitum Phalaridis. Galli veſte exornantur tincta, auroque picta, torque, & armillis: auro & Agathyrſi, Perſæ optimates à Rege donati torque, acinace, monilibus, armilliſq; aureis, cum gemmis, anaxirim (veſtis nomen) triplam habent, duplam tunicam manicatam ad genua vſque verſicolorem, tiaram, vt Medi, & Armenij, amplumq; calceamentum duplum, plebs olim è corio veſtes, mox duplas tunicas ad medium crus, & Tyriam ſindonem circa caput, vt Indi linteos, qui auro brachia, & lacertos, lapillis aures ornant, & ebore, corpus tegunt vſq; ad pedes carbaſis, ſoleaſq; induunt, & calceos altiores: Aſſyrij lineam tunicam geſtant talarem, exteriorem laneam albam, mitras, non magnos calceos, & Scipionem: Armenij demiſſas tunicas, ad pectus cinctas, demiſſas ſed ſolutas Sarmatæ, Turcæ etiam, & olim Pœni, hinc poeta diſcinctos Aphros vocat: auribus perforatis annulos ferunt, vt Romani, plantino ioco digitos non eos habere in manibus: Aegyptij lineas veſtes recens ablutas, lineas Brachmanes, qui circa Indum ſunt, calceos ex arborum corticibus, vt & Pythagoræi: lineas longobardi, la-

xas, fimbrijs ornatas, & vario colore, calceamina vſq; ad ſummum pollicem aperta loris commiſtis reuincta: lineas Athenienſes fœminæ cum fibulis, quas detraxere, vbi furore percitæ redeuntem ex Aegina quendam veſtium fibulis interfeciſſent. Mulieres apud Homerum palla indutæ ſunt fibula alligata ſuper pectus, balteum habent, crepidas, & inaures: fibulas fecere poſtea aureas, & argenteas, quibus aptabant manicas, & coronam auream capite geſtabant. Lacedæmoniæ virgines tunicas inferius apertas ferebant, quare in inceſſu vel Sophocle teſte nudabant femur: Romanæ virgines zonas, & vittas caſtitatis ſignum, Hiſpanæ aliquæ in capite ferreos coruos, ad quos contrahebant velum tanquam vmbraculum. Adyrmachidarum vxores crura cingunt armillis æneis, Aegyptij aliqui in honorem Saturni ſeſe vinciebant ferro, perforato naſo, vt Aphri aliqui ad oceanum naſum, auriculas, & labra perforata aureis annulis exornant: fœminæ in Pœonia cubitos armillis ferreis, æneis, cryſtallinis, & oſſeis, nates balteis latis ex panno fimbriatis. Amazones veſtem nodo colligunt, leua ad pectus nuda, integram enim hanc papillam ſeruant, aduſta dextera, vt tela vibreat facilius. Germanę etiam fœminæ nudæ brachijs, lacertis, proximaq; pectoris parte erunt, reliquo corpore lineo amictu tecto. Germani ipſi qui pellibus non vtuntur, ſagulo argento variegato cooperti fibula conſerto, cætera nudi: locupletiſſimi veſtem ſtrictam fuerunt artus exprimentem, arctam, & Anſibarij, quitamen Germani ſunt: frontem Mardi Perſæ funda cingunt, veſte ſupra genua. palliati Græci erant, purpureas veſtes ferebant Athenienſes, tunicas variegatas, capillis appendebant corymbos, & aureas cicadas. ponè ſequebantur ſerui cum ſellis compactilibus vt heri ſedere poſſent cum libuiſſet: Aetoli ſiniſtro pede, ut ait Ariſt. vel dextro, quòd eſt apud Euripidem, calceati erant, nudi ſiniſtro, ut Hernici in Italia pelaſgorum coloni Getulæ fœminæ

minæ nudæ pedibus. Ro. absq; tunicis fuere olim sola toga rotunda, quam ad calceos usq; demittebant, ut Græci pallium. Credidit tũ Plin. togam ad pedes demississe primũ Curio, ut varices velaret, post Cice. tempora medijs cruribus terminauit. ἐξωμίδας, etiam habuere breues, strictasq; tunicas citra humerum desinentes, mox paululum infra genua, breuiores militum erant, latiores præconum, prolixæ, & manicatæ fœminarum, ut virginum apud Iudæos, apud Græcos liberorum: vestes enim seruorum unam tantum manicam habebant fascijs cingebant Romani crura, quas habuisse dicitur Pompeius cretatas, purpureas Clodius, prætexta utebantur mulieres illustres, & nobiles adolescentes, & purpuream togam eorum filij, qui curulem Magistratum gessissent, collo vero suspensas habebant bullas ingenui aureas, scorteas libertini, cum bello punico secundo libertinorum filij carmen cecinissent. puberes, & puellæ nubentes prætextam deponebant, quam induebantur Magistratus, viri etiam prætorij festis diebus, nobilium tantum erat, eam enim nec externi, nec libertini gestabant, tunica, & latus clauus Senatorum, equitum annulus ut à plebe discernerentur, sic patrum uxores stolatæ erant, equitum pedibus aurum induebant, sed auratos etiam calceos cum margaritis habuit Cæsar, & Domitianus, Annulos vero non habebant Equites, nisi donati à Prætoribus, tanquá viri fortes, vel Romæ, vel in prouincijs, & ab Imperatoribus, qui ut Prætores etiã, scribas, & alios, qui fortiter aliquid gessissent aureo annulo donabant: dabantur quoq; legatis ad exteras gentes, quibus tantũ uti apud Romanos, vel post legationem mos fuit in publico aureis, domi ferreis, vnde & ferreus mittitur sponsæ absq; gemma, nec annulos habent, nisi quæ nupsissent: eos imponebant sinistræ digitis minimo proximis, quòd neruum ex corde progredi ad hunc digitũ crederent, vel quòd hic digitus minus ageret. Scribit enim Ateius capito liberos homines, quibus fides

fides adhiberetur, annulum habuisse signandi causa, & quocunq; digito ferri solitum, sed vbi additæ sunt gemmæ eo digito impositum, postea indice, mox minimo Græcorum more, Galli, vero, & Britanni medio.

Quæ ederent antiqui, biberentve. Cap. XX.

SED post indumenta enumeranda videntur quæ ederent antiquiores. Vixere primum fructibus, quos vltro terra tulisset. Mox pastores lacte, & carne, frugibus deinde colentes agros. Græcos quidem pastores primum fuisse testatur Dicæarchus, & poetæ, qui homines alios dicunt ab agnis πολυάρνας, alios à bubus πολυβώτας ab ouibus alios πολυμήλους oueſq; ipsas aureas habuisse pelles, quòd priscorum opes gregibus constarent, Sic Argis aries aureo vellere dicitur fuisse Atrei, quem conqueritur ipse vxoris fraude subductum à Thyeste; nam conuenerant post Pelopem illum regnaturum, qui quod magis admirandum esset, ostendisset, propterea arietem seruabat illum, & Regni stabilimen appellat apud Tragicum, cuius carmina refert Cicero, declaratis iam & eius verbis, & Senecæ in Thyeste, quæ adhuc fuerant obscura. Romanorum etiam nomina ab animantibus hac causa esse multa videntur Porcilius, Ouilius, Caprilius, Equitius, immo Romulus, & Remus fuere pastores, vnde antiquissimum æs pecore notatum, & populus Ro. lustratus in Solitaurilibus verre, Ariete, & Tauro. Esitarunt vero Scythæ Tauri rapum, Aethiopes Orindij semen sesamo persimile, Sarmatæ, & Mœotici homines milium, hoc, & hordeum, glandes etiam Meroite; hordeum, & frumentum tostum Mauruſij, quorum creditur Rex fuisse Antæus, Germani auenam; pannicum Aquitani, Persæ nastur.

Digitized by Google

ſturtium, & terebinthum; Arcades herbarum radices, vt Rhizophagi, & Maſſæsyli, arborum folia recentia, &, vt ſcribit Archæus, glandes, vt alij, ſub cinere coctas, & bacculas ex ramis agreſtibus, & Arimphæi: glandibus conficiebant panes Luſitani, qui montes incolunt Aegyptij farre, vel loto, non enim hordeum, nec triticum, nec fabas edebant, & cibos extra ſua tecta palam capiunt, vt Mosynœci: Lotophagi loto tantum, vt eſt apud Homerum: Argiui comederunt pyra ſilueſtria, vnde eorum pueri quodam feſto per iocum ἀπιοκαχράδας repetunt, quod ἄχραδες ſit pyraſter, pyra etiam Sylueſtria Tirynthi, Athenienſes ficus, Carmani palmulas, Spermophagi in Arabia poma, Atlantes agreſtium vitium fructus, nihil enim ſerunt; baccas Arimphæi, Moſynœci aliqui nuces elixas, herbas Macrobij hominum iuſtiſſimi: Olera, & farinam Magi: harundinem Hunni, & Indi, qui & foliis arborum veſcebantur, quas Tala vocant, & carnibus ferarum crudis, Padæi maxime Indi, etiam Aetoli Eurytanes: Hunni ipſi carnes ſole, vel ſub alis, aut equorum tergore calefactas deuorabant: Parthi, Mardi, Perſæ, Scritifini in Thule, Thyſſagetæ, Turcæ, & Muſicani iuuenes Indi carnes venatione paratas, item qui Enderum incolunt in Illyrico, qui vbi nil ceperint corijs aſſatis veſcuntur: carne, lacte, & caſeo Nomades Scythæ, Maſſæsyli, ſanguine addito Meroitæ: lacte, & carne Sueui, & Britanni interiores: lacte, caſeo, & melle Myſi; his, & pomis Germani, qui ſuccum etiam potant ex hordeo, & frumento, cynamolgi canum lac, equorum Agaui, quam innocentiſſimam gentem vocat Homerus, camelorum Arabes, carnibus etiam eorum veſcuntur, vt Sarraceni, & barbari omnes, qui in Aphricæ loca deſerta ſunt, Barceiq; à poeta vocantur: camelorum lac bibunt Debæ, Elephantum, & Cynocephalorum Nomades in Aethiopia, vbi etiam Macrobij, qui centum & viginti annis viuere

uere dicuntur, lac bibunt, & rorem, lac Massagetæ, & equorum sanguinem. Butyrum certe barbararũ gentium vel nunc laudatissimus cibus est, qui diuites à plebe discernat. Sarmatæ pulte aluntur, & cruda farina equino lacte, vel sanguine è cruribus mixto: ipsi, Vandili, Quadi, aliæq; gentes equis, & vulpibus, equis etiam sylvestribus Persæ, Scythæ pecoribus, simijs zigantes, Troglodytæ lacertis, & serpentibus, lacertis viridibus Aphri, serpentibus Ophiophagi in Arabia; lacertis; testudinibus, idq; genus alijs Amazones, quare & creduntur habuisse nomen, rore etiam Syriaco, mannam vocant. Syri terrenis crocodilis, in Arabia, & Syriæ desertis locustis alij, & sale viuunt, vespertilionibus Assyrij, qui Borsippæ degunt: Phryges, & pontici homines vermiculis albis, & obesis è carioſa materia natis, δύξες dicuntur à Græcis Indis postea condidit vrbes, dedit leges, fruges, & vinum Dionysius: at illi vino non vtuntur, nisi in sacris, vt Aegyptij vsq; ad Psammetichum Regem: nam sanguine Gigantum dicebant exortas vites, ideoq; vinum inebriare. Vino etiam abstinent Romanæ fœminæ, iuuenes quoq; vsq; ad trigesimum annum, vel trigesimum quintum, ut est apud Aelianum, nisi certis diebus sacrorum causa: Egnatiusq; absolutus à Romulo interfecta vxore, quæ vinum bibisset qua causa osculari à propinquis credidit M. Catone scirent an temetum olerent, alijs vero, quod sic feciſſent Troianæ in latio redeuntibus viris, cum naues ipse incendissent. Italæ quoq; aliæ abstinebant ā vino, quod Herculi apud Crotonem sitienti persuasus ab uxore uir aquam, ut tradit Alcimus Siculus, perrexisset: abstinent & Carthaginienses milites in castris, Massilienses fœminæ, & Milesiæ, quod scribit Theophrastus, Samanei etiam, ceruisia quoq; & carnibus: polentam enim, orizam, & poma tantum edunt, ut Gymnosophistæ. Nam Brachmanum alios Gymnosophistas, alios Samanæos vocari

cari ſcribit Barde ſanes. Carnibus etiam abſtinent Iouis προφῆται in Creta, & rebus omnibus, quæ coquuntur, abſtinuere antiqui quoq; Græci, & omnes ætate, qua Pigmalion in Oriente regnabat, quod ſcripſit Aſclepiades Cyprius: Seres etiam, Eſſæi, Getæ Zamolxidis inſtituto, qui diſcipulus fuit Pythagoræ; Perſæ aqua, Aegyptij ouium lacte, ipſi Phœnices, & Paleſtini bubus fœminis propter raritatem, maribus Lindij, quod & in Oriente iuſſit valens Cæſar, Britanni lepore, gallina, & anſere. Galatæ peſſinuntij ſuibus, hoc enim animal interfecit Atym Cybele gratiſſimum puerum. Syri non edunt piſces, quod Derceto dea Semiramis mater cum in ſtagnum ſe proiecisſet, à piſcibus ſeruata ſit: nec piſces edunt homines apud Eleuſinam, nec volucres, nec poma quædam. Contra Ichthyophagi, quos maritimos Indos vocat Curtius ipſi, pecoraq; [vt etiam in Carnina Inſula] piſcibus viuunt. Sole nanq; illis aſſatis panes conficiunt, triticeo pane pro obſonio vtuntur: piſcibus etiam libenter Rhodij, qui damnant, qui carnes edunt: piſcibus, & auium ouis homines, qui in Rheni Inſulis ſunt: piſcibus crudis Indi paluſtres, vel Ichthyophagi ipſi. Homines edere Scythicum eſt, ederunt tamen Scoti, Iberes, Melanchlenæ ambo Scythæ, vt Antropophagi, ederunt etiam Aethiopes, & paſſim omnes ante Iouis tempora, qui id prohibuit, in obſidionum quoq; neceſſitatibus Hiſpani, & Galli. Romani trecenis annis vixere farre, & pulte, quam non cognouere Græci, ſed edebant ipſi polentam, ſuccumq; ex malua & aſphodelo. Athenienſes caſeum, phiſten (maze genus) oliuam, & porrum, cerebrum aſpernabantur, quòd caput ſacrum eſſet: legi tamen eſitaſſe coctum intra fici folia, vinumq; bibebant vnguento mixtum aliquando: ruſtici γίγαρτα conterentes acinos ſcilicet vuæ, vel mali punici cum caricis deuorabant, Itali quicquid daretur, & bis ſingulis diebus Græci ter, aut qua-

ter, Persæ semel, Sarmatæ tertio die, vt & Lydi in fame, ciborumq; penuria, Ichthyophagi vel quinq; diebus sustinent sitim.

Conuiuia, Pocula, & vasa, cœnæ ordo apud Græcos, loci conuiuales, mulieres in conuiuio, balnearumq; vsus. Cap. XXI.

AT Sarmatæ ipsi postea versabantur in conuiuijs tribus diebus, Germani, Nomades, Alani, & Sarmatæ, qui Asiam incolunt, quos dicimus Moscos die, & nocte: Germani ipsi armati, vt & Persæ, Lacedemonij vero nec baculum in conuiuio ferebant, quòd eo Alexander oculum effodisset Lycurgo, vel percussisset, vt scripsit Dioscorides (quomodo & apud Plutarchum legendum) qui litteris mandauit Lacedæmoniorum Remp. & mores. Lacedemonij ipsi in publico cœnabant, quindeni simul conuenientes, singuli medimnum farinæ, vini choas octo, casei quinq; minas ficuum totidem ferè, & obsonij gratia minnulos aliquot, quasi Symbolum dantes: obsonium erat suilla caro, & ius, in secunda mensa dabantur oliuæ, caseus, ficus, & placentæ farina, & oleo confectæ in lauri folijs: compotores deliguntur, ἀτομαγδαλίᾳ parte media interiore panis non compressa, & in caldum demissa. Tyrtæi carmina canunt, quod eo Duce superassent Messenios, carebant etiã in ludis, qui vicisset huic carnem dabat, πολέμαρχος. Ad conuiuia hæc conueniebant pueri tanquam ad disciplinæ, morumq; Scholam, dicebantùrq; φειδίτια Cretenses ἄνδρια vocant, & συσσίτια à Minoe instituta. Decimam enim dant ciues omnes ad conuiuia sodalitatis: nam vrbes singulæ pluribus sodalitatibus

tatibus diuiduntur: in principio, & fine cœnæ dilutum vinum fundunt, adoleſcentes dimidiatas partes habent, minuſq; bibunt, ſtantes vero omnes edunt: à cœna illuſtrium virorum laudes celebrant: aurea vaſa inania, & argentea exponunt, vt tantum viderentur, Regibus recepto more. Argiui vero fictilia pocula adhibent publicis conuiuijs, & Lacedæmonij feſtis, epinicijs, & nuptijs: Græci alij vaſa quoq; fictilia habent in conuiuijs. Sed olim vt & apud Homerum, caniſtris afferebant cœnam, panem quidem mulieres, alij carnem; aurea, & argentea vaſa Perſæ, Rhodij myrrha, ſchenantho, amom, croco, balſamo; & cinamomo facta, quæ caloris vi arcerent ebrietatem, antiqui vero cornibus bibebant, Thraces etiam & Paphlagones, vrorum cornibus Germani, quare liber pater videtur cum cornibus eſſe: pocula mox ære facta, quæ & vibicibus imponebant, vt ea refrigerarent. Garamantibus ſtrutio camelorum oua pro vaſibus ſunt, Aphris lignum, aut cortex. Chij vero, Thaſij, & Theſſali in conuiuijs calices capaciores ſiccabant, Athenienſes minores, Lacedæmonijs ſingulis ſingulos calices infundebant pueri, Græci alij conuiuis omnibus menſa ſpongijs prius terſa, partem apponebant, πρωτοσεισίαν, ſcilicet, deinde ἐπιφορήματα varios cibos vna patina plures continente patellas ſecunda menſa, quæ in honorem Deorum erat, habebat ἐπιδορπίσματα oua bina ſorbilia, turdos leporinas carnes, & aprugnas, mellitaq; quæ vel edere, vel ſecum aſportare poterant. Apud Arcades dabatur offa, quam manibus primum illa abſterſis, ſecum ferrent, ob terrores nocturnos in compitis. Apud Homerum primitias ciborum Dijs offerunt in ignem conjectas, libantq; vinum Veſtæ in conuiuij fine, vt & principio. Meracum in Græcis ipſis conuiuijs miſcetur primo, qui calix dicitur Iouis olympij, vel Iouis, & Iunonis: ſecundus diluti Telluris, & Heroum, diluti, & tertius Iouis Soterij: ſublata

mensa lotis manib. sumebant iterum meracum in honorem Mercurij, qui somnum mittit, calicem vocant ἀγαθῦ δαίμονος, cum cyathis saltabant, & vt vel Deos, vel amicos nominassent, bibebant, iactu etiam talorum, libatam potionem alijs eorum pronuntiato nomine addito salutis verbo χαῖρε, tradebant, canebantq; ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τὰ δύο.

Quomodo & apud Plautum fortasse legendum. Qui bibere volet, abire cogebatur, ne sobrius inuinolentos incideret. Canebant etiam optimum primum esse bene valere, mox forma insignem, demum diuitias nulla fraude habere quæsitas. Proponebant sibi ænigmata, & griphos, iocum illa, solertiam hi habebant: qui soluisset, vel osculum huic, vel ferculum dabatur: qui secus, vel meracum, vel muricam, quam biberet: omnes inde Deum canebant: mox ἔσαρκας cantus institutus singuli enim lauri, vel myrti ramo manu accepto, canebant hoc ordine, primus primi lecti, inde secundi primus, sic deinceps; mox secundus primi lecti, secundi secundus, & alij eo modo. Deinde circunferri cepta lyra, ad quam canebant docti tantum carmen, σκολιόν propterea dictum, quod non esset omnibus facile: qua modulatione leuiebant mentem, vt etiam Pythagoræi faciebant somnum capturi, & cum euigilassent. Iuuenes vero singuli singulos choas vino repletas siccabant, qui suam non bibisset, eum cauillabantur alij, iouis dicitur à Suetonio in libro de ludis Græcorum ἐωλοκρασία vt κότταβος cum supra peluim μῦνᾶς æneas scilicet statuas ore patenti collocarent, quarum os vino replebant compotores, quod si in peluim cum sonitu ex ore statuæ decidisset, qui imposuerat laudabatur, si clam deridebatur. In Græcorum etiam conuiuijs non erant fœminæ, nisi propinqui hæc agerent, vt & apud siculos, qui Græci tamen creduntur: nec in Persarum conuiuijs vxores, pellices vero aderant, astante eunucho

cum

Digitized by Google

cum arcu, & sagitta, qui si quem vidisset intueri auidius illas illicò hominem interficiebat. Apud Illyricos sunt fœminæ, vinumq; largiter potant vel ab hospitibus missum: Sybaritarum etiam mulieres, quæ ante annum inuitantur, vt ornatiores accederent adhibebant equos ad tibiam saltantes, quare & consilio Imperatorio, στρατήγημα dicunt Græci, victi sunt à Crotoniatis, cum inter ordines tibicines collocassent modulos canentes, ad quos saltarunt equi discussis sessoribus. Ducebantur etiam in conuiuio Babylonicæ fœminæ, quæ in fine corpus denudabant: Romani vxores, hæ sedent, viri lectis discumbunt puluillo innixi, depositis soleis, cruribus distentis, vel dextro poplite leuum præmentes genu, siue cruribus, aut cossis complicatis, vt nunc faciunt Turcæ. Ante cœnam abluebant sese, & vngebant, olim vero brachia, & crura quotidie, nundinis corpus lauabant. Græci sudorem aqua abluebant, deinde corpus in labris domesticis, quas ἀναμίγτας, vocant, oleoq; vncti, mox cœnabant: & post labores vel militiæ, vt Agamemnon à Troia reuersus, vel itineris, quomodo apud Homerum Telemachus, & in lætitia, gaudioq; vt rusticus in fabula Aristophanis, quæ πλούτος, inscribitur: delicati calida, fortiores frigida, calida Germani, & in fluminibus, vt etiam Græci, & Nausicaa Alcinoi filia, in Odyssea: at Persæ nunquam lauantur in fluminibus. Dardani, qui in Mœsia sunt, ter tantum, nati, in nuptijs, & mortui. Babylonij, & Arabes post coitum, vt post menstrua Iudeæ mulieres.

Roma-

Digitized by Google

Romanorum coena, ebrij coronæ, fratres Aruales, Discumbentes, ministri, & quæ post conuiuium agantur. Cap. XXII.

IN triclinijs croco conspersis, sternebantur lecti, quas spondas videtur Maro dixisse: erant antiquitus ex cespite, & stramine scorpeæ forma, stragulis ex tergore boum, vt apud Homerum: cum tori, in quibus dormientes iacerent, pellib. hœdorum, ouiumq; essent iniecta chlæna. Deinde apud Romanos fuere in triclinijs lecti Arcadici humiles, & breues mox ærati, vt triclinia, abaci, & monopodia, vel testudinum secto putamine tecta: mensas facere quadratas ex acere, & fraxino, orbiculatas etiam Lacedemoniorum exemplo, sed citreas elephantinis pedibus tribus, vnde τρίπους, dixere mensam, quamuis quatuor haberet quandoq; pedes, vt tradit Epicharmus: & credebatur sacra, quod Deorum apponerentur simulachra, & salinum. Tres erant mensæ, cylibantum orbiculata, quæ pocula contineret, cartibulum lapidea oblonga columella sufulta vinum habens, & Vrnarium quadrata cum vasis. Priſci cœnabant pane tantum. prandebant carne assa, aut frixa; nec enim elixa Heroicis temporibus cognita creditur, licet Herodoto, aliquibusq; alijs secus videatur: prandebant diluculo, nam & apud Homerum Eumæus ἄριστον parat prima aurora, & δεῖπνον Menelaus, δεῖπνος enim etiam prandium est, postea meridiabant, quam cœnam vocauere Romani, quasi κοινωνίαν, soli nanq; prandebant, & cincti, cœnabant discincti cum amicis: hinc nullo apparatu mox fuere prandia, cœnæ copiosiores: cœnabant apertis valuis nona hora, vel serius, Athenienses vespere, ita Per-

sæ,

Digitized by Google

sæ, vel ubi libuisset. Mensas ferebant onustas duo serui, apponebantq; conuiuis, & cum ferculis mutabantur mensæ, vt apud aliquos versatilia cœnationum laquearia, conuiuæq; lauabant manus: mensa non tollebatur vacua antiquæ frugalitatis inditium, reuocabaturq; si quis in conuiuio sternutasset, postea si non gustaretur aliquid, inter dira habebatur. Dabantur olim tantum carnis aridæ, vel lardi pondo tria, salsamentorum libra, vel gallina, nec quidem saginata, cautumq; s. c. ne in conuiuio impenderentur plus, quàm centeni viceni æris, lege Fannia centum æris, alijs diebus triceni in nuptijs lege Licinia ducẽni. Sed & Fannia illa lex Licinia dicta est à P. Licinio Crasso confirmata, qua & Itali tenebantur lege Didia, dicebanturq; propterea populi fundi. Nam si quod iussisset prætor, aut legem aliquam, quam Romani haberent, socij aliqui reciperent, tunc lege eadem is populus tenebatur, & dicebatur fundus, quod ea lex in illo populo tanquam in fundo resedisset. Sylla postea permisit insummi festis diebus H-S. tricenos, alijs ternos, pro festis ducenos, in nuptijs, & repotijs mille, quas leges sumptuarias (cibarius appellat M. Cato) tulit Romanorum primus C. orchius Fr. P. Licurgi exemplo. In principio dabantur oua bina sorbilia, in fine poma; in principio, & fine mel, lactuca, oliuæ, & saccharum, quod inferebant ministri coronati, ut etiam accipensera tibia perminente, vinum Græcum semel fundebant, laribus primitias ciborum mittebant, nam inter pocula, & epulas libare Dijs dapes, & bene precari mos erat. At conuiuæ non pauciores tribus erant, nec plures nouem, totidemq; lecti. L. Verus Cæsar duodecim vocauit nouo exemplo: coronati edebant ad arcendam vinolentiam, nam & ebrijs dantur coronæ apud Plautum Græci vero eos oleo sale mixto perungunt, vel coronati erant, quod prisci cœnarent in littore myrtis floribus conspersо, qua causa littorum amœnitatem maxime

ximè laudari crediderim à Val. Martiale. Capiebant coronas à conuiuij domino, quæ fuerunt primum ex lana, mox floribus omnibus excepto apio mortuis dicato, quare nec pullati sedebant in conuiuio, quod Cicero obiecit Vatinio, factæ frequentissimè rosis, hyemali tempore ramento è cornibus tincto, laminaue ærea inaurata, aut inargentata cum lemniscis aureis, quos cælare instituit primum Claudius pulcher, & bracteas etiam M. Crassus aureas fecit, & argenteas folia imitantes, sed Domitiano principe excogitatum ut hyeme etiam seruarentur rosæ fiebant ex anetho quoq; recenti: & roscida ad conciliandum somnum, ut videtur Galeno Medico. Romæ in usu non erant nisi in conuiuijs, & funeribus, propterea L. Fuluius Argentarius bello punico secundò in Carcerem ductus, quòd cum corona rosacea interdiu è pergula in forum prospexisset, Ciuica tamen, quæ iligna primo fuit, postea ex æsculo, mox ex quercu, licet uti perpetuò qui habuerit, & huic Ludos ineunti assurgunt omnes, vacatioq; munerum datur, patri, & auo. Olim coronæ dabantur tantum Dijs, quæ fiebant ex amaraco. Primaq; corona apud Romanos fuit spicea, vitta alba colligata, quam gestabant fratres Aruales aruorum Sacerdotes à Romulo instituti, qui & frondea coronauit Hostilium Hostilij Regis auum, qui Fidenam primus irruperat. In conuiuio vero digniores primo discumbebant, assurgebantq; honoratior locus summus erat, in prandio Heroico apud Virgilium medius, ut & apud Persas, conuiuij dominus in imo sedebat: ad fulcra lectorum erant filij, serui etiam, qui spongijs sputa è pauimento verrerent, reliquiasq; colligerent, quæ mensa decidissent, quas apud Græcos non licebat tollere veluti Dijs consecratas, succincti alij serui alia munia peragebant: erat qui puerili veste, muliebri ornatu pocula daret, unde melius videtur quare dixerit doctus Catullus.

Minister vetuli puer Falerni.

Erat

Digitized by Google

Erat qui mira arte aues discinderet, qui virga murmur seruorum compesceret, his enim hiscere, nec loqui, nec spuere licebat, ut & in Persarum Macedonum, & Chaldeorum conuiuijs, cum nec ipsi conuiuæ loquerentur. Seruis cœna peracta reliquias diuidebant: anagnostes legebat Philosophorum libros, vel amatorios sermones, comœdi Poemata, adhibebantur scurræ, qui risum mouerent, & post cœnam fides, & æquales tibiæ, ad quas canebant de Clarorum hominum virtutibus, ut scribit M. Cato in Originibus: pueri etiam qui canerent, & saltarent; duo quandoq; aut tria paria gladiatorum qui quidem Rhauennæ exercebantur, educabanturq;. In Tyrrhenorum conuiuijs virgines nudæ ministrabant: in fine adducebantur mulieres, & elegantes pueri ad conuiuarum petulantiam, mox iuuenes bene mutoniati, qui compotores ipsos turpè subigerent. Caunij pueri, & fœminæ amoris gratia, versantur in conuiuio. Apud Abidenos nutrices circunferunt infantes, quibus suauiumdant, qui simul cœnarent: Aegyptij cadaueris imaginem, admonentes bellè se voluptatibus oblectarent, eiuscemodi tandem futuros. Carmani percussa in facie vena sanguinem cum vino bibunt. Odrysæ Thraces sibijpsis vulnera infligunt, apud Thraces alios sorte aliquis laqueo collum immittit, ensem manu tenens, quo si non illico laqueum inciderit, suspenditur, ab alijs saxo, cui innititur, remoto, cœdis, admodum auida gens. At Scythæ vbi se nimium potu indulsisse cernunt, arcuum chordas pulsant, vt dissolutum uoluptate animum ad pristinam continentiam reuocent. Apud Hispanos vero nullus mensarum apparatus, nisi festis diebus.

Digitized by Google

Aegri, Medicina antiquorum, teſtamentum, adoptatio, ordo teſtamenti, hæredes ſanitati reſtituti, qui ſe interficiunt, qui ſeniores, vxores, quæ mortuo viro ſe occidunt, cadauera qui edunt, feris exponunt, proiiciunt, ſeruant ſepeliunt. Cap. XXIII.

INter hos Baſtitani erant, qui ex morbo aliquo infirmos ſolent in plateis deponere, vt remedia ab alijs diſcant antiquorum more, Babyloniorum maximè, Aegyptiorumq; apud quos nulli fuere medici, recepti vero non parabant ægris medicinam ante triduum. Iberes etiam circunferunt ea cauſa ægros. Sed antiqui medebantur magia, & carminibus, quomodo didiciſſe à Chirone Aeſculapium teſtatur Pindarus, & Antolyci filij apud Homerum, Vlyſſe ab apro vulnerato, carminibus claudunt ſanguinem: Indi medebantur cibo, vnctione, & cataplaſmate. Aegroti plerumq; teſtamentum componunt, quorum genera apud Romanos fuere tria, alterum calatis comitijs in conſpectu populi, alterum in procinctu cum ad arma vocabatur, tertium per familiæ coemptionem, cum ſcilicet hæres teſtamento adoptatur in familiam, & adoptantis nomen ſumit, vt etiam apud Barbaros, qui tamen conſueuerant conſenſo lecto, quos pro filijs adoptarent, per veſtes inferius demittere, ſic enim feciſſe dicunt Iunonem, vbi Herculem ſibi in Iouis gratia adoptaſſet, quare crediderim ipſum ab Iunone habuiſſe nomen, vt παρὰ Ἥρας, diceretur, vt Heraclidæ eius filijs Sardus

dus, cæteriq; Romæ vero qui filium adoptaret, ad Pontifices profectus dicebat causam, quòd procreare scilicet liberos non posset, & cum potuerit sit expertus, dicebat etiam generum, & dignitatis rationem. Solebantq; quod ex antiquo testamento, quod adhuc extat L. Cuspidij patet, Romani legata primum scribere, mox funeris curam certis hominibus demandare, seruos vel manumittere, vel in seruitutem, & pœnam relinquere, & hæredes instituere, & secundos, qui adirent hæreditatem si primi recusassent, aut morerentur, testamenti constituere curatores, & testes, qui nomen in testamenti fine scribebant, vt etiam ipse, qui faciebat testamentum. Qui in bona succederet, sacra gentilicia celebrat, non exiguo quandoq; sumptu, idcirco hæreditatem obtigisse sine sacris de ijs dixisse videtur Plautus, qui solidam hæreditatem sine detrimento assequuntur. Si multi cohæredes essent, vno ex hæredibus lecto, qui pretium rebus faceret, qui dicebatur auctionis magister, vendebantur bona, diuidebaturq; pecunia. Græci cognatos scribebant hæredes, sed Solon licere voluit cuiq; bona relinquere, quibus libuisset, lycij fœminis filijs. Qui ex morbo conualuisset gallum sacrificabat Aesculapio: Coi remedia deferebant in templo, unde Hippocrates nobilissimos libros de medicina collegisse creditur: Romani in templo Febris Deæ. Bachitij vero, si morbo leuarentur, obijciunt se canibus deuorandos: Brachmanes morbo capti se comburunt. Hyperborei vita plerunq; satiati è rupe se proijciunt in mare, quod & qui Cassiterides Insulas incolunt aliquando faciunt, felicioris vitæ spe. In Ceo sexagenarij vbi non vtiles ad Rempub. administrandam se viderint, lege conuocatis necessarijs post sacrificium, & conuiuium coronati cicutam bibunt. Theophilus Insulam vocat Chium, Menander Iulidem Cei vrbem. Tibareni præcipitant senes, vel vt ait Hieronymus, suspendunt in patibulo, Sogdiani interficiunt

parentes more ab Alexandro ſublato, interficiunt, & Triballi, fuſtibus Sardi, tanquam eos, qui otioſe degant: In Sardina enim plectuntur ignaui, & qui in otio viuunt, coguntur rationem reddere vnde alantur. Caſpij collocant in ſolitudine ſeptuagenarios, feliceſq; credunt qui viui deuorantur. Eruli ad Iſtrum pyræ, qui grauiter ægrotant, impoſitos interficiunt, ſepulchro condunt oſſa, ad quod ſe laqueo vxor ſuſpendit, recuſante infámia notata. Sic apud Catheos Indos vxores cum viris defunctis comburuntur, & apud Venedos in Saxonia, Aphros etiam quoſdam ad Oceanum. Apud Thraces, qui ſupra Creſtonæos ſunt, vxor charior (plures enim ducunt) cum viro occiſa ſepelitur. Derbices ſeptuagenarios viros iugulant, eduntq; fœminas ſuffocant: qui ante è vita abierint, dant hos ſepulturæ: edunt etiam ægrotos, & ſenes Padæi Indi viri viros, fœminas fœminæ: parentes cum pecorum carne ponti accolæ Scythæ, homines, qui in Ibernia ſunt, & Callatiæ Indi, ſic Eſſedones, capite tantum ſeruato, quo auro, argento, gemmiſq; exornato vtuntur pro poculo. Deuorant Maſſagetæ ſenio confectos, qui morbo obierint feris exponunt, vulturibus Taxili Indi, & qui in bello interfecti fuerint Barcæi honoris cauſa, nam vultures ſacros putant: Parthi, & Perſæ auibus, canibuſq; infelices exiſtimantes, qui non illicò lacerantur: idem fecere Iberes Curgene Rege, Hyrcani auibus, vel canibus, quos hac cauſa alunt, canibus ſemiuiuos Medi & Bactriani, vel auibus, more ab Alexandro damnato, eiuſq; præfecto Nicanore, qui ea cauſa penè amiſit prouinciam, feris Aſſyrij, & Magi, ſepeliunt oſſa demum, vt Perſæ: Ichthyophagi cadauera in mare deijciunt, Peones in ſtagnis, Sabæi in ſterquilinijs, Aethiopes alij in flumine, alij vita circumfuſo domi ſeruant, alij in fictilibus defodiunt. Macrobij & ipſi Aethiopes gypſo illitis induunt colorem, & poſt annum effe-

runt,

Digitized by Google

runt, Babylonij in melle cera circunducta, vt Persæ, Indi adipe suillo Aegyptij extractis intestinis bitumine, sale, & myrrha, & Iudæi vt diu perdurent, Aegyptijq; in hominis lignea figura inclusos seruant, quibus aliquando datis fœnore accipiunt. Nysæi Indi in cedro condunt Arabes eorum Reges fratres, vxores, filios in harundine internodio euulso, quod tradidit Vranius, Baleares frustis incisa cadauera in vase saxis accumulatis, Colchi suspendunt arbore loris colligata: antiquitus terra mandabantur, sedentes mortuos constituebant in sepulchris Nomades, Athenienses ad Orientem conuersos, ad occidentem Phœnices, & Megarenses, quod & Athenienses fecisse testatur Hereas, sed Megarenses vel quatuor vno intulisse sepulchro, Athenienses singulis singulos. Troglodytæ vero ceruicem cum pedibus ligant postea apud Græcos Hercules primus rogum ascendens voluit cremari, vel Argium Lycininij filium primus pyræ imposuit: cremati & Romani post quam in exteras nationes pugnantes cadauera eruerentur, sed non cremabantur nisi dente genito.

Funus Barbarorum. Cap. XXIIII.

HVNNI quoque reddunt terræ corpus, & in illustrium virorum funere capillis detonsis vulnera in faciem sibi faciunt, vt sanguine plorent: in campo cadauere posito circuncurrunt milites, celebrantq; res ab illis præclarè gestas, epulantes mox humo tegunt cum auro, argento, frenis, armis hostium, cæterisq; eiusmodi, vt factum est in Attilæ sæuissimi Regis funere, Albani etiam cum mortuis pecunias condunt, quare misere vitam in paupertate degunt. Scythæ & ipsi humant cadauera, vbi calculos, quos in pharetra singulo die vel albos, vel atros, vt

vt lætum, sæuumve passi diem essent, viui coniecerant, quod & Cretenses faciunt, enumerassent, hominemq; aut bene, aut misere vixisse pronuntiassent, quadragintaq; diebus plaustro ad amicos detulissent, qui cœnam parant omnibus cadauer comitantibus. Reges mortuos sepeliunt apud Gerrhos ad Borysthenem scrobe quadrata cum pellice, vini ministro, coquo, agasone, alijsq; qui chari defuncto fuissent, equis etiam, phaleris, & suppellectile, per prouincias cadauere delato, alijs auriculam, alijs crines pre mœroræ sibi tondentibus, & brachia ferientibus, frontem etiam: circumacto anno ad Sepulchrum quinquaginta interficiunt famulos ingenuos, quos totidem occisis equis imponunt. Solent & Tauri Scythæ cum Regibus sepelire, qui grati maximè viuentibus fuerint: Galli in ignem inferre, quæ viuo putant cordi fuisse, animalia, seruos, clientes, Germani arma, & equos, sepulchrum cespes tegit: equos, & vestes Alani, qui Samagithiam incolunt in ea Sarmatiæ parte, quæ iam Lithuania dicitur, rogo extructo in Sylua, parataq; cœna, qua ali dicunt defunctum. Indi aliqui seruorum imagines, equorumq; incendunt: inferunt Cares sepulchro ἀνδριάντιον, & cristas, quas instituere ipsi in re bellica. Sindi tot pisces, quot obtruncasset defunctus hostes. Nomades Scythæ vbi Regem efferunt qui occurrerint omnes interficiunt comites apud inferos Regi futuros. Persæ vbi viri clarissimi obierint, solent se vxores, liberos, equos, iumenta tondere, in Regum funere extinguere sacrum ignem: indutum armis Regis cadauer in suggestu locant inter decem lectos, mortuorum sustinentes simulachra: septem dies in contubernia diuisi milites epulantur, canuntq; næniias, fœminæ plorant, comburunt deinde cadauer rogo exuuijs facto, & ossa terra tegunt in argentea vrna. Postea Medorum Reges, Persarum, & Parthorum in Ecbatanis condi soliti sepulchro ab

Iudæo,

Digitized by Google

Iudæo Daniele eo artificio facto, vt recens semper fabrica videretur. Aegyptij alunt comam (veteri id more alij, qui & supercilia radunt) mulieres luto fœdato vultu per vrbem discurrunt manu pectora plangentes, quod & viri faciunt. Troiani apud Homerum nouem diebus plorant Hectorem lecto impositum canentibus Symphoniacis flebile carmen, decimo die cadauere combusto ossa in auream vrnam ponunt, quam purpureis mollibusq; opertam velaminibus postridie terra condunt, imponuntq; ingentes lapides: qui interfuerint funeri, eos ducit Priamus in conuiuium.

Lacedæmoniorum Funus, Mortui extra patriam reuocantur. Cap. XXV.

REGES Lacedæmonios mas, & fœmina ex singulis domibus plorare coguntur, mulieres frontem sibi pungunt crebris, insaniſq; vlulatibus (sic & Barbari pleriq; in funere Regum.) Extra patriam mortui Regis tantùm cadauer refertur, aliorum minime: mortuos, qui fortiter aliquid fecissent in re militari, puniceo amictu tegunt, oliuæ folijs circumpositis: sepulchro eorum solum nomen inscribunt, qui in bello obierint, deponunt luctum duodecimo die, vel vt est apud Herodotum, decimo. Græci alij extra patriam mortuos vel referebant, vel abeuntes ter nomine vocabant, sicut Vlysses socios apud Cicones interfectos ter vocat: quandoque etiam sacris quibusdam reuocabantur mares, qua causa creditur Pelias in Colchos misisse Iasonem, vt Phryxi animam in Græciam reduceret. Sed qui dicebatur extra patriam obijsse si domum rediret, non ingrediebatur per ianuam, sed per impluuium sese demittebat, quoniam prœlio in Sicilia gesto, qui mortui renuntiati domum redijssent, obiere omnes, excepto meo,

meo, qui nocte imagine visa per tectum sese immittente; sic & ipse fecit, vixitq; Memoriæ proditum est Aristimum cum sic redijsset, iussu Pythiæ se, ceu modo in lucem editum, lauandum obligandum fascijs, lactandumq; dedisse, quod expiationis genus cæteri obseruarunt, quos Græci ὑστερόποτμους vocant.

Græcorum Funus. Cap. XXVI.

GRAECI statim mortuo Διανάκτιον ori imponunt Charontis naulum, quod non faciebant Hermionenses, cum apud ipsos compendiosum descensum ad inferos esse fama fuisset: imponunt & μελιττοῦτταν placentam, quam obijceret latranti Cerbero: lauant deinde, vngunt oleo, coronant floribus, & candida veste indutum, quod Messenij maxime faciunt, proponunt loco sublimi spectandum: fœminæ lugent, dilaniant comas, radunt genas, pectus, & membra dilacerant: scindunt viri vestes (vt in mœrore consueuere Iudæi) easq; puluere caput etiam spargunt, solo quandoque caput ipsum allidunt, & volutantur humo capillos vellentes: parentes, vel filij accersito cantore, qui antiquorum calamitates referet, circa cadauer mœsti commoda recensent, quæ moriens amisserit defunctus: socij cadauer efferunt, sequuntur necessarij, qui capillos detonsos (tondebant etiam fœminæ) vt carmen indicat. L. Actij antiquissimi poetæ in Amphitryone.

Quæ nam hæc est mulier funesta veste, tonso lugubri,

vel cadaueri imponunt, vt Patroclo Achilles, Achilli Neoptolemus, & Myrmidones, vel in rogum inijciunt, & vestes: in pyra medio collocant cadauer, extrema parte apud Homerum boues corio exutos equos, duos canes, duodecimq; Troianos ex ijs, qui capti fuissent: pyram extingunt vino nigro, eoq; ossa lauant, condunt in vrna, & includunt sepulchro, aggesta terra, imposito saxo, & coronis

coronis ex apio, amarantho etiam à Theſſalis in Achillis funere inſtituto more: potho candidi generis, alijs floribus, & lana, cœlibis ſepulchro λυτροφόρῳ. Athenienſes, poſt quam ſumptuoſa fieri funera cœptum eſt, Solonis lege prohibiti ſunt, ne ſepulchrum facerent operoſius, quàm quod decem homines efficerent triduo, nec opere textorio, hermis vt impoſitis ornarent. Qui cæde perempti fuiſſent in horum funere præferebantur haſta: qui phthiſi, aut aqua intercuti, dum efferuntur, domi eorum filij ſedebant, aqua pedibus immerſis, quo modo parentum morbum declinare credebantur. Ante Socratis tempora prius, quàm mortui efferentur, hoſtias iugulabant, ἔντομα quæ gignere, & procreare non poſſent. Parentant demum Græci occidente Sole, & ad ſepulchrum vel laudantur mortui, & Solonis lege publice, vel interficiuntur captiui ab Achille ſeruato more, vnde Roma buſtuarij gladiatores inſtituti creduntur, qui ad ſepulchrum dimicarent, vel gymnicos ludos celebrant hominum, & equorum (vt Thraces etiam, & Romani) adhibito choro, & muſica, tubis maxime, quod declarat Poeta Theophunus: parentant Odryſij equeſtri certamine multo epoto vino. Triduo poſt Græci ipſi apparant cœnam neceſſarijs, qui coronati lugentes adhortantur, vt cibum capiant, quod cunctanter ipſi quidem faciunt, ne poſt chariſſimorum mortem vitam exoptare videantur, quare & ſæpius cibum recuſat Achilles apud Homerum interfecto Patroclo.

Romanorum funus, inferiae. Cap. XXVII.

ROMAN. morientibus erigunt caput concutiuntq; comas, vel euellunt, tamquam ſenſum illorum re-

Digitized by Google

uocent, quare videri posset illud à Marone dictum de Didone.

Nondum illi flauum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, stygioq; damnauerat Orco.

Spiritum propinquitate coniunctior ore excipit, clauditq; oculos: calida cadauer lauant, albis vestibus induunt, per interualla nomine compellant: custos adest cum fistula ne somno capiatur. Cupressus ante nobilis domum ponitur: est enim Diti arbor sacra propter Cyparissum, qui ceruo, quem acceperat ab Apolline interfecto, dolore abijt, quare excisa haud iterum pullulat. Octauo die, nisi sint feriæ publicæ, quibus hominem sepelire non licet, efferunt feretro cupresso facto, arborumq; infelicium ramis, quæ fructum non ferunt, tibia canente exequiale carmen, & præficis mulieribus nœnias, nimisq; gestus omnes defuncti reddentibus, Sequuntur parentes, vel capite obtecto filij inter amicos penulatos; matres filiæ, vel vxores sparsis crinibus cum fœminis lugentibus, repetentibusq; mortui nomen. Effertur ab ijs, qui mulsum antea bibissent in funesta domo, per forum extra vrbem, vbi comburitur pyra lignis, lege duodecim tabularum, non dolatis extructa, ad funerum sumptus coercendos, quos lege præfinitos qui excesserit, tantundem populo dare cogebatur. Pyra exornatur stramine, coronis gramineis, floribus, thure, odoribus, & pars superior auro, purpura, gemmis: cadauer, antequam rogo imponant, vngunt, osculantur, & eius oculos in pyra aperiunt, vocantq; nomine Quiritum ritu, digito seruato, cui dantur inferiæ, & osse ad purgandam familiam, quod postea terra obtegitur. In pyram conijciunt vinum, lac, sanguinem, equos etiam: qui funus sequuntur eam lustrant a sinistra in dexteram, puluerem alij, alij arma, frenos, cingula, cætera huiusce modi immittentes, & pollinctum cœnam, in qua erat apium, lens, & sal lugubria.

Digitized by Google

gubria. Rogum aqua extinguunt, affinitate coniunctus legit cineres, quæ vino lauantur, & redduntur nono die sepulchro. Nouendiales propterea pulueres dicti Horatio. Sepeliebantur olim domi, & penates culti, sed Duillio Cos. S.C. prohibitum ne quis intra vrbem sepulchro conderetur (quod nec apud Sicyonios licebat, ex oraculo tamen locus, sepulturæ datus Arato, nec licebat in Delo, quare deferebantur cadauera in Rheneam insulam propinquam) hinc sepulchra fuere in exquilijs, mox priuatis agris loco consecrato, in familiam quandoque pariete diuisa, vt coci, medici, pistoris, aliorumq; loculi essent; vel in vrna defuncti nomine inscripto, & imagine viri ex marmore, pueri ex gypso, artis etiam, quam mortuus exercuisset, instrumenta, Græcorum more, vt in Archimedis sepulchro fuit Sphæra, in Elpenoris remigis apud Homerum remus. Triumphantium tamen cineres, & Vestalium, quòd legibus non tenerentur, in vrbem referuntur in foro, Valerijs etiam, & Fabritijs concessum in foro cadauera incendere. Ter vale dicto redeunt à funere, expianturq; aqua consperſi ignem supergredientes, quæ dicitur Suffitio. Græci funesta domo exeuntes lustrantur aqua ante ædes positæ ex alia domo vase fictili. Sacrificia postea fiunt, danturq; inferiæ mortuo, lemuribus, & Laruis sparsa faba, allatis maiorum imaginibus, quæ & circa feretrum disponebantur, & efferuntur, in funere tantum nobilium, quod ius habebant noui homines, vbi Aediles creati fuissent. Filij, vel propinqui, aut si ætate impedirentur orator laudationem funebrem in foro dicebat, laudabantur & matronæ grandiores natu, Cæsar primus iuniorem etiam mortuam vxorem, dabanturq; ludi.

Digitized by Google

Luctus, Turcarum exequiæ Cap. XXVIII.

NVMAE legibus puer trimus non lugetur, maior tot mensibus quot vixerit annos vsque ad decem: decem nanque mensibus semper luctus finitur: si vidua arte nupserit infamis bouem immolat prægnantem. Diebus luctus lugentes in pellibus sunt, & fœminæ Romanæ albis vestibus indutæ (vt Argiuæ) sed his aqua ablutis, Græcæ cæruleis in eorum funere, quos dicunt cœlo recepto Sauro, purpura, annulisq; depositis, viri atra veste, Lycij muliebri, Syri, Lydi, Aegyptij, Sacæ in Serobene Solem videant, quem nec mortuus intueatur, Eegyptij etiam fimo obliti, Priamus apud Homerum tecto capite puluere fœdatus. Populi deponitur luctus, propter publicas, & magnas calamitates veste mutata sumptus, in ædis dedicatione, lustro, voto publico: priuatus si liberi nascuntur, honos accedat in familia, pater, vir liberi, frater post liminio redeant, & in nuptijs. Non lugentur hostes publici, non perduellionis damnati, nec suspendio mortui, qui nec in mortuorum cœnis nominantur, aut qui sibi mala conscientia, non tædio vitæ, manus intulerit. Nemo lugetur apud Thraces aliquos, qui mortem putant miseriarum finem esse, in Thera insula nec Septennes pueri, nec quinquagenarij homines, quòd hi diu vixerint, illi ignorentur qui futuri essent. Iudæi septem tantum diebus lugent, scindunt vestes, capitis ornatum deponunt, quod & in Arabia fecit Iob, vel Idumæa, dantq; populo epulas ferales: nec Argiui diu lugent, trigesimo die Mercurio sacrificant, luctu posito Apollini, carne à Dei sacerdote accepta hordeo dato, quam carnem igne coquunt aliunde petito, dicuntq; ἴγκυιεμα: nec diu Turcæ, apud quos cadauer humi depositum lauant Sacerdotes, quos ipsi lingua, & moribus barbari, Talismanlar appel-

Digitized by Google

appellant, & efferuntur sequentibus propinquis, sepeliuntq; extra vrbem, stragulis sepulchro impositis. Quod tamen scio secus alios tradidisse, vt & alia quandoque quàm ego fecerim. Apud me vero semper antiquior extitit doctissimorum hominum auctoritas, qui multis ante annis scripsere, quàm eorum sit, qui aut viuunt, aut fuere nuper, quos tamen non reprehendam, cum doctrinæ nomen ex maledicentia aucupari (quanquam id aliqui auidius hercle nimis faciant) indignum litteris prorsus existimem, nec satis probati auctoris exemplo, quos hac re saltem, si non potuero alijs, mihi proposui imitandos.

✠

PRIMI LIBRI DE MORIBVS FINIS.

ALE-

Digitized by Google

ALEXANDRI SARDI FERRARIENSIS, DE MORIBVS.

LIBER SECVNDVS.

Vrbes vt condantur, deducanturue Coloniæ, Mœnia, domus qui non habeant, domus, & lapides. Cap. 1.

EXPLICATIS quæ ad hominem ſpectant, iam de vrbe magiſtratibus, & iudicijs dicendum eſt. Qui condunt vrbes, deducuntue Colonias, erecto vexillo æneo vomere, Thuſco, vt ait Carminius, more, ſulco, qui dicitur primigenius, mœniorum loca deſignant, Tauro dextra, vacca ſiniſtra iunctis, ſtiua incurua, vt intra caderent, glebæ, incinctu ipſi Sabino, togæ ſcilicet parte caput velati, parte ſuccincta; vbi portæ futuræ ſuſpendunt aratrum, & intus aris conſtructis ſacrificia faciunt Dijs immortalibus quare aratro etiam euertuntur vrbes, execratis quandoq; qui reſtituiſſent, quod in Ilij excidio feciſſe creditur Agamemnon: alij tellure alba ſignabant mœnia, Macedones polenta, in portis depingitur Minerua, in ſuburbijs Mars, quod intus prudentia, foris armis Imperia conſeruentur: & in Colonia, quæ eſſet auſpicio deducta, dum eſſet incolumis, Colonia noua deduci non poterat, noui Coloni adſcribi poterant. Mœnia ex lapide erant, terra quandoq; Galli trabibus faciunt directis pari interuallo, intra ſaxis poſitis, Aetoli vicos habi-

habitant nullis mœnibus cinctos, inter se distantes, & Cyclopes in Sicilia domos longè ab alijs, cùm vxoribus, liberisq; tantum. Magi sub dio degunt, sic Arymphæi, Hamaxobij, Nomades in plaustris sub tentorijs pilo contextis, vt Hunni, nisi necessitate maxima coguntur ipsi tecta subire: in plaustris etiam Sarmatæ, & Ponti accolæ, Mauritij Aphri in paruis tugurijs, qui & nuda humo cubant, Troglodytæ excauant specus, hæ illis domus, domus & Sarmatis quibusdam, Sardis, & in mœtu Mardis Persis: Aetiopes Nysam incolentes subterraneas domus habitant, vt Iberni, ligneas etiam, sicut Brudini, & Mosynœci, Illiricæ quoq; gentes culmo contectas, Panonij, & Geloni. Hanmanientes Cyrenaicæ gens domos construunt sale montibus exciso, massis salis aqua ferruminatis qui Carrhis sunt in Arabia, Gerrham vocat oppidum hoc Antisthenes. Ichthyophagi cetorum ossibus, quæ xxv. cubitorum mensuram implent, costæ trabes sunt, maxillæ portæ: Gedrosij conchis marinis, piscium prægrandium spinis contectis: in Taprobane in tegumentis testudinum quindecim cubitorum teguntur domus, & apud Chælono: Phagos, qui etiam illis nauigant. Græci publica opera Pentadoro, priuata tetradoro lapide struunt, Romani diodoro, sed his non licebat in Tyberis ripa ædificare: est diodoron lapis sesquipede longus, latus pede, tetradoron palmorum quatuor, quinq; pentadoron.

Romanorum tribus classes, & ordines. Cap. II.

ROMANOS ipsos diuiserat in tres Tribus Romulus, Luceres Ramnēses, Tatios, singulas in decē Curias, has in Decurias, vnde Tribuni, Curiones, & Decuriones: ipsas

ipſas Curias nomine Sabinarum, locorumue vocauit, quæ & Tribus dictæ ſunt: hæ Tullo Rege XXVI. fuiſſe videntur, vel, ut alij credunt, XXXI. quando Coriolanus damnatus eſt XXI. pulſis Gallis additæ à Camillo quatuor, duę à Fabio Maxi. quatuor item Vrbanæ, in qua sSempronius Gracchorum pater Cenſor Libertinos tranſtulit, Liuio ſcribente, XXXV. fuere. Seruius vero Tullus populum diuiſit in ſex claſſes pro cenſu, prima erat poſſidentium centum millium æris, plusue, ſecunda quinque & ſeptuaginta millium, tertia quinquaginta quarta quinq; & viginti, quinta duodecim millium, qui minus poſſiderent, vocabantur capite cenſi: mille æris nunc fortaſſe permutarentur decem aureis. Claſſes diuiſit in Centurias iuniorũ & ſeniorum, ij vt urbis cuſtodiam haberent, illi bella gererent. In prima claſſe erant Centuriæ LXXX. in ſecunda XX. totidem in tertia, & quarta, in quinta XXX. capite cenſi complebant Centuriam, ſed non arma ſequebantur, ſcripti tamen à C. Mario in bello Cimbrico, vel, ut tradidit Salluſtius, Iugurthino. Erant præterea in ſecunda claſſe (primum ſcribit Liuius) Centuriæ duæ fabrorum, in quarta duæ (tres Liuio) accenſorum, cornicinum, & tubicinum. Equitum Centuriæ duodecim ex populi primaribus, tres ex alijs Tribubus eo nomine, quo fuerant à Romulo vocatæ, has Centurias alebant viduæ, quæ bina millia æris in annos ſingulos penderent. Græcorum exemplo, apud quos ditiores equos nutriebant, olimq; pane, & vino. Qui virtute præſtarent, diuiteſq; eſſent, hos vocauit Romulus patres, alios plebem, ex patribus fuere Patricij, qui Remp. regerent.

Sena-

Digitized by Google

Senatores, clientes, & patroni, salutatio. Cap. III.

CENTVM enim delegit Senatores, qui eo absente vrbis curam gererent, & minores causas cognoscerent. sed expulsis Regibus Senatus rerum omnium potestatem habuit, præter quàm creandorum Magistratuum, sanciendarum legum, belli inferendi aut, dissoluendi, quæ tria iubebat populus Patribus auctoribus. Receptis in vrbe Sabinis, addidit centũ alios Senatores Romulus, Tarquinius Rex centum, totidem Brutus, & Publicola coss. Vbi Cicero ab exilio reuersus est quadringenti fuere, & decem, plusùe, numerum auxit Cæsar Augustus pristinum morem reduxit aucto Senatorum censu, vt esset duodecies L L S. cum antea fuisset Octingentorum legebantur Senatores à Dictatore, & Censoribus ex Patribus, mox & ex equestri ordine. Multi tamen non quærebant Senatoriam dignitatem vt molestiam iudiciorum effugerent. Tulit enim Sempronius Gracchus legem, quam & Sylla confirmauit, vnde & Cornelia lex dicta est à Suetonio, vt de eorum Senatorum capite quæreretur, qui falsum testimonium dixissent, coierint, conuenerint, consenserint, venenum malum fecerint, qua lege non tenebantur Equites, nec plebs. Hæc vero colebat agros, exercebatq; artes manibus, & ex patribus singuli aliquos deligebant, quos parentum loco obseruarent, dicebanturq; patroni, & ipsi Clientes, qui patronis vt filij essent, quos tuerentur, Thessalorum, & Athenienſium exemplo, apud quos tamen Clientes seruorum loco habentur, vnde & Athenienses vocant eos φίτας, Thessali, πενεστάς. Coloniæ, Socij, prouinciæ bello victæ patronos etiam Romæ habebant, vt Lacedæmonij Claudios, Allobroges Fabios, Campani

Digitized by Google

Ciceronẽ Siculi Marcellos: nam ij Romani Duces, qui ciuitates aut nationes deuictas bello in fidem recepissent, eorum patroni erant more maiorum. Mane patronos adibant Clientes salutatum, Aue dicto osculabantur. Si patroni non prodirent pro valuis statuam œneam appositam Clientes venerabantur: Gracchus, & Liuius Drusus salutantes segregarunt alios recipientes, alios foris sinentes: & cum aliquem die Romani ipsi semel salutassent, etiam si viderent, non iterum salutabant, quod significat apud Varronem Q. Lucienus. Antiquorum vero salutatio fuerat iungere dextram, addito salutationi iuramento, vt illud Terentij, Salue mi castor Parmene.

Plebi mox Magistratus demandati, sic Athenis ἀπατρίδαι, Remp. capescebant, qui illustriores erant, mox etiam ἀγροῖωμοι. Nonis conueniebat populus in Vrbe, & ferebat suffragia de illis rebus, quarum cognitionem diximus ipsum habere.

Suffragiorum ratio, Magistratus maiores, minores, ostracismus, Petalismus. Cap. IIII.

SVFFRAGIA ferebant Romuli instituto viritim, quomodo damnatus est Martius Coriolanus. Nam nec ciuis Romanus capite damnari poterat, quo nomine exilium continebatur, nisi populo iubente, & lege duodecim tabularum comitijs Centuriatis. Seruij vero Tulli instituto tulere suffragia per Centurias, quæ CXC. erant vel CIXC. primum primæ classis centuriæ vocabantur LXXX. totidem suffragia dabantur, quibus si res non decerneretur, vocabatur secunda classis, & hoc modo aliæ; hæc dicebantur Comitia centuriata, illa curiata; & edicebantur per lictorem, Centuriata per cornicinem, habebanturq;

Digitized by Google

banturq; in campo Martio extra vrbem, quod in Ianiculo adhiberetur præsidij causa exercitus antiquo seruato more, ne propinqui hostes, dum populus in Campo esset, vrbem inuaderent, qui quidem exercitus in vrbe imperari non poterat. Centuriatis istis comitijs creabantur Magistratus maiores, quos esse dixit M. Messalla in primo de Auspicijs Consules, Prætores, Censores: alios minores, qui dabantur Tributis Comitijs, cum ex Tribubus suffragia ferunt. Cicero Censores quidem Centuriatis Comitijs eligi solitos scribit, patricijs vero Magistratus dari Curiatis, nouis hominibus Tributis per tabellam. Nam Cassius Longinus C. Mario, & Cn. Flacco Coss. legem tulit, vt Tribus puncto in tabella facto eligeret Magistratus, tunc fiebat sortitio, & præco renunciabat quem tribus elegissent, & iterum de omnibus iudicabatur, vt esset reprehendendi potestas si populum beneficij sui pœniteret, adeo vt populus Ro. de omnibus Magistratibus bis suffragia ferret. Postea vero Curiata Comitia abolita, Centuriata tantum, & Tributa relicta. Centuriatorum, & Curiatorum auctores esse necesse erat ex patricijs. Candidati deprehensa dextera ciues orabant, absq; tunica in campo, vt cicatrices vulnerum, quæ bello accepissent, ostenderent. Calpurnius deinde legem tulit de ambitu, & S. C. factum est referente Cicerone, si mercede corrupti obuiam candidatis essent, si conducti sectarentur, si gladiatoribus vulgo locus tributim, & item prandia si vulgo essent data, contra legem Calpurniam factum videri. Curiæ vero scribebant nomen candidatorum, quibus suffragarentur, & quod pluribus esset visum Curijs ad Senatum referebatur. Dabant etiam suffragia voce, & acclamatione Lacædemoniorum exemplo, item pedibus transeundo in dextram partem, quæ Discessio dicitur, & manuum elatione, hanc Cicero vocat porrectionem, Græci χειροτονίαν, qua maximè vtuntur in Magistratibus creandis. Candidatorum

enim nomen præco renuntiabat in Concione, si placuisset, tollebant manus: si alij protulissent, alij nequaquam, de illo rursus referebatur. Sorte quandoq; ductis, qui Comitijs præerant, dabant Magistatus, qui λαχόμενοι dicuntur ἐπιλαγχανόντες, substituebant, qui prioribus mortuis, vel impeditis gererent Magistratus: in Concionibus vtuntur discessione, si Oratoris orationem probarent, prope suggestum ibant. primo foliis suffragabantur, mox nigra, & alba faba, hac probabant, illa aspernabantur, quod & Aetoli consueuere, inde. Fabis, hoc est à Reip. administratione abstinendum Pythagoram præcepisse videtur Plutarcho: Lapillos deinceps, quos dicunt ψήφους vnde ψήφισμα, quod populi scitum est apud Ciceronem: chœrinis etiam Athenienses, hæ sunt conchæ marinæ, ad quarum exemplum fecere calculos æneos. Ostracismus fiebat testis inscriptis, vt Syracusis Petalismus olearum frondibus, hoc quinquennale, illud decennij exilium non criminis causa, sed nimiæ vel potentiæ, vel virtutis.

Leges vt ferebantur Athenis, Scribæ, qua re scriberent antiqui. Cap. V.

VBI vero rogatio Athenis ferenda fuisset, primo, iussu Solonis, legebatur à legislatore, proponebatur deinde loco celebri in foro vsque ad tertiam concionem, inde scribæ dabatur palam legenda in concione, quæ habetur loco, qui dicitur Pycne, vt Spartæ scias, quem fecit Theodorus Samius. Scribæ ipsi apud Romanos erant, & habebantur mercenarij, apud Græcos nemo ad id officium admittebatur, nisi honesto loco natus, fide, & industria cognita, quòd necesse esset eum omnium consiliorum esse participem. Si populo placuisset lex à Scriba lecta, dabatur exploranda Nomothetis, iudices

Fabius

Digitized by Google

Fabius vocat hac de re agens, quod ex iudicibus eligerentur. Scriptæ vero proponebantur ante carthæ vſum, in tabulis, quæ ἄξωνες, & κύρβεις dicuntur: ſed ἄξωνες fuere auctore Theopompo in libro περὶ Δοσβυάς, ex ligno quadratæ pacta continentes, κύρβεις ex ære trianguli forma, in quibus ſcribebantur leges de rebus publicis, Sacris, Magiſtratibus, bellis, aliiſq; à Corybantibus inuentæ, vnde & habuere nomen. Apud Demoſthenem tamen ἄξωνες legum ſunt, quibus pœnæ criminibus decernuntur, apud Plutarchum legum omnium, qui & κύρβεις vocantur, quod etiam ſcripſit Ariſtoteles. Quidam crediderunt κύρβεις ſacrarum rerum eſſe, ἄξωνες aliarum. Antiqui ante cartham pulmarum foliis primum ſcripſere, maluarum etiam, vt indicat C. Helius Cinna, & Tilia, deinde quarundam arborum libris, aceris maxime cera illitis, poſtea plumbeis voluminibus publica monumenta, priuata linteis, & ceris. Cartham ex papyro poſt Alexandri victoriam repertam in Aegypto auctor eſt Varro, quam ſupprimente Ptolemæo membranę Pergami inuentæ ſunt. Caſſius tamen Hemina prodit Cn. Terentium ſcribam [L. Poetilium vocat Liuius] agrum in Ianiculo repaſtinantem offendiſſe arcam, in qua erat Numæ cadauer, eiuſq; libri è cartha: & Mutianus refert cum ipſe præſideret Lyciæ, in templo quodam legiſſe Sarpedonis æpiſtolæ cartham à Troia ſcriptam. Scribebantur epiſtolæ plerunque à Romanis in tabellis ceratis graphio ferreo, vt oſtendit T. Quintus Atta Poeta, deinde ſtilo oſſeo, linoq; obligatæ cera appoſita ſignabantur. Iones papyri penuria in pellibus bubulis, & ouinis ſcribebant, vt barbari plerique.

Leges

Leges vt ferebantur Romæ, Aerarium. Cap. VI.

ROMANI suffragijs Curiatis rogationem vel approbabant, vel aspernabantur. Nam post quam trino nundino pronuntiata fuisset rogatio, Auguribus de cœlo seruantibus, obnuntiantibusq; & intercedentibus si malum portendi vidissent, conueniebat populus in Campo Martio in concione confusus (quanquam in Aede Vulcani in foro conciones aliæ sæpius haberentur) & qui ferret recitabat legem: postea in suam quisque Tribum descendebat: singulis Tribubus apponebantur pontes, mensæ scilicet angustissimæ altioribus pedibus cistam sustinentes cum suffragiorum tabellis singulis hominibus binæ dabantur, altera inscripta littera A, qua rogatio aspernebatur, altera vti rogas, & hac probabatur, singuli alteram in cista ponebant, si à populo reciperetur, erat Lex, & tabulis æneis scripta his verbis additis. Si quid ius non esset rogari, ea lege nihilum rogatum, condebatur in Aerarium, quod erat in Aede Saturni, in quo etiam seruabantur libri elephantini Tribuum nominibus scripti, præda ex hostibus relata, diplomata, & S. C. Athenis vero ærarium erat post ædes Mineruæ, quare, & ὀπισθόδομος dicitur, leges vero Solonis conseruabantur in Prytaneo.

Senatus Consultum, Senatus Auctoritas, Intercessio, Senatores Curules, pedarij. Cap. VII.

SENATVS autem nihil decernere poterat nisi referentibus ijs, quibus Senatum cogere licebat: qui erant

erant Dictator, Coss. Prætores, Tribuni plebis, quod tamen negat Dionysius, Inter rex, & vrbis præfectus. Qui referrent ad Senatum proponebant primum res diuinas, mox humanas, & referebant aut infinitè de Rep. aut finitè de rebus singulis: si approbassent omnes erat S. C. per discessionem. Si non approbassent Consul sententias rogabat, & primum à Coss. designatis, & ex ijs ab eo, qui priori loco renuntiatus esset, vel plurimum liberorum pater, mox rogabat Aediles, & Consulares viros, deinde alios, & quo ordine in interogandis sententijs vsus fuisset Cal. Ianuarijs, eundem seruabat toto anno, quod neglectũ fuit à Cęsare in Consulatu, cum post affinitatem contractã cum Pompeio, illum primo rogaret. Rogatus dicebat quicquid vellet ante, quàm alius interrogaretur, quare qui nollet res decerni dicendo ducebat diem, quòd nec ante ex ortum Solis, nec post occasum fieret S. C. nec post decimam horam relatio noua. Interdum sententiam rogatus iurare solet per Iouem, Deosq; penates se, & ardere studio veri reperiendi, & ea sentire, quæ diceret. Si Senator in dicenda sententia duas res, aut plures complecteretur, nec probarentur omnes, postulabatur vt diuideret sententiam, & de singulis rebus referet ad Senatum. Quod maior pars Senatorum decreuisset scribebatur à patribus, aut scribis, & deferebant ad Tribunos plebeios, qui sedebant ad fores. Senatus: si litteram T. ipsi subscripsissent, erat S. C. & deferebatur in ærarium, si ad principem spectaret, scribebatur libris elephantinis. Si Tribuni interces sissent [intercedere enim ipsi poterant, & Magistratus, qui maior esset, quàm is, qui Senatum conuocasset) aut si quid statutum esset vel die nefasto, vel loco non sacro, vel non legitimo Senatu, Senatorumue numero, non dicebatur S. C. sed Senatus auctoritas. Loco quippe ab Anguibus consecrato necesse erat Senatus haberi, & habebatur tribus maxime locis, quæ Senacula dicuntur

dicuntur à Nicostrato, & Val. Max. altero in æde Concordiæ inter Capitolium, & forum, altero ad portam Capenam, tertio extra vrbem in æde Bellonæ, quo loco dabatur Senatus Imperatoribus ante triumphum, & legatis exterarum nationum, quos in vrbem non admittebant. In Capitolio vero consulebatur de bello, legitimus Senatus erat olim Nonis, deinde bis singulis mensibus Cal. & Id. Si quid noui incidisset, quod differri non posset, habebatur Senatus indictus, qui non erat legitimus. Eodem modo Athenis νόμιμος ἐκκλησία erat ter in mense, σύγκλητος vbi quid incidisset. Legitimus Senatorum numerus ad S. C. erat centum si plures fuissent; dicebatur Senatus frequens. In fine S. C. recitabatur eius nomen, in cuius sententia factum esset, Græci præponebant Consul vero, vel qui conuocasset Senatum, dimittebat his verbis. Nihil iam vos moramur P. C. Senator, qui sexagesimum quintum annum excessisset, non cogebatur venire in Senatum, quinquagenarius vacat à bello, septuagenarius à muneribus omnibus. Cæcus Senatorium ordinem retinet, iudicandi munus, & Magistratum, alium petere non potest, nec in iuditio postulare, quare à Bruto aspernatus est, vt refert Labeo, P. Cæcus. Qui curulem Magistratum gessissent, curuli sella veniebant in Senatum, & ij, quod notat C. Bassus, dicuntur curules Senatores: qui exercitum duxissent, cum sceptris, quod postea tantùm datum est Consularibus: alij qui pedibus veniebant in Senatum, dicebantur pedarij. pedarij etiam Equites, qui ius dicendi sententiam in Senatu habebant, sed nondum lecti erant, quos significasse opinor Ciceronem oratione prima in Catilinam: erantq; ij, qui opibus penè pares Senatoribus essent, qui non vocabantur cum aliquid fantiendum esset, quod Senatores sciri nollent adhibito vel iuramento, & maioribus tantùm, id non à satis bene latinis hominibus dicitur S. C. tacitum cum aliqua

qua vis ab hoste imminēret, qua cogeretur Senatus non eo ordine dignum captare consilium, vel ea decernere, quæ perficiante, quàm renuntiari opus esset, aut quæ nolint amicos, & socios rescire.

Athenienſium Reſp. tribus, Phylarchi, Ciues. Cap. VIII.

HAC quidem apud Romanos. Athenis vero quingentorum curia erat, quinquaginta è singulis Tribubus, quæ decem fuere, lectis. Quinquagintaque, id est Tribus vna, quæ dicebatur πρυτάνεις, singulis mensibus præerat, & hæc curia dicebatur Resp. absque quorum consilio, rescripta antè Senatum, & concionem, nihil ad populum referri poterat, qui in concione sedens omnia iubebat. Instituta primum curia hæc à Solone ex quadringentis tantum, centenis ex singulis Tribubus, quæ quatuor erant, & dicebantur Cecropis, Antochthon, Actæa, Paralia: post Cranaum Cranais, Atthis, Mesogæa, & Diacris: post Erichthonium Dias, Palladia, Neptunia, Vulcania: ab Ionis filijs, vel exercitio Hoplitæ, Aegicores, Argades, siue Hergades, & Peleontes, siue Georgi, quæ tamen nomina apud Pollucem corrupta leguntur. Tribus quæque diuidebatur in tres partes, pars τριττύς dicebatur, τριὰς, & φρατρία. Ab Alcmæone tandem post Pisistratidarum tyrannidem Apollinis oraculo Athenienses in decem Tribus redacti nominibus nouem Heroum ex Attica, & Aiacis ceu finitimi, & socij, qui omnes ἐπώνυμοι vocantur. Dictæ igitur sunt Erechthis, Cecropis, Aegis, Pandionis, Acamanthis, Antiochis, Leontis, Oenis, Hippothoontis, & Aeantis, totidemq; Phylarchi instituti, Tribuni scilicet: additæ inde duæ Antigonis, & Demetria, quæ mutato nomine Attalis, & Ptolemais

lemais dictæ sunt. In Tribu erant triginta familiæ, in familia triginta viri ijsdem sacris initiati: cum in Tribum reciperentur fiebat εἰσιτήρια, & sacrificium, quod μῦον dicunt. Hi erant ciues, qui & singulis diebus habebant obolum ex ærario, inquilini pendebant tributa, drachmas duodecim ærario tres obolos scribæ: Sed vbi septem annis fuissent Athenis, ciues habebantur: Remp. vero administrabant tantùm ij Periclis leges, qui Athenienſibus vtrisque parentibus nati essent.

Tribus Iberum, Sictoniorum, Persarum, consilium, sententiaq; de Repub. Artyni, Amnemones Aeinantæ. Cap. IX.

QVATVOR quoque erant Tribus Iberum in Asia, ex prima duo Reges deliguntur, iunior exercitus Dux, senior Iudex: secunda Sacerdotum est, militum tertia, & agricolarum, quarta vulgi, qui Regibus seruiunt: Sicyonum quator, quas Clysthenes vocauit Archelaos, Hyatas, Oneatas, & Chœreatas, sexaginta vero annis post eas dixere Sicyonij Hylleas, Pamphylos, Dymanatas, & Aegiales ab Aegialo Adrasti filio: Persarum tres Patiscores, Achemenidæ, ex qua fiebant Reges, & Magi: apud eos consiliorum particeps nemo est, nisi optimates silentio spectari, res maximas inter pocula in conuiuio decernunt. Apud Epidaurios centum & octoginta Remp. administrant, ex eis ἄρτυνοι deliguntur, qui Principes erant. Cnidij sexaginta optimates deligunt, qui vocantur ἀμφίμονες ad quos referunt de maximis rebus, qui sententias rogat dicitur ἀρεσκ. Apud Gallos nonnisi per concilium loqui de Rep. conceditur: ex mercato-

catoribus, viatoribusq; quærunt quid de re quaque audierint, hisq; rumoribus plerumque de summis rebus consilia ineunt. Germani Principes res minores consilio decernunt, maiores populus, conueniunt enim nascente Luna, aut plena armati, audiunt Principes, si sententia placuerit concutiunt frameas, si displicuerit fremitu aspernantur. Aethrusci nono quoque die salutabant Regem, & de rebus proprijs consulebant. Cal. Ian. Nomades Scythæ de rebus omnibus, quæ anno acturi sunt: Achæi de Rep. apud Cerauniam luco Ioui consecrato, Iudæi in vrbium portis, Milesij in naui, vnde ἀπὸ τραύτας dicuntur Mileti Magistratus. Syracusis si qua de re ad Senatum refertur, dicit sententiam qui velit, nominatim rogatur nemo: tamen vt quisque in honore, & ætate antecedit, ita primus solet sua sponte dicere: Si tacent omnes, sortiebatur litteris qui primo loco, qui secundo, qui deinceps loqueretur.

Senatus Spartæ, Ephori, Patronomi, Reges. Cap. X.

SPARTAE vero sententiam nemo dicit ante, quàm Reges, & Senatus rem statuissent. Senatus dicebatur Gerusia ex viginti octo senibus (sic eorum consilium publicum vocat Cicero) à Lycurgo instituta; in demortui locum eligebatur populi clamore sexaginta annis maior senex virtute insignis, quare Gerusia vocatur ab Aristotele virtutis præmium. Qui deligitur coronatus circumibat templa Deorum, iuuenibus eius laudes celebrantibus mox in conuiuio portionem seruabat, quam ex phiditio exiens probatæ fœminæ daret, hanc reliquæ propterea venerabantur, Theopompus postea Rex ad audatiam populi, & senium, Regumq; tyrannidem prohibendam in-

ſtituit quinque Ephoros, qui grauioribus negotijs præeſſent, & Remp. abſente Rege adminiſtrarent, eligerenturq; à Regibus. Horum potentiam, & auctoritatem auxit Aſteropeius, ipſiq; conſtituere ἐφορίαν Magiſtratum, cauſas cognoſcebant, Regibus etiam denuntiabant mortem, quare à Cleomene veneno ſublati ſunt, & eorum loco inſtituti patronomi. Solebant vbi primum Magiſtratus inijſſent Ephori ſeruis indicere bellum, qui cum Meſſenijs fuere aduerſus Spartanos, & ſingulis edicere vt barbam raderent, quo vel leuiori re diſcerent Magiſtratibus parere. Reges duo erant ex Proclis, & Euryſthenis Ariſtodemi. Hercule geniti filiorum familijs, qui duo ex Heraclidis primi regnarunt Spartæ. Decernebant cum ſenibus res, duo dabant ſuffragia, ducebant exercitus, ſed à militia vacabant poſt quinquageſimum quartum annum, partem habebant ex ſacrificijs omnibus, & in cœna duas, vt altera alium honorare poſſent, mortui Heroum honore coluntur, filij in Regnum ſuccedunt patre Rege nati, & ſi alij ante fuerint, ſic apud Perſas Xerxes Darei filiùs. De Rege iudicabant Senos, Ephori, & alterius familiæ Rex. Cleomene verò mortuo in Aegypto Lacedæmonij Regio principatu liberati ſunt.

Perſarum Rex, eius Inſtitutio, qui Reges tanquam duos venerentur, Indorum Reges, & priſci, quique abdicantur, phylacus. Cap. XI.

AT quo die Perſarum ille Rex naſcitur, hanc quaſi Deorum Immortalium feſtum, & ſolemnem celebrat omnis Aſia. Infantis curam habent Eunuchi, vt recto, & pulchro corpore augeſcat, ſeptimo docetur anno agitare

agitare equos, quartodecimo quatuor traditur Regijs magistris, ex Persis omnibus sapientia, iustitia, temperantia, fortitudine præstantibus delectis, ij Regem docent Magiam institutam à Zoroastre Deorum religionem continentem, & instituta regia, veritatem colere, affectus comprimere, nihil extimescere. Regnum capescens remittit tributa (vt Lacedæmonij Reges regium debitum) & Pasagordæ in Deæ templo Cyri, cuius sepulchrum in eo oppido est, vestem indutus edit caricas, & terebinthum, oxygala bibit, reliquo tempore aquam ex Eubeo, & Choaspe Mediæ fluuijs, quæ omnibus alijs minus crassa est, vinum Chalybonium ex Syria, tritico vtitur ex Asso Troadis, capite myrrha vnguento pallido, cydari solus erecta: in eius solio, quod aureum erat, quatuor columellis cinctum gemmis ornatis, sedisse capitale: mensæ discumbebant mater tantum, & vxor, fratres admisit Artaxerxes: hyeme degit Susis, æstate in Ecbatanæ montibus, Autumno Persepoli, vere Babyloniæ, vere ait Plutarchus Susis, hyeme Babyloniæ. Ad Regiæ ianuam optimates stant, vt eorum opera, ad quæ voluerit Rex, vti possit: tripus etiam ferrea, quam qui in se Regem iratum sentiunt, adeunt, sententiam expectantes, quoniam ei, cui irascitur, non parcit ante, quam ipsum in potestatem habuerit. Dormientem custodiunt trecenæ fœminæ ad lucernam saltantes, ad caput lecti sunt quinque millia auri talenta, ad pedes tria millia, supra vitis aurea racemis ex lapillis, matutinis horis excitatur his verbis Surge, cogita quæ te cogitare voluit Mesoromasdes: hic fuit Zoroaster Orimas Dei filius pro Persis sacra facit, eosq; adiens singulis munera dat, quod sic fecisset Cyrus ex Media rediens: ipseq; à Persis munera recepit, ab agricolis boues, pecudes, vinum, triticum, ab ijs, qui pauperiores sunt lac, caseum poma. Conseruat in Thesauris ex Nilo, & Istro aquam, tanquam, quod refert Dinon, qui

γερε-

Persica scripsit, terrarum omnium dominus: ignis præfertur, obuij manus implicant tunica post tergum, ne quid agere possint, veneranturq; Regem, quem allocuturi proni accedunt προσκυνεῖν id dicunt, nec enim audiunt, qui non adorauerit, quare dixit Aeschylus Persas, & Assirios Deorum loco habere Reges. Sed horum etiam Regis statua Babylonia aurea erat, quam qui vrbem ingrederentur, nisi Romanorum Legati essent, venerari cogebantur. Sic & Deorum loco Reges habent Aethiopes, Meroitæ, & Indi, quorum Rex non permittitur interdiu dormire: vbi capillos pectit, ornatve (qui dies maxima celebritate colitur ab Indis) audit legatos in Regia; vbi auratæ columnæ sunt vite aurea circumdatæ, auibus argenteis; in publicum progressurus, præferunt ministri thuribula argentea, iter spargunt odoribus, ipse lectica fertur aurea margaritis circumpendentibus, carbasis indutus auro, & purpura distinctis; breuiori itinere elephanto, equoue, longiori curru vehitur elephantis auro opertis tracto, sequuntur corporis custodes, & pellices. Cœnans incubat lecto stramentis facto, propter eum quinque alij ipsi cognatione iuncti: quinque & viginti (nam triginta homines Rex mensa communicat) sedent mensa, quæ semicirculi forma est, in medio ponitur, lauro strata, & ramis quibusdam myrto simillimis, quibus vnguenta stillant; ministri pisces imponunt, aues, leones integros, capreas, apros, & tigrium clunes; Conuiuæ relictis sellis mensam petunt, & parte ab animantibus aulsa, redeunt ad sellas, atque carnem cum pane edunt. Iam vero cibo pleni crateribus maximis aureis, & argenteis incumbentes bibunt. A cœna pueri fundis in alium puerum iaculantur lapides, quibus pueri capillos contingunt tantum, vnus etiam sagitta. Pellices Regem somno sopitum in cubiculum ferunt noctis Deos inuocantes, adsuntq; homines canentes ad tibiam, qui præcantur vt il-

cun-

cundissimis somnijs vratur, & benignus exurgat ijs, qui eius Imperium perferunt. Si quæ pellicum ebrium Regem viderit, interfeceritq; successori nubit, filio scilicet Regis: si non adsunt, illi, qui virtute alios præcesserit, hunc enim Indi decernunt Regem, vt & in Sicilia factum est Aeoli genere mortalitate intercepto, antiquorum ritu, qui non ad Principum progeniem deferebant Regna, sed ad homines meliores, & qui plurimum de genere humano meriti essent. Gordij Regem constituunt, qui maximo est corpore, sic Macrobij Aethiopes, qui & his mandant Magistratus, & pulchris. Cathei pulchriorem Regem decernunt, Medi montes incolentes fortissimum, Alatemnij in Aphrica pedibus velocē, Sitones fœminas, quæ & Semiramis lege in Asia imperant; Procemphanæ Aethiopes canem Regem habent, cuius nutus veluti Imperia obseruant: Chatramotitæ in Arabia eum, qui nobili genere Rege aliquo constituto, primus natus est: Aethiopes Regum sororis filios; si desint, eum qui alios vel forma, vel pastorali scientia, vel robore, vel opibus superet: Si Regi abscissum aliquod membrum fuerit, idem patiuntur domestici, & cum ipso etiam mortem: Arabes omnes ferè fascijs fœdissima adulatione in suo corpore ligant partes, quæ in Rege male affecta sunt. In insula Taprobane populus decernit Regnum seniori clementia illustri, absq; liberis, quos si susceperit Regno abdicant rectores illi dantur triginta eum obseruantes, si deliquerit, ipsum cæteris fugientibus, tanquam impurum, morte multatur. Id retulit Rachias Princeps legationis à Taprobanes Regem Claudio Principi missæ. Abdicantur & apud Burgundiones Reges, qui Hendini dicuntur, vbi male pugnatum est, aut frugum copiam tellus negauerit: mali plectuntur apud Cumæos, præmio afficiuntur boni, quod iudicium cum Senatus noctu faceret, Reges ipsos Magistratus, qui φύλακες dicitur, manibus tenebat. Argiui Deiphonte à

filijs

filijs interfecto, Regiam poteſtatem vſque eo in ordinem coegerunt, vt Regibus Regni tantùm nomen reliquerint, Meltan etiam capitis damnatum Imperio ſpoliarint. Moſynœci Regem, quem ſuffragijs deligunt, vbi culpam prauè imperando meruerit, inedia diei afficiunt.

Reges Parthorum, Aegyptiorum, Regum inſigne, Lucumones, Conſulum ornatus, Romanorum Reges, Reginæ, Regum nomina. Cap. XII.

IN Arſacidarum genere apud Parthos non legitimè regnare creditur, qui natus ex turpi, nefarioq; matris, & filij concubitu non ſit: huic tantum licet in aureo lecto cubare. Aegyptiorum Reges ſunt ex Sacerdotibus, ſi forte aliquando ex militibus fuerint, primum diſcunt à Sacerdotibus rerum diuinarum ſcientiam, quòd turpe putent Regem, qui Dei ſimulacrum ſit, ignorare Deos: in menſa præter anſerem, & vinum apponitur nihil præterea, Diadema aſpidis imagine habent, vel Leonis, aut tauri, inde inſtitutum animalia diuinis honoribus Aegyptios colere. Græci Reges olim galeas, & Regni inſigne ferebant haſtam, quod σκῆπτρον dicunt, in ſummo ciconia, in imo Hippopotamus erat, vt continuò admonerentur violentiam cohibendam, ſectandam pietatem, cum ciconia parentes alat, Hippopotamus occidat. Regum Aethiopum ſceptrum aratro perſimile erat, Lydi ſecurim geſtabant, quam Hippolyte ablatam dederat Omphali Hercules. poſtea Regius ornatus fuit ſceptrum, diadema, aurea corona, myrtea quandoque mitra lapillis diſtincta, veſtis aurea, longaq; Chlamys purpurea cum fimbrijs, & gemmis, rubri calcei. Antigonus pro diademate hederam, pro

ſceptro

Digitized by Google

sceptro tenebat thyrsum Liberi patris exemplo: alij Macedones Chlamyde, crepidis, causia, & diademate, fascia scilicet circa frontem, ornati erant. Aethruscis singulis Regibus, quos Lucumones dicebant, singuli lictores praecedebant cum fascibus, si communiter omnes conspirassent, duodecim lictores vno, tot enim erant vrbes: corona is vtebatur aurea, sceptro eburneo aquilam in summitate tenente, tunica purpurea auro intexto, purpureo etiam amictu vario (vt erat Lydorum, & Persarum Regum) sed ij quadratum, vt Graeci stolas ferebant, Aethrusci rotundum, quas dixere Romani togas: has cum fascibus, sella curuli, caeterisq; accepit ab Aethruscis Tarquinius, quibus & vsi sunt Cos. corona excepta, sceptro, & toga picta, quae tamen triumphantium erant, vt purpura omnium Magistratuum, praeter quam Tribunorum, Romanorum Regibus cura sacrarum aedium erat, sacrificiorum, legum, ius dicendi, Senatum cogendi, res cum patribus decernendi, & conuocato populo in vulgus proponendi (vt antiqui Reges consueuere more vel ab Homero demonstrato) quod pluribus visum esset agendi, exercitusq; ducendi. Mortuo Rege Senatus à populo potestate accepta creabat Interreges ex patribus, qui singuli quinque diebus imperarent. Hi optimum virum eidem, vel externum designabant Regem; quem si S. P. Q. R. probassent, Rex erat, si displicuisset, alios proponebant. Seruius Tullus iussu populi regnauit absque Senatus auctoritate. Possidebant olim solam Romam, vt singulas Graeciae vrbes singuli Reges à legibus haud quaquam liberi, tanta paupertate vt vxores etiam cibum coquerent: Regnis mox data colus aurea, & Persarum, Assyriorumq; Regum vxoribus ad quosque corporis ornatus vrbes, & prouinciae. Aucta potentia, & opibus Reges ipsi dicti Ioues à Belo fortasse Iouis filio Assyriorum Rege, vel ab Iouis planeta, qui in quinta Leonis parte οἰκοδεσπότης, genitis

Regnum, vel coronam saltem portendit. Lydorum vero Reges omnes dicebantur Palmes, Bithyniæ Nicomedes, Latinorum Murrhani, Albanorum Syluij, Parthi Arsacidæ Aegyptij Pharaones, Pharao enim eorum lingua Regem significat, mox Ptolemæi: Athenienſium Reges vno nomine cognominabantur Cecropidæ, Corynthiorum Cypſelidæ à Cypſelo, qui pulſis Bacchidis Corinthiorum regno potitus eſt Damaſci in Syria Adadi ab Adado fortiſſimo viro, qui bellum geſſit cum Dauide Iudæo: Palæſtinorum Abimelechi, Humbrum Cacani, Longobardorum Flauij, à Flauio Anthari tertio Rege, Nomadum Scytharum Canes à Cangio, cui paruere primum, Solis radijs genito.

Cæſares, Auguſti, Congiarium anni principium, menſis, & dierum. Cap. XIII.

ROMANI principes, in quos omne ius, omnemq; poteſtatem populi detuleranr, dixere Cæſares Auguſtos deinde quando conſotiarunt cum alijs Imperium, qui vocati ſunt Cæſares. Auguſtum ſcuto pedibus ſubleuatum ſalutabant milites impoſito diademate, ipſe, ſi voluiſſet, collegam dextra tenens in conſpectu militum pronuntiabat Cæſarem: Sed M. Antoninus philoſophus L. Aurelium verum fratrem Auguſtum dixit, tunc primum Romani duos Auguſtos habuere. Qui ab exercitu extra vrbem Princeps ſalutaretur, Romam mittebat imaginem vt ſe facilius populo Ro. inſinuaret: publice honorabatur imaginibus, thure, & hoſtijs in templis: his imaginibus adiungebant alij ciuitates illuſtriores dona ferentes, alij victorias, quæ coronas Principis capiti imponerent, nonnulli Imperatores, & Duces Principem venerantes, vel

fera,

Digitized by Google

ferarum confectiones, instructas acies, hostes bello victos, cæsos, aut supplices, Iulianus dicitur apposuisse Lares (sic vocat Cicero Dæmones) antiquæ Theologiæ sectator maximus. Princeps ipse oratione habita ad milites, vel in Senatu, Iouis, Deorumq; templis consalutatis, sacrificio de more facto, præcedente igne & virgis laureatis, purpura indutus conferebat se in aulam palatinam faustis acclamationibus prætorianis sequentibus, & populo, militibus pecunia diuisa, congiario populo, missis scilicet in populum tesseris, quæ plerumque fiebant ex gemista, & vt quisque arripuerat, quæ in his erant impressa, à diribitoribus accipiebat, oleum, vinum, triticum, alitilia, vestes, argentum, vasa, equos, pecora, seruos. Igne etiam præcedente veniebat in publicum amictu purpureo, sequente milite, & Romanis iuuenibus, quos Nero, qui vocales maxime essent, per classes diuiserat, vt ei applauderent. Hominum etiam humeris Princeps ferebatur, exosculandas manus porrigebat, & pedes, quod primus fecit Caligula, non feciſſe laudatur Traianus. Fasces vero, nec Scipionem habebant ipsi, nisi à Senatu accepissent Consules facti. Ingredientes Senatum sacra faciebant, vt & Cæsar, quo die interfectus est. Peregre profecturi, & redeuntes Senatores osculo excipiebant. Fortunæ aureum habebant simulachrum in cubiculo, quod morientes ad eum trasmittebant, quem in Imperio successorem voluissent. Romani post Cal. Ian. die tertio vota suscipiebant pro salute Principis. Cal. ipsis Magistratus solemnem purpuram induunt, populus sacra, votaq; faciunt, thus apponunt Laribus, Iano caricas, caryotidas, & mella, pestes lauro ab amicis misso coronant, hinc Propertius.

Mirabar quid nam misissent mane Camœnæ
Ante meum stantes Sole rubente thorum.

Mittunt & numismata, Magistratibus laurum etiam; quid Apollini Medicinæ Deo sacra salutem afferre credatur: se

salutant, profanis verbis abstinent, irrogant nulli pœnam, quòd anni, & mensis principium sit. Indi vero inchoant menses vbi cornua crescunt Lunæ. Galli nocte menses, annos, diesq; quòd se Dite patre prognatos dicunt: annum Athenienses à Solstitio, Aegyptij etiam, tunc enim Nilus Aegyptum irrigat: qui in Asia sunt, & iam Græci ab æquinoctio autumni, à verno Arabes, Damasceni, & Aethiopici, Romani olim post brumam, Iudæi mense Octobri, quo tempore mundum ipsum factum dicunt. Diem ipsum Babilonij incipiunt à Solis exortu, ab occasu Athenienses, multi in Vmbria à meridie, Romani à media nocte: qui & decimum quenque annum Imperij solemnem celebrant, vnde fortasse vicenalia, & tricenalia Principum apud eos auctores leguntur, quos non satis bene Latinos hoc libro diximus, cuiusmodi fuere Capitolinus, Vopiscus, Ammianus, Cassiodorus, alij huiuscemodi. Principes enim Imperium administrabant toto vitæ spatio, alij Magistratus Romani plerunque annui erant, vt & Athenienses, & duo Reges Carthaginiensium, Dictator sex mensium.

Dictator, AEsymnetæ, Archi, Harmostæ, Magister Equitum, Tribuni Cælerum, præfectus prætorio Palatini. Cap. XIV.

ANNO enim vrbis CCLVI (triennio ante tradit Liuius) bello Latino S.C. iussum vt abdicatis Magistratibus, Senatus virum eligeret, qui legibus non teneretur, & à Consule diceretur, omniumq; rerum ius summum, & liberum Imperium haberet sex mensibus tyrannica potestate Regia maiore, quem populus confirmaret.

Dictus

Digitized by Google

Dictus est Dictator à Q. Cloelio Siculo Cos. T. Largius Flauius, qui & anno CCLIII fuerat Cos. quo anno defecere à Romanis Latini, sed non nisi triennio post susceperе bellum. Dictatorem creasse Romanos Albanorum exemplo credidit Licinius. Post enim Amulij, & Numitoris mortem Albani Regio genere deleto, annuum Magistratum Regia potestate hoc nomine legerunt, vt fuit Metius Suffetius. Tamen post Amulium, & Numitorem Albanum Regem Ciuilium nominat Liuius, Albanus propterea Rex dictus, quod suspicatur Franciscus Robortellus Veinensis homo ingenio praestanti, & eruditione, humanitateq; perfecta, quòd Ciuilius & genere Albanus esset, & Albanorum Rex. Dionysius vero ex Halicarnasso Graecorum exemplo Dictatorem institutum putat à Romanis. Solent namque Graeci, vt scripsit Theophrastus in libris de Regno, cum vis aliqua maior repente oborta sit, aut nimia licentia corrumperetur populus, αἰσυμνήτας, constituere, re vera tyrannos, vt Pittacum Mitylenaei aduersus exules, qui cum Alcaeo poeta, & Antimenide venerant. Tyrannos hos vocant Thessali ἀρχέας, Lacedaemonij, ἁρμοστὰς sed & ἁρμοσταὶ viginti viri erant, qui arcibus reficiendis, & vrbibus praerant, quos Lacedaemonij ad ciuitates, quae parerent mittebant cum potestate, vt imperarent, dissidia, & controuersias tollerent à Lysandro instituti: mittebant & Graeci alij, hos Herodotus, ni fallor, ταταρσήνας appellauit. Largius ipse Dictator Sp. Cassium Viscellinum, siue Biscellinum (vt legendum est apud Ciceronem in Loelio, vel certe Vicelinum ex Liuio) Magistrum Equitum pronuntiauit, qui in exercitu Dictatoris locum obtineret eo absente; & summam potestatem in equites habebat, vt Regibus imperantibus Tribuni Celerum, quem Magistratum gessit Iunius Brutus, & poterant populi concionem aduocare, primumq; locum dignitatis obtinebant post Reges: cuiuscemodi

dictiam Principibus iam obtinentibus Remp. fuit præfectus prætorio: sed huic data infinita licentia ad disciplinæ publicæ emendationem, à quo nec prouocatio dabatur, esse tamen non poterat is, qui Senator esset, quoniam & de Senatoribus iudicabat, & Iudicibus: id postea fecere Palatini, qui tamen Iudices nec ordine mouere, nec punire poterant. Iustiniano Principe præfecti prætorio tres fuere, alter in Oriente, alter in Illyrico, tertius Carthagine in Aphrica, qui in Prouincias alios mittebant præfectos, hi quinquaginta viros in familia habebant, illi cccxcvii, postea semper cum Dictatore fuit Magister Equitum. Dictatori præferebantur xxiiij. fasces cum securibus etiam in vrbe, quas remouerat à fascibus Publicola Cos. In equo vehi non poterat, vt hac vna re summa potestas populo inferior esset. Nocte dicebatur, quomodo apud Liuium à Fabio L. Papyrius. Bis tantùm duo Dictatores eodem tempore fuere, Minutius, cum conserere pugnam cum Hannibale recusaret Fabius Max. Dict. & Fabius Buteo in vrbe ad explendum Senatum in castris existente M. Iunio Dict. post calamitatem Cannensem. Hoc Magistratu primus abusus est L. Sylla, qui inter alia sæuitiæ exempla xl. M. Ciuium Romanorum Dictator interfecit. Interfecto Cæsare in Senatu M. Antonius Cos. lege antiquauit Dictaturam, quod laudat Cicero in Philippicis plurimam.

Magi-

Magistratus quando designantur, & Magistratum ineunt, Interrex, Consules, Locatio, fasces Consulum, Dictatorum, Decemuiri, Magistratuum ordo. Cap. XV.

ALIOS Magistratus nec Senatus, nec Coss. declarabant, sed populus augurio, exemplo Romuli, qui auspicio inierat Regnum. Comitijs vero sublatis à Cæsare imago augurij tantùm seruata Magistratum accepturus præcabatur Iouem præsente augure, obseruantesq; qui ex fulgure, quamuis nullum esset, illi augurabatur. Credunt designatos aliqui alio mense inire Magistratum. Ego vero hac de re nihil certi afferri posse puto. Nam & apud Liuium video tribus mensibus ante Coss. Tribunos plebis inijsse Magistratum. Id scilicet Dec. & Coss. Id. Mar. Tribuni pl. etiam Non. Dec. Coss. Prætores, Magistratusq; alij Id. Dec. Cal. & Id. Mar. Cal. Ian. & Mar. qui dies legitimè videbantur ineundis Magistratibus. Quo anno secessit plebs à patribus Coss. iniere Cal. Sept. iniere quandoque Id. Mai, Cal. Quint. Sept. Oct. designati Cal. Sext. & Mar. Illud constat comitia Consularia proponi solita à Coss. quod si futuri Coss. non designarentur ad III. Cal. Febr. prodibat Interrex, qui ex patritijs erat, & à Patritio prodebatur, qui comitia haberet de Coss. Design. Interregni dies erant quinque quoniam non iurabant in leges: nec ab eo, qui primus Interrex erat, habebantur comitia. Renuntiatis Coss. qui edixisset comitia certis verbis precabatur à Dijs Imm.

Imm. vt ea res sibi, Magistratui, & populo Ro. bene, atque feliciter eueniret. Designari poterant in ius vocari, damnati abdicabantur, & collega comitia edicebat in alio sufficiendo: vbi Magistratum inijssent non accusabantur. Magistratum plus quinque dies, nisi qui iurasset in leges, non licebat gerere C. Valerius Aedilis creatus, cum flamen Dialis esset, qui iurare in legem non poterat, Senatus decreto L. Valerium Pr. Dess. dedit, qui pro se iuraret. Lictores à Magistratuum conspectu submouebant meretrices, Consuli, aut Prætori occurrentes equo desiliunt, caput aperiunt, minores Magistratus fasces deponunt, & insignia: Lictores virgis domus, quam ingressurus est Magistratus, fores pulsant, quod fieri voluit Pompeius cum Rhodi conueniret Possidonium. Consules Dessig. Præconis voce in singulis centurijs denuntiabantur, populo gratias agebant, dicebant quæ essent obseruaturi in iure dicendo, profitebanturq; in iudicijs, in Senatu officium, æquitatem, dignitatem, fidem rectam, digna Imperio, digna Reip. omnia pericula, mori pro patria, multa de se, ac sua nobilitate loquentes: nam non imagines familiæ suæ consequebantur, nisi Coss. facti. Obtinentibus vero Principibus Remp. S. C. gratias agebant panegyrico Principi, vt Consulis voce boni Principes, quid facerent, intelligerent, mali quid facere deberent. Consulum Dessig. patris imago laureata in domo erat. ipsi Iunoni Solpitæ Lanuuij faciebant, quod oppidum cum eius sacrificijs gratia peteret Milo interfecit Clodium: faciebant etiam Penatibus, & Vestæ, vt Dictatores. Cal. Ian. in Capitolio concipiebant vota, solemniaq; perficiebant, si abesset Prætor Vrbanus. Coss. ipsi ius dicebant, locabant vectigalia Romæ in conspectu populi publicanis lustro, sic & agri locabantur: publicaq; locatio, & auctio per præconem fiebat, indicantem quæ res vendenda, locandaue esset, & diem: qui conducerent, vel emerent tollebant digi-

Digitized by Google

digitum. Cos. etiam Senatum cogebant, consulebant de rebus dubijs, curam collium, & syluarum habebant, quas publicauit Ancus Martius ne materia deesset ad naues construendas, vnde, & Syluas potuit Maro appellasse Consule dignas: exercitum ducebant, summum demum habebant Imperium, & eis reliqui Magistratus omnes parebant, excepto Tribuno. In maximo periculo, & desperatione omnium salutis S. C. mandabatur, Darent operam ne quid Resp. detrimenti caperet: tunc potestas data intelligebatur conscribendi exercitus, & eius interficiendi, cuius causa S. C. factum erat, quare & Cicero indemnatos Ciues Romanos interfecit, qui coniurauerant contra Remp. cum Cattilina. Si ambo Cos. in castris essent, imperabant alternis diebus: in vrbe habebant per vices singulis mensibus fasces duodecim, & apud quem essent, is maior dicebatur Consul, quem insignem appellauit poeta: vel certe maior, qui priori loco renuntiabatur, cui & primo mense præferebantur fasces, sed lege Iulia plurimum liberorum parenti, nobiliori tamen collega fasces cædebat, & seniori exemplo Publicolæ, qui cessit fasces Lucretio, Olim alter Consulum singulis mensibus habebat duodecim secures cum fascibus, sed Publicola cum in suspicionem affectati Regni venisset, remouit secures, inde Consuli in vrbe antecedebant duodecim lictores cum fascibus, extra vrbem cum fascibus, & securibus: & cum securibus in vrbe ijs, à quibus damnati prouocare ad populum non poterant, & dictator erat, & Decemuiri sanciendarum legum causa creati anno ccci. quo condita Roma erat. Cos. vero Magistratu abeuntes Prid. Id. Ian. Populum alloquuntur in concione, & iurant se Remp. bene administrasse. Cicero à L. Metello concione priuatus est, sed illi tantum iurare permisit, iurauit Cicero se Remp. conseruasse, & populus cum magna voce vere iurasse iurauit. Sylla prohibuit ne eundem Magistratum

iterum quis acciperet ante annos x. ne Tribunatum peteret, qui semel Trib. pl. fuisset, nec Consulatum, qui antea non gessisset Præturam, nec decerneretur Prætor, nisi vir Quæstorius.

Proconsules, Prætores, eorum legati, Quæstores, Fisci aduocatus, Principis Candidati, Quæsitores, Legati Imperatorum, ad Principes, ad exteras nationes, Ciuitatum ad Romanos. Cap. XVI.

POST Consulatum, & Præturam obtinebant Prouincias Cos. & Prætores Consulares, & Prætorias, illi Proconsules, isti dicebantur Proprætores, & frequentius Prætores: poterantq; recusare Prouincias si voluissent. Si Prætores ad numerum Prouinciarum non essent, proximi Prætorio collegio, vt Censores, qui Prætores fuissent, nec in Prouincia profecti essent [nam qui præfuisset, iterum præesse nolebat Senatus] in sortem conijciebantur, quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in Prouincias mitti oporteret. Proconsulibus istis, & Prætoribus dabantur muli, tabernacula, argentum, vestem, & alia instrumenta omnia ex publico, ne quid tale imperaret socijs, qui tantum Legatis, qui repente aliquo mitterentur, parabant equos. Verum L. Posthumius Cos. primus cum in Campaniam ad agrum publicum à priuato terminandum iret, Prænestinis iratus, quòd cum eò priuatus sacrificij in templo Fortunæ faciundi causa venisset, nihil in se honorificè feciſſent aut publicè, aut priuatim, imperauit vt diuersorium publicè pararent, & iumenta, inde licitum Magistrati-

Digitized by Google

ſtratibus, qui in Prouincias mitterentur, in vſus ſuos à Prouincialibus frumentum accipere, aut precium, quæ in Verrem à Cicerone dicitur æſtimatio: Cicero ipſe neutrum voluit cum Proconſul eſſet in Cilicia. Vrbem egreſſi Proconſulum inſignia, vel Prætorum ſumebant, ſex lictores ſagulis indutos cum faſcibus: ingrediebantur Prouincias aduentu edicto pronuntiato, celebri loco occurrentibus Proconſulibus, aut Prætoribus, qui recederent lege Cornelia intra triginta dies. Lege Cæſaris prætoriæ prouinciæ pluſquam annum, Conſulares non pluſquam triennium obtinebantur. Munia mandabant Proconſules, & Prætores Legatis, quos ſecum duxiſſent, miniſtros muneris prouincialis. Proconſules nanque ipſi, & Prætores ducebant potiſſimum exercitum, Legati ius dicebant, qui damnandi erant, hos mittebant ad Proconſules. Sed ſi quis in Prouincia cum Senatore Romano litem haberet Romam mitti poterat, ſi Præſes ipſe Prouinciæ voluiſſet, aut iuſſiſſet Conſul. Legati pedibus ibant, vehiculo poſtea, vbi Leptitanus homo quidam ad Seueri Legati Proconſulis Aphricæ complexum veniſſet. Quæſtores etiam cum Proconſulibus, & Prætoribus erant, caſtrorum curam gerebant, cogebant publicam pecuniam, & in vſus diuerſos erogabant, quæ erat prima Senatoris adminiſtratio, reuerſi ſententiam dicebant in Senatum, reddita tamen prius ratione adminiſtratę Prouinciæ, quam & Proconſules, & Magiſtratus alij reddere olim tenebantur Romæ; poſtea lege Iulia cautum, vt relinquerent confectas & conſolidatas in Prouincia apud duas Ciuitates, eaſdemq; totidem verbis in vrbem referrent ad ærarium, & inter triginta dies deferrent illos, quibus rationes retuliſſent. Erant & Quæſtores vrbani, quos ærarios vocat Tacitus, qui ærarij pecunias expenſas, & acceptas in tabulis referebant. Hos Romulum, & Numam habuiſſe ſcribit Iunius Gratianus in ſeptimo de Poteſtatibus, inſti-

tutos alij ab Hostilio, deinde à Coss. donec & eorum honorem populus mandaret, creatiq; primi à populo Val. Posthumius, & Aemylius Mamercus anno lxiij post exactos Reges, qui in exercitu essent, & predæ curam haberent, glisscentibus negotijs duo additi P. Vetturius, & M. Minutius, qui ærarij curam haberent in vrbe, & pecuniæ, quæ Lugduni signabatur in Gallia, & Apolloniæ in Epiro: duplicatus numerus stipendiaria iam Italia, & accedentibus Prouinciarum vectigalibus lege Syllæ xx creati: Fisci vero aduocatum instituit Adrianus. Sed ex Quæstoribus vocantur aliqui Principes candidati, qui eius æpistolas in Senatu legerent. Erant & Quæstores Parricidij, quos Quæsitores vocat Cicero, & Virgilius, qui quæstioni præerant, & tormentis in capitalibus iudicijs, quorum officium erat, vt scribit Cornificius (eius enim esse puto libros ad Herennium, Ciceronis certe non sunt) accusatorem, defensorem, & testes in officio suo continere, vt scilicet accusator crimina inferret, dilueret defensor, dicerent testes quæ scirent, aut audissent. Nec legatos tantum Proconsules, & Prætores habebant, verum etiam decernebantur Imperatoribus ad bellum proficiscentibus, qui omnia in bello ad præscriptum Imperatoris agerent, quandoque Consulari potestate ducebant exercitus, & hi dicuntur Legati Consulares. Re prosperè gesta decem alij Legati Imperatori decernebantur, inter quos non erant eius necessarij, cohonestandæ victoriæ gratia. Decernebantur & ad Cæsares ex Senatoribus sorte nominibus vrna eductis, & ad exteras nationes, Regesq; iussu Senatus: Vatinius tamen legauit absque Senatusconsulto: & Legati isti antiqua lege prohibebantur aliquid accipere ab eis, ad quos mittebantur, Sacrosancti erant, vt & qui Romã veniebãt, vel ab hostibus, sed ij extra vrbem consistebant donec introducerentur in Senatũ: primoq; veniebãt in ædem Saturni, vt eorũ nomina scriberentur

sur à Præfectis ærarij, olimq; munera, quæ dicebantur lautia, accipiebant à Quæstoribus, Persarum fortasse Regum imitatione, qui Legatis ad se venientibus talentum donabant Babylonicum, quod duabus, & septuaginta minis Atticis permutabatur, armillas etiam, acinacem, & torquem, omnia precij mille Dareicorum, Medicam quoque vestem, quæ Δαρυφορικὴ dicitur. Quæstores etiam ipsi Legatos ægros curabant, defunctos sumptu publico sepeliebant. Præcepit Vespasianus ne ciuitates Legatos plures, quàm tresmitterent Romam. Mense Febr. frequens Senatus postulatis Prouincialium legationibus dabatur. Athenis legationibus reddita ratione, publico excipiebantur conuiuio Legati olea coronati, qua dignos iudicauit Demosthenes Aeschinem, & nouem Legatos, qui adierant Philippum primo. Liberam etiam legationem in prouincijs Senatores aliquando impetrabant, vt maiori auctoritate res suas agere possent: quam Cicero Cos. sustulisset, nisi interceffisset Tribunus, minuit tamen tempus, & quod erat infinitum, annuum fecit. Dabant vero Prouinciales Proconsulibus, & Prætoribus recedentibus ex Prouincia hastas, vexilla, phaleras, coronas ciuicas, annulos aureos virtutis ergò, & deponebant ipsi Imperium vrbem ingressi.

Prætores, Duumuiri, & Decuriones. Cap. XVII.

IN qua præter Consules, Prætores ius dicebant. Nam cum Coss. auocarentur bellis finitimis, creatus Prætor, Vrbanus, & Maximus cognomine, qui ius in Vrbe diceret, penes quem omnis publici, & priuati iuris potestas erat, nouum ius condere, vetera interpretari, abrogare, dare Iudices ex ijs ordinibus, qui iudicabant, patronos

tronos illis, qui aduersariorum potentia non defenderentur, & externis hominibus, dare tutores (quos etiam Coss. dabant, & Antonino philosopho Principe Prætor Tutelaris) curatores, bonorum possessionem restituere. Sed cum peregrini plures in Vrbe essent, alius Prætor creatus, qui peregrinorum iura exerceret, dictus propterea Prætor peregrinus, & Minor, quo nomine & alij, præter Vrbanum, appellati sunt, nam duo additi fuere, quatuor à Sylla, ab Augusto duo, vt est apud Velleium, totidem à D. Claudio; verum cum Principe Nerua fuerint XVIII. PRR. legerem libenter apud Velleium octo ab Augusto additos, quòd & totidem referat Pomponius I. C. & ex ipso Floccus Florentinus, qui Fenestellæ nomine circunfertur: Alexander etiam Neapolitanus, qui ambo diligenter de Magistratibus Ro. scripsere, & Pomponius Lætus, quare non multa, quæ diceremus, nobis relicta sunt. Valentinianus tres tantum Prætores in vrbe esse voluit, qui singulis annis iudicio Senatus ex eis hominibus deligerentur, qui ædes in vrbe haberent. In Colonijs vero Romanorum erant Duumuiri, qui ius dicerent vt Romæ Prætores: quare cum Capuæ Colonia deducta fuisset, Duumuiri se appellarunt Prætores superbia, inquit Cicero, Campana. Duumuiris præferebant duo lictores bacillos; Senatores ipsi in Colonijs dicebantur Decuriones, quòd in initio Coloniæ cum deducerentur, decima pars eorum, qui deducebantur, consilij publici gratia scribi solita sit.

Digitized by Google

Censores, Principes Senatus; Equitum, & Iuuentutis Nomophylaces. Cap. XVIII.

ERANT & Romæ Censores morum Iudices, vt vocauit Varro, discutiunt etenim Senatus, & populi mores, de nuptijs inquirunt, liberorum procreatione, viuendi ratione, & conuiuijs: lustrum quinto quoque anno condunt, census agunt, quod Consulum munus fuerat, & augent, vestigalia locant publicanis in conspectu populi Ro. boueq; immolato scriba Deos Imm. precatur, vt Populi Ro. res meliores, amplioresq; facerent: Senatores ex ordine remouent, & equites, plebeios inter ærarios redigunt. Nam Equites ipsi vbi militaria munera legitimo tempore obijssent, ad Censores ducebant equum in forum, & enumeratis stipendijs, & Imperatoribus, sub quibus militassent, meritas laudes, vel vituperationes referebant. Quos Senatu, vel alio ordine remouissent, poterant ij ordinem recuperare populi iuditio, vel Prætorum, aut aliorum Censorum, quare eorum non dicebatur iuditium, sed animaduersio, vel auctoritas: leges etiam scribunt, de ordinibus militum iudicant, eorum arma inspiciunt, iudicant & de iudicibus, & præfectis, exceptis Cos. Sacrorum Rege, & Virgine Vestali maxima. Ineuntes Magistratum anserum alimenta locant, quæ aluntur in Capitolio, ob eius conseruati clangore memoriam occupantibus nocte Gallis: locant etiam statuam Iouis minio illiniendam: Senatum legunt, & Senatus Principem eum, qui virtute, & rebus gestis maximam gloriam, & insigne nomen adeptus sit: sic Aphricanus lectus Senatus Princeps, & Q. Fabius Max. duobus lustris: qui Senatus Princeps Rempub. defendebat, tuebatur

batur ſalutem, libertatemq; communem, & Senatus auctoritatem, quo more Cæſares Equitum etiam Principes fecere, & iuuentutis, qui dicebantur illi, qui in Imperio ſucceſſuri eſſent. Cenſores ipſi erant duo Patricius, & Plebeius, altero mortuo alter abdicabat ſe Magiſtratu: quod cum non faceret Scaurus Aemylius Liuio Druſo Collega vita functo, Tribunorum iuſſu ductus eſt in carcerem. Erat poteſtas quinque annorum, Aemylius Mamercus annuam, & ſemeſtrem lege fecit, quam legem abrogauit P. Clodius Tr. p. nec iterum agebatur, quòd ex vſu Reip. non eſſe dixiſſet Q. Fabius cum iterum Cenſor crearetur. Sic νομοφύλακες à Græcis dicuntur, qui duodecim Athenis erant ſorte lecti, legum cuſtodes, quorum officium erat eos, qui legibus parerent, laudibus proſequi, & honoribus: qui non parerent, pœna multare: erant & νομοφύλακες legum cuſtodes Spartæ. Siculi vero in ſingulis ciuitatibus duos Cenſores faciunt, qui imperatis tributis populo ex cenſu, quot annis tributum populo Ro. ſoluunt.

Tribuni plebis, Tribuni militum. Cap. XIX.

TRIBVNI à plebe creati ſunt cum à patribus ſeceſſiſſet, vt plebem tuerentur aduerſus Senatum, creati quinque L. Iunius, C. Sicinius, C. & P. Licinij, & C. Iuſilius IIII. Id. Dec. quo die tempore omni ferè alio iniere Magiſtratum: quinque additi ſunt S.C. Virginio Tribuno petente C. (M. vocat Liuius) Horatio Puluillo, & Q. Minutio Augurino Coſs. Aduocabant concionem, intercedebat nemo, niſi Tribuni ipſi, quare Senatus ſæpe petijt auxilium à Tribunis contra vim Tribunorum. Non cogebant Senatum (ſecus tamen ſentit Varro) quem vellent arripiebant in concionem, vt quibus de rebus interro-

garetur

Digitized by Google

garetur, responderet. Eorum verò potestas nulla erat extra vrbem, propterea intus commorari necesse, nisi cum sacrificium pro Latinis Magistratus omnes facerent in monte Albano. Eorum domus semper patebat, vt adiri possent: Sacrosancti erant, non cogi, non verberari, non cædi poterant, qui fecisset, sacer impune interficiebatur, & publicabantur eius bona ad sacra Cereris. Inde iusta causa belli faciendi aduersus Pompeium, & Senatum visa Cæsari, quòd de M. Antonio, & Q. Cassio Tr. p. grauissime, acerbissimeq; decretum fuisset. purpura non vtebantur, quòd Magistratus non essent, quare nec lictores habebant, nec in sella curuli ius dicebant, nec facto Dictatore abrogabant potestatem. Tribuni vero militum ex patribus, & plebe multis annis consulare habuere Imperium.

Aediles Plebis, Curules, Cereales, Agoranomi, Telearchus, Epimelitæ, Logistæ, Aquarum Curator, Quatuoruiri, Triumuiri, Præfectus Vigilium. Cap. XX.

CVM Tribunis lecti duo Aediles plebis, tanquam Tribunorum ministri, duo additi ex Patribus, cum plebi concessissent alterum Consulem, hi dicti Curules: omnibus tamen eisdem comitijs dabatur Magistratus; duo à Cæsare Cereales, qui frumento præessent. Illi ædes sacras, & priuatas procurabant, vt parietes starent, faciebant ludos Cereri, Libero, Liberæ, & Ludos Romanos Ioui, Iunoni, & Mineruæ: Floram matrem ludorum celebritate placabant: dabant venationes in theatro attributas Saturno, quæ vocantur munera, quæ etiam dedisse Cos. significauit Cicero. Curatores erant prodigiorum,

annonæ, ne improbæ merces essent, quas proijciebant, totius vrbis, viarum, vt consternerentur, pontesq; fierent; purpura vtebantur, & sella eburnea. Apud Græcos huiusmodi fuere Agoranomi, & Thebis Telearchus, illi annonæ, hic viarum curam habebat: qui Magistratus inter maiores habitus est post quàm illum gessisset Epaminondas. Athenis τριμελῆται decemerant, qui emporijs præsidebant, curabantq; in vsum ciuitatis frumentum deferri, & quatuor ex his mysteria, erantq; in theatris, & choris, vt iniuriam arcerent. Apud Persas hoc nomine dicuntur, qui vulnerati in bello mederentur. Agoranomi quoque Athenis dicebantur ἀγορανόμοι decem & ipsi sorte lecti, qui etiam iudicarent quid quisque in Magistratu gessisset. Vendebant item Aediles aquam, quæ tubis ducebatur in Vrbem ad balnearum, & fullonum vsum: publicabant agros, qui contrà legem aqua publica irrigarentur, quod deinde fecere Censores. Sed Q. Aelio Tuberone, & P. Fabio Max. Cos. S. C. institutus aquarum Curator; qui extra vrbem binos lictores haberet, tres seruos publicos, architectum, Scribam, Librarios, accensos, præcones: Augustus duos addidit. Tiberius procuratorem. Romæ etiam Quatuoruiri erant viarum curatores, Triumuiri incendiorum, ad quæ compescenda veniebant Aediles, & Tribuni plebis, familia publica circa muros disposita hac causa: Augustus septem cohortes constituit, quæ singulæ binas regiones tuerentur, Præposito Præfecto Vigilium, cui & dederat cognitionem eorum, qui incendium fecissent, effregissent ædes, vel nocte furati essent, & capitalia crimina referebat ad Præfectum Prætorio.

Triumuiri Monetales, Quinqueuiri, Præfectus Vrbis, & tabularum. Cap. XXI.

ERANT & Triumuiri monetales, qui æs conflarent, argentum, & aurum. Quinqueuiri Magistratuum loco, vt Præfectus Vrbis. Nam abeuntibus Regibus, aut Magistratibus, ne Vrbs sine Imperio foret, deligebatur, qui ius redderet ferme q; à Romulo Dentrem Romulium, à Tullo Hostilio Numam Martium à Superbo Sp. Lucretium impositos, ab Augusto Italiæ C. Cillinium Mæcenatem, primusq; videtur Augustus ipse hoc nomen Præfecti Vrbis excogitasse, quo ante alios vocatus est Messalla Coruinus, qui sexta die se potestate abdicauit, quam immodicam esse diceret. Exercebat enim tum Aurelio I. C. Præfectus Vrbis iudicium omnium criminum, quæ in Vrbe admitterentur, & extra vsque ad centesimum lapidem: eorum, qui pupilles, qui in Tutellam peruenissent, fraudauerint: audiebat seruos conquerentes de dominis, patronos de libertis: præerat annonæ, mensuris, lanijs, ciuibus omnibus, spectaculis etiam, vt populus quiete sedeat, qui placuerint, relegabat, & omnibus Magistratibus, qui intra Vrbem essent, dignitate antecellebat. Præfectos quoque deligebat Senatus, quod permiserat Augustus, qui publicarum tabularum curam habberent: deinde ambitu suffragiorum suspecto, sorte ducti ex numero Prætorum, Claudius Quæstores imposuit, Nero præfecturæ perfunctos

Iudiciorum ordo, Iudices, eorum numerus, ordines, Centumuiri, Tribuni Aerarij, Recuperatores, subscriptores, sportulæ, Prytanea, Iudex, oratores, obturbatores, testes, rei exilium, sententia, ampliatio, comperendinatio, damnatio, sectores, absolutio.

Cap. XXII.

IN iudicijs vero, qui reum criminis deferret, tabellæ scribebat diem, annum, quo accusaret, nomen Prætoris, rei, suum quoq; locum, tempus quando crimen diceret admissum: tabellam publicè proponebat pendulam, inde reos pendere dictum à Suetonio, quam & Ardenis consuetudinem fuisse indicat Demosthenes. Prætor decimo die audiebat accusationem, quo die si non adfuisset in iudicio accusator, delati nomen eximebat de reis. Si adfuisset, vocabatur per præconem reus definito loco in iudicium, si declinaret, per lictorem tradebatur, vel ab aëre torto collo obtorto, alicuius, qui adesset, non recusanti tacta auricula, quod ante stari dicitur, vt testis esset id à se non iniuria fieri, sed vt reum in iudicio sisteret. Solebant quoque inuenes Ro. quo insigni iudicio cognoscerentur, claros viros in iudicio postulare, vt Carbonem L. Crassus (perperam legitur apud Apuleium M. Antonius, quod ex Cicerone, Tacitoq; videtur) Mutius A. Albutium, Sulpitius Norbanum, Cæsar Dolobellam, Asinius Catonem, Caluus Vatinium, cuius accusationis & Fabius me-

Digitized by Google

meminit. Dicebatq; accusator apud Prætorem reo crimen hoc modo, Aio te id feciſſe: ſi taceret, lis æſtimabatur, vt victo: ſi negaſſet, petebantur dies inquirendorum eius criminum, & obſignabat accuſator domum, & omnia, quæ clauſa eſſent rei, ne quid remoueret criminis indicium, Si de agro lis eſſet, ſimul profecti in agrum, terræ aliquid ad Prætorem deferebant, in quam vindicarent, dicerent ſcilicet ad ſe pertinere, id vocabatur manu conſertũ. Qui agrũ ſibi vindicaret, dicebat eum ego agrũ ex iure meum eſſe aio, ibi ego te ex iure manu conſertum voco: qui vero poſſideret, reſpondebat vnde tu me ex iure manu conſertum vocaſti, inde ibi ego te reuoco: Func Prætor, qui in re præſenti erat dicebat Inite viam, mox Redite viam, vt vnde abiſſent, eodem ſtatim redirent. Si creditum peteretur, abeſſetq; qui deberet, prius, quàm ex edicto prætoris bonorum poſſeſſio caperetur, cum teſtibus obſignabatur domus. Inſtituta accuſatione prætor cum tunica exercebat iudicium, Cato ſine tunica ſub toga cinctus fuit in iudicio M. Scauri antiquo more, vt in Capitolio Romuli, in Roſtris Camilli ſtatuæ erant: & deſcripta nomina Iudicum extrahebat ex vrna legitimo numero, quæ dicitur à Cicerone Sortitio: nomen cuiuſq; Iudicis recitabat præco L. Octauius Balbus (vel qui fuiſſet) Iudex eſto, addito rei nomine, accuſatoris, & defenſoris. Reus, & accuſator reijciebant Iudices quos noluiſſent, Prætor alios ſubſortitione extrahebat: iurabant ſe nihil gratiæ condonaturos [vt Aegyptij ſe nec Regis iuſſu contra fas iudicaturos] eorumq; nomina continebãtur libellis, ne profelectis corrupti iudicarent. In iudicijs publicis, & reis capitalibus legitimum Iudicum numerum creditum eſſe LXXV. Dari tamen arbitrio Prætoris putarim, cum in cauſa Milonis LI. iudicarint lege Domitij, in iudicio Claudiano LVI. in Gabiniano LXX. totidem in iuditio M. Scauri. XXII. ſcilicet Senatores xxiij. Equites,

quites, xxv. Tribuni Aerarij. In reis etiam capitalibus suffragio populi creabatur Quæstor, qui pro tribunali sederet, Iudices in subsellijs. Plinij Cæcilij tempore Senatus dabat Iudices, & crimina cognoscebat, quæ maiora viderentur, quam quæ legibus constituta pœna compescerentur. Iudices, ex quibus sortitio fiebat, olim fuere cv. terni ex singulis Tribubus Centumuiri dicti, qui etiam auctioni præerant, & de priuatis hæreditatibus iudicabant. Nam in causis Centumuiralibus vsucapionum, tutelarum, agnationum, alluuionum, circunluuionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum, aut ratorum, cæterarumq; rerum innumerabilium iura versabantur. Postea trecenis Senatoribus permissa iudicia, quibus addidit totidem Equites C. Gracchus, Tib. vero Gracchus in secundo Tribunatu iudicia à Senatoribus transtulit ad Equites, cum Cornelius Cotta Salinator, & Acilius Pulcher peculatus rei, publicè muneribus datis, quam infamiam iudiciorum vocat Cicero, pœnas euasissent. Tribus ipsæ M. Plautij Syllani Tri. p. lege Cn. Pompeio Strabone, & L. Portio Catone Coss. lata, ex Equitum numero quinos denos singulæ suffragijs creabant, qui eo anno iudicarent, quare omnes erant DXXV. & dicebantur selecti. Sylla solis Senatoribus iterum mandauit iudicia. L. Aurelius Cotta Prætor, quibus temporibus accusatus est Verres, legem tulit vt Senatores, Equites, & Tribuni ærarij (sic vocantur plebei iudices) simul iudicarent: & Pompei lege in secundo Consulatu lata, quo tempore causa acta est à Cicerone in Pisonem, legerentur æquè ex tribus ordinibus illis, ex quoq; fuere trecẽi, omnes igitur Dcccc. Discretas tamen singuli ordines habebant vrnas, in quibus conijcerent tabellas: & Iudices si cum Magistratum aliquem inissent, iudicandi munere non fungebantur. Habebantur etiam à Prætore tres Recuperatores ad ea, quæ

incerta

incerta essent, nec manifesta, in causis publicis, qui litem æstimarent. Accusationis dies legitimi erant viginti, totidem defensionis, huius quandoq; decem tantùm. Addebat custodem accusatori reus, qui obseruaret ne se clã aliquid, aut absente palam in iudicio ageret: dabantur & subscriptores, causidici, qui accusatorem adiuuarent, nec precio sinerent corumpi, quos nomen Verris deferens recusauit Cicero. Qui litigarent quingentos æris deponebant, vel alium certum numerum assam, victor suas auferebat, victi referebantur in ærarium, aut dabantur Iudicibus, quas sportulas dixisse Romanos testatur Aristophanis Interpres homo Græcus, id equidem haud quaquam affirmarim, Græci certè, & orator Isocrates appellant σφυτανεῖα. Qui sacramento contenderent, poscebant Indicem, quo crimina probarent. Erat Index, qui impunitate proposita facinoris, cuius conscius est, latebras indicat. Senatori non licebat Indicem esse saluis legibus. Dabatur Index post trigesimum diem: mox in iudicium venientes antequàm causa ageretur, quasi per Indicem rem exponebant, quæ dicitur causæ coniectio. Reus, & qui illi fauerent, quàm eleganter pullatam turbam vocauit Quintilianus, atra veste, sparsis comis in foro sedebant: & pullati, qui venerant ex Prouincijs Proconsules, aut alios Magistratus accusaturi. Oratores in Rostris sedebant dum accusator loqueretur: rarò quatuor plures erant olim vnus tantùm, Miloni sex adfuere, totidem Scauro, qui & pro se dixit: post bella ciuilia ante legem Iuliam vsq; ad duodenos processum, inde lati quot placuisset Senatori, qui nec præcium, nec donum pro causa orandæ lege Cincia, vel Titia à C. Titio lata, acciperepotuerant: hac vero obsoleta, Claudius prohibuit ne vltra decem LLS. acciperent: qui plus, repetundarum teneretur. Primus Antiphon Rhamnusius apud Græcos ob causam defendendam mercede conductus est. Orationes ab inuocatione

catione incipiebant, vt est apud Liuium, & indicat Maro:

Præfatus Diuos solio Rex infit ab alto.

Vel à reprehensione superioris temporis, vt idem

Ante equidem summa de re statuisse Latini,
Et vellem, & fuerat melius.

Erant & obturbatores sordidi causidici ad moram faciendam dum patroni ad dicendum se confirmarent. Dici ad clepsydram more Græcorum institutum à Pompeio in tertio Consulatu lege, qua eo die accusator, & reus perorabant, ille duabus, hic tribus horis. Nam Præter, præco est apud Tacitum, diem, & horas designabat orationibus. Lex postea antiquata: in causa enim Iulij Bassi sex horæ accusatori, nouem reo datæ. Oratores cum satis fluxisse orationem viderent, pronuntiabant Dixi, & Prætor causa perorata dixerunt, sic præce vbi testimonium testes dixissent. Testimonium dicturi surgebant è subsellijs, suspecti sedebant in subsellijs aduersarij, qui non interrogabantur. Reus testes producebat causa acta, accusatur triduum ante quàm ageretur, quos interrogabant patroni rei, & accusator ipse iurabant non solum se falsa non dicturos, sed nec vera tacituros, & semper se arbitrari dicebant quæ comperta haberent, nec feciſſe, sed feciſſe videri: qui testes in aliqua reuocabantur, obsignabant tabellas. Athenis qui testimonium dicere recusasset, iurabat se nec vidisse, nec interfuisse, vel mille drachmas persoluebat. Qui seruum ad testimoium dicendum postularet, precij serui fideiussores dabat Athenienſium lege: & cum maleficium aliquod Romæ factum esset, vt cædes, vel venenum datum, quod scire crederentur serui, accersitis aduocatis hos illi, ad quos pertinebat, quæstione, & tormentis interrogabant, & si rem confessi essent, instituebatur accusatio in eum, quem isti detulissent. In dominum vero de seruo ne tormentis quidem quæri licet, nisi incestu, & de coniuratione etiam, quæ facta Cicerone Cos.

Digitized by Google

Cos. fuerat. Apud Rhodios vero id, quod acerbissimum esse ait Cicero ipse, liberi, & ciues in quæstionibes torquentur. Reo licebat nullo prohibente, & hoc etiam Athenienſium more quod apud Demosthenem est, post primam actionem, vt fecit Verres, in exilium pergere, quare exilium dicitur à Cicerone non supplicium, sed profugium, & portus supplicij. In consilium iudices mittebat Prætor duabus tabellis datis, in quibus notarent absolutionis, vel damnationis litteram; illa erat A, hæc C, K, etiam propter καταγινώσκειν, siue θ, ac si θανατον afferrent, erat enim mortuorum signum sepulchris impositum atro colore: tabellas conijciebant in cistas eo ordine, quo extracti fuerant. Si de capite ageretur, tertia dabatur tabella ampliationis, quæ NL. signabatur, si non liqueret, nec causa idonea esset ad damnationem: sed ampliatio dicitur, qua in vna: comperendinatio, qua in vtraq; parte pronuntiatur non liquere. Ante legem Glauciam de comperendinatione, damnaturi Iudices hanc tertiam tabellam dabant, & ampliatio tunc erat tarda damnatio. In causis leuioribus si actor, vel reus postulasset singuli sententiam de tabula dicebant, quæ erant ceratæ colore, qui placuisset reo, & Iudices quæ cognouissent, non esse facta, sed facta videri pronuntiabant. Accusati damnatio simpli est, vel dupli, vel quadrupli, vel exilij: qui repetundarum tenebatur lite æstimata, redactis scilicet in prę-cium omnibus furtis, pecuniam, eius bonis proscriptis, curabant Sectores, quispe lucri bona damnatorum semel auctionabantur, & pro his pecuniam pendebant ærario, aut socijs. Damnati patrio sepulchro carebant, domum exornatam non habebant, nec ipsi ornabantur vestibus, amittebant ius imaginum, & Senator senatoriam dignitatem: condemnari vero non poterant nisi à maiori parte Iudicum: quòd si pars media absoluisset reum, absolutus erat, & absoluto dicebat Prætor, quod apud Liuium est, Nihil te moror.

Digitized by Google

Capitalia Crimina, Triumuiri Capitales, Populi iudicium Capitalia iudicia. Cap. XXIII.

CAPITALIA crimina deferebantur ad Triumuiros Capitales, ipsi ad Prætorem, qui dabat Iudices horum sententiam exequebantur Triumuiri, fures etiam, & seruos nequam puniebant ad columnam Meniam. Capite damnati, quo nomine & exilium continetur, populum appellare poterant lege Publicolæ, populus tertijs nundinis in iudicio per præconem vocatum reum, & pronuntiata die, qua die iudicium sit futurum, suffragijs curiatis quandoque Centuriatis plerunque damnant, vel absoluunt, nec damnant nisi consenserint Tribus omnes: quare cum sola Metia absoluisset Liuium Salinatorem, damnassent reliquæ, absolutus est. Si die, qua iudicium Populus facit, auspicijs, aut alia re agi non posset, totum iudicium sublatum erat. Lege Gracchi de Capite Ciuis Ro. iniussu populi non iudicatur, virgis cædi non poterat, nec à lictore Lege Portia. Macedonum vero Reges de rebus capitalibus vulgum consulunt: in Taprobane triginta Regis Rectores de capite cognoscunt: plurium sententijs damnatus prouocat ad populum, qui dat septuaginta Iudices, ij si damnatum absoluerint, triginta Rectoribus nulla est inde dignatio grauissimo probro. Tanta vel apud barbaras gentes, quasiq; ab orbe remotas adhibita in homine conseruando diligentia, vt hæc tempora dispudeat, & mores, quando in homines tam facili sæuiant Magistratus, & ij, à quibus coli maxime deberetur Christiana religio, quæ vel leuem vltionem, non modo cædes aspernatur.

Iudices

Digitized by Google

Iudices Aliarum Gentium, & quæ iis, & legibus careant. Cap. XXIV.

IN Perſide Magi præmio, ſuppliciaq; decernunt, nec aliquid rectum videtur, quod non fuerit eorum ſententia firmatum, poſt quàm Alexandro Mammeæ Principe Artaxerſes Perſa Magus Artabano Parthorum Rege interfecto, retuliſſet ad Perſas Regnum, qui antea Magos contemnerant, Principeſq; laudauerant, qui Semerdem, & fratrem Magos Cambyſis Imperium obtinentes, interfeciſſent. Carthagine iudicabant Magiſtratus omnes, in Aegypto Sacerdotes, iudicij Princeps ſenior erat iuſtus maximè, & ſeuerus, collo imaguncula ex ſaphiro pendente, quam veritatem dicunt. Apud Gallos Druides de controuersijs iudicant certo anni tempore in finibus Carnutum; qui eorum decretis non ſteterint, ſacrificijs interdicti impiorum numero habentur. Germani tempore belli Magiſtratum conſtituunt, qui vitæ, & necis poteſtatem habeat, tempore pacis Principes Pagorum ius dicunt. Iudæorum Iudices, legiſq; interpretes ſeptuaginta ſenes erant, quos abdicauit Antipater Herodis Idumæi filius: ij in vrbium portis cauſam dicere ſolebant, Bithyni contra Solem, Heluetij in vinculis. Rhadamanthus litigatoribus iurare coactis ſtatim dirimebat litem. Seres Iudices nullos habent, omnes, vt ius imperat, Iudices ſibi ſunt. Soli Androphagi iudicijs carent, & legibus, legibus etiam, & alicuius imperio Thraces, qui à Græcis Autonomi dicuntur.

Digitized by Google

Athenienſium Iudices, Tribunalia, Areopagitæ, Archontes Prytanes, Demarchus, Quinquennalis, Anni quomodo notentur, Baſileus, Hegemon, Theſmothetæ, Iudiciorum loca Athenis, Arbitri, iudicia Athenienſium. Cap. XXV.

ATHENIS ſingulæ Tribus quinque viros eligebant ex plebe probatos, trigeſimum annum egreſſos, qui inter ſuos tribules iudicarent: omnes in Ardeto foro (ab Heroe nomine impoſito, qui populi ſeditionem ſedauerat) Apollinem patrem, Cererem, Iouem Regem curabant, ſe de rebus, de quibus leges eſſent, ſecundū leges iudicaturos: de quibus ſancitum legibus non eſſet, equiſſimam laturos ſententiam. Tribunalia, δικαστήρια vocant Græci, decem erant, totidem enim Tribus, inſcripta elementis rubro colore, alterum A. alterum B. & deinceps vſque ad K. Iudices omnes pugillaria habebant, & virgam eadem littera notatam, qua δικαστήριον. Vbi iudicandi tempus appeteret, omnes conueniebant in forum funibus cinctum, ne quis accederet, & ſorte eorum nomina vrna extrahebantur, inde dicti ſunt Iudices ipſi κληρωτοὶ δικασταί, & ad eius litteram, quam illis contigiſſet, δικαστήριον procedebant, iudicabantq;. Sedebant & alijs locis Iudices, in Areopago, vbi abſolutus eſt Mars, quòd interemiſſet Helirrhotyum, & Oreſtes matrem: iudicabantur enim cædes voluntate factæ: vti procœmio non licebat, nec epilogo, non affectus mouere, cū & nocte ferrent ſententias Areopagitæ. In Areopago ſcabella duo argentea erant

erant Contumeliæ, & Impudentiæ, quibus accusatores, & Rei insidebant, erant & Plutonis, Mercurij, Telluris q; simulacra, quibus rem diuinam faciebant capitis periculo liberati. Areopagitæ quinquaginta erant perpetui, incerto tamen numero instituerat Solon ex Nouemuiris, vt ait Androtion, qui nobiles, diuites q; præfuissent Reip. Magistratus bene gesti ratione reddita. Nam post Codrum Melanthi F. Regem, qui se Lacedæmonijs occidendum dederat, vt suo sanguine patriæ victoriam pararet, Athenis fuere Archontes, & primus Medon Codri ipsius filius: fuereq; vsque ad Alcmeonem Archontes perpetui, mox in denos annos creati, ex his primus fuit Cherops, extremus Erix, post lxx. annis institutum vt singulis annis eligerentur, primusq; fuit Creon. Archon ipse erat summus Magistratus, vt Rhodo Πρύτανις, Neapoli vrbe à Phalaride, Herculeve condita Δήμαρχος, Quinquennalis Adria. Ab Archontis nomine notabantur populi scita, & anni, vt Olympiades à victoribus, Spartæ anni ab Ephorum vno, Argis à Sacerdotibus, vnde Thucydidis illud est ἐπὶ χρυσίδος, erat enim Chrysis Sacerdos, Syracusis à Magistratu, quem Iouis Olympij famulum appellant, à Timoleonte instituto, Romæ à Coss. & clauo, quem Prætor, Consul, vel dictator singulis annis in parietibus Iouis Opt. Max. dextro latere, ea parte, qua Mineruæ templum erat, figebant, qui clauus dicebatur annalis, Volsinijs quoque clauos indices numeri annorum fixos in templo Nortiæ Aethruscæ Deæ Cincius affirmat. Post Archontem vero erat βασιλεὺς Regia ferè potestate, qui in Cerantico tribunal habebat, tertius Ἡγεμών, qui rei bellicæ præesset, Dianæ, Veneri, Martiq; sacrificaret: ludos faceret in eorum honorem, qui pro patria in bello cecidissent, & parentalia Harmodij, & Aristogitonis, qui Hipparchum Hippiæ Tiranni fratrem interfecere. Sex alij dicebantur Θεσμοθέται, qui iudicijs præerant, & coronabantur

tur myrto, quòd præterita vita probata ad hoc munus deligerentur. Optimi igitur ex his Nouemuiris post Magistratum fiebant Areopagitæ, qui quandoque in summo discrimine Remp. administrabant: eorum vero potentiam sustulit Ephialtes Orator Periclis amicus. Vbi vero audirent cædes casu, vel errore factas, sedebant in palladio, primusq; ibi causam dixit Demophoon, qui imprudens Athenienſem interfecit, primusq; apud Græcos pœnas luit. In Delphinio iudicabantur, qui iure, & legibus alium interemissent, & eo loco absolutus est Theseus Pallante cum filijs trucidato. In Prytaneo enses, cæteraq; quæ anima carerent, quibus cædes patrata esset, iudicium subibant Draconis lege, vel Erechthei, cum Buphonus Sacerdos securi bouem occidisset, aufugissetq; & damnata extra fines proijciebantur, vt statua Theagnidis, quæ hominem collisérat. Apud Phreatim maritimum vicum ex naui se defendebant exules, si crimen dissoluere vellent, vt se primus Telamoni purgauit Teucer mortuo Aiace, aut si in eis nouum crimen conflatum esset. Res maiores in Heliæa, minores in Parabysto cognoscebantur. Sedebant etiã in Batrachio, phœnicio à colore, & in Trigonio à forma locis dictis. Poterant & qui litigarent arbitros dicere, qui διαιτηται vocantur κατ' ἐπιτροπήν. De publicis rebus contendentes à centum ad mille drachmas, tres deponebant, à mille ad decem millia, triginta, de priuatis decimam rei. Primis sententijs statuebant Iudices damnarent ne, an absoluerent: damnatus, si fraus capitalis non esset, interrogabatur quam quasi æstimationem commeruisse maximè, fateretur: interrogatus tamen Socrates nouæ religionis, & corruptionis iuuenum reus: inde alias sententias ferebant, quibus pœnam significabant. Patroni non defendebant reos, sed scriptas illis orationes dabant, quibus vterentur, sic attulit Lysias Socrati, quam ille recusauit. Iudices duos habebant calculos perforatum, & obtu-

sum,

Digitized by Google

fum, duas vrnas argenteam, & ligneam, hæc damnationis, absolutionis illa. Accusator nisi quintam suffragiorum partem retuliſſet, mille drachmas multæ nomine soluebat, interficiebatur vero, qui impietatis reum factum non conuinceret.

Pœnarum Genera, multa, talio. Cap. XXVI.

APVD Romanos genera pœnarum erant octo, damnum, vincula, verbera, talio, ignominia, seruitus, exilium, mors. Qui enim leue damnum aut non atrocem iniuriam intuliſſet, soluebat, lege duodecim tabularum XXV. asses, denarios scilicet duos, & semis, vt qui palma alicuius faciem contudiſſet, quod facere solebat L. Neratius moleſtus homo, poſt se existente cum crumena seruo, qui percusso illicò enumeraret asses. Si iniuria insignis fuiſſet, & graue damnum, tunc talio erat, id est vindicta par. Irrogabant etiam multam Magistratus ijs, qui contumaciter secum aliquid gessiſſent, lege à Sp. Tarpeio, & A. Termenio (Thermum vocat Plinius, Aternium Liuius) Coss. lata, cum id antea Coss. tantum licuiſſet, qui multam dicebant Publicolę instituto quinque boum, & duarum ouium, poſtea minor indicebatur ouis, maior triginta boum & duarum ouium (perperam legi videtur apud Dionyſium triginta ouium, & duorum boum) Constituti deinde lege Aterina (Aterina fortaſſe apud Gellium legendum, vt ab A. Aternio sit) in oues singulas æris deni, hoc est denarius, in boues centum æris: olim fuerat multa duum millium assium, nisi & hic numerus male legatur in Dionyſio pro tribus millibus, & viceNis. Apud Athenienses erat multa magna decem talenta, quadraginta tamen multatus Demoſthenes, cum viginti

acce-

accepiſſet ab Harpalo, vt ſileret. Germani parua delicta, & homicidia coercent equorum, & pecorum, numero, Indi parua delicta, tonſura, quæ tamen apud eos grauiſſima pœna, maximè ſi quis tonderi iubeatur à Rege.

Debitorum, Depoſitumque abnegantium pœna, bonorum proſcriptio, ceſſio, fœnus, fures, ſycophantę, furta permiſſa. Cap. XXVII.

QVI debitum negaſſet, aut depoſitum, abſciſſa manu, effoſſo oculo interficiebatur ab Indis. Olim Romæ debitori xx. dies ad æs alienum diſſoluendum dabantur, elapſis, Prætor addicebat hominem, vel filios creditori, qui diebus lx. tenebat compeditum, mox venundabat trans Tyberim, aut capite damnabat: ſi plures creditores fuiſſent, in partes ſecabatur, ſed inhumana crudelitas omnium conſenſu deſita, & adhibita bonorum proſcriptio, ceſſioq; quam qui ſoluendo non eſſet, faciebat nudus lege Iulia, concione aduocata, ſuper lapidem. Apud Bœotios ei, qui quod deberet non diſſoluiſſet, ſedenti in foro inijciebatur corbis non leui infamia, quæ illata Euripidis patri creditur genere Bœoto. Græci quoq; obligabant fœnori filios, quod Athenis prohibuit Solon, & Romani fœneratorem quadrupli condemnabant, vſuras ſoluebant Idibus, Græci noua luna, niſi ſoluiſſent, amittebant pignus, ſiue ager, ſiue veſtes, ſiue aliud id fuiſſet, locum ære alieno obſtrictum aut lapide, aut columella ſignabant. Qui fœnori darent, & mercatores Romæ pecunias deponebant in æde Caſtoris, quæ in foro eſt, vt tabernæ mercatorum. Galli pecunias dabant apud inferos reddendas: Indi vero neq; fœnori dant, neq; accipiunt:

nec

Digitized by Google

nec ipſi tantum, vt dicebam, depoſitum abnegantes, interficiebant, verum etiam Piſidæ, & Athenienſes Draconis legibus fures, vel ficuum, quæ fuerant adeo in maximo precio in Attica, vt ἱερὰ συκὴ diceretur locus, quo primum inuentæ ſunt: hinc Sycophantæ, quo nomine dicti delatores, qui decem Athenis erant, in foro verſantes circa ſtatuam: Lyci eorum præſidis lupina forma Dei. At qui fortè reperiſſet ficum, Mercurio ſacram ſuſpendebat, quam qui vellet, tollere poterat, quòd furibus fauere crederetur Deus ille. Atrij lapidibus fures obruunt, in Scandia ſuffocant, Iudæi laqueo interimunt, & Herodis lege vendunt, antea quadruplum dabant. Myſi, qui ad Euxinum ſunt crura hominibus furacibus infringunt, Scythę eos virgis cædunt: ſed ſi res maior ablata ſit, aut nouies reddit, qui abſtulerit, aut occiditur. Lycij ingenuos furantes in ſeruitutem redigunt: apud Phriges capite luit, qui ruſticum inſtrumentum aſportauerit, bouem aratorem interfecerit. Lege duodecim tabularum fur deprehenſus ſi ſe telo defenderit, impune necatur, ſi non ſe defenderit, & liber eſt, fit Seruus, ſeruus datur præceps ex rupe Tarpeia, impuberes Prætoris arbitrio anguillarum exuuijs verberantur, etiam ſi alia crimina ſubierint, non modo furtum. Conſtituta poſtea eſt in manifeſtum furtum actio quadrupli, in conceptum & oblatum tripli, in occultum dupli: dupli & apud Græcos in eum, qui ex domo aliquid furatus ſit: ex foro vero, balneis, aut loco publico furari capitale erat, Bactriani fures ſputis deturpant. Sed Bocchoris Aegyptius Rex cum videret nec impoſitis grauiſſimis pœnis furta compeſci, permiſit furari volentibus, nomine dato apud Sacerdotem, cui & afferrent ablata, à quo domini reciperent quarta parte data furi. Perſis etiam, & Spartæ pueris permittitur furtum, & Germanis extra fines: furto Tauri Scythæ ſibi parant victum, Græci honeſtum exiſtimabant prædari, quod primi ne-

glexere Athenienſes. Liparenſium mos erat, velut publico latrocinio, partam prædam à piratis diuidere. In Samo licet rapere, vbi Mercurio Charidote faciunt, quòd Samij Inſula relicta decem annis præda vixerint, deinde reuerſi hoſtes ſuperarent. Apud eos, qui ab Euphrate ad Oceanum Indicum ſunt, qui ſunt Medi, Parthi, Arabes, Arij, Gedroſij, aliæq; Indorum gentes furtum, aut cædes non magnum adeo crimen putant.

Homicidæ, Cœdis, Criminumque expiatio, exules, parricidæ, Qui impunè interficiuntur, aues interficientes puniuntur. Cap. XXVIII.

IN Græcia qui fortè homicidium feciſſet, per annum exulabat, quod ab Apollonio dicitur ἀπενιαυτίσαι donec crimine expiaretur, & ij à ſacris arcebantur, impuris etiam creditis, qui cum eis conſuetudinem haberent. Draconis legibus, vt eſt apud Demoſthenem, aqua luſtrali abſtinebant, libationibus, crateribus ſacris, & foco, lege inde lata apud Romanos, qua exulibus aqua, & ignis interdicebatur, qui etiam vſu togæ carent. Exules iſti Græci ad ædes Principis profecti ſedebant in limine operti, eum enſe, quo interfecerant hominem, eius capiti abſterſo, & ſi cognatus fuiſſet, cum ſummis quibuſq; partibus ſub alis, id dicitur à Sophocle μαχμηλιῶσθαι non enim manes poſtea lædere poterant. Expiantur ab illis, ad quos confugerint, qui carminibus manes placant, culpam remouent, ſepties pollutos abluunt aqua viua (totidem polluti veſtes) porcum cœdunt, Iouem Hoſpitalem inuocant, præcantur ne pollutos furiæ agitent, ſed iram deponant, famuli ramenta per ædes ferunt. Sæpius qui ſe criminibus expia-

Digitized by Google

expiabant, in littore sacrificio facto, in mare ea proijciebant, quibus expiatio facta erat, quod videtur ex Homero, inde Catulli illud est.

Nec genitor Nympharum abluat Oceanus.

Nam & apud Hesiodum Oceani filiæ sunt Nymphæ. Hoc modo cæde pollutũ expiauit Adrastus Thebis Tydeum, Peleus Patroclum, qui puer puerum Clysonimum iratus interfecerat, qua causa & dicitur Paris, vbi rapuit Helenam, ad Menelaum profectus Spartam, cum imprudens Antheum, quem amabat, occidisset Antenoris filium. Memphis qui hominem interfeciſſet, exul in montibus erat, donec rediens sacra ad perempti tumulum fecerit, expieturq; à Gymnosophistis. Affecti exilio apud Athenienses in Lemnum fugiebant, aut Scyrum veteri adagio σκυρία δίκη de acri, rigidoq; iudicio. Artemidorus à Theseo dictum tradit, qui capite postulatus aufugit in Scyrum, vbi sacris initiatus est. Apud Romanos extremus olim exilij locus erat Tybur, nec nisi post. xlv. diem damnabantur, extorres vel vrbe tantum erant, vel certis locis, aut deportabantur in Insulam. Cicero L. Laniam, qui Clodianis temporibus Equestris ordinis Princeps erat, cum pro Ciceronis ipsius salute accerrimè propugnaret, à Gabinio Cos. relegatum scribit, quod antè id tempus ciui Ro. Romæ contigit nemini: deportabantur quandoq; ad opus publicum, quod instituit Semiramis aliqua tunc capitis parte derasa, quorum & publicabantur bona. Redeuntes aqua aspersi supergrediebantur ignem, quæ suffitio dicitur, vt etiam expiatio funeris causa. Qui vero consultò hominem interfeciſſet, hunc occidebant Græci, nisi iusta mortis inferendæ causa probaretur: Iudæi hos gladio conficiunt, vel laqueo, vt & eos, qui parentibus manus intulerint: quos qui non obseruauerit, arcetur apud Græcos à Magistratibus, tanquam qui agere nihil iustè possit, nec libare. At parricidam Romani verberatum

culeo insuunt cum cane, gallo, vipera, & simia, & in mare proijciunt vel si longè à mari sint, bestijs, iussu Adriani Principis: Aegyptij articulatim præacutis calamis cæsos supra spinarum aceruum comburunt: qui filium interfeciſſet, triduum cogebatur circa cadauer morari, nulla alia pœna. Parthi, & Armenij non plectiunt, qui liberos cœlibes, sororem innuptam, aut vxorem peremerint: qui alios, is ab Iudicibus, vel cæsi cognatis morte multatur, & ab Aegyptijs qui vel sponte, vel forte ibim, aut felem confecerit: qui sponte alijs animantibus, quæ ipsi colunt, intulerit mortem, si à Sacerdote impositam pœnam aspernatur, capite luit. In Thessalia capitale erat, cicionias occidisse, quoniam perimunt serpentes: in Galatia cepisse aues, quæ vocatæ locustas perdunt, qui eas cœperit si effugisset pœnam, alio anno nec accersitæ accedunt. Athenienses Atarbem interfecere; qui sacrum Aesculapio passerem interemerat. Alexander pauonum specie delectatus in India, pœnam constituit eorum interfectoribus, vt antiqui eis, qui delphinum læsissent, qui miluum in Britannia, qui vultures in Italia. Apud Thessalos, qui occisionem fecerit, is cæsus, eius cadauer circa defuncti tumulum trahitur, quo more & Achilles Hectora traxit circa Patrocli sepulchrum.

Adulterij Pœna, Stuprum, Productores παυδόωιλοι, molles. Cap. XXIX.

IN Germania adulteram crinibus recisis, adstantibus necessarijs, vir domo expellit & verberibus per vicum agit: Pisidæ circumducunt cum adultero asino impositò, adulteram asino Cumæi, vbi spectandam præbuissent in foro de saxo, ignominia inde affectam.

Leprei vndecim diebus in foro stare cogunt pellu-

Digitized by Google

pellucida veſte, adulteros triduum circunducunt per vrbem, circunducunt & lana coronatos tanquam molles ij, qui Grotynam incolunt in creta, venduntq; ſub haſta quinquaginta ſtateribus, ducenis ſcilicet drachmis, inde ad Remp. non accedunt. Placiades in Attica poditi raphanos, aut ligonem inferunt.

Et adurunt pilos, pro raphanis Athenienſes mugilibus vtuntur: alij Græci pudenda vellicant, donec multam perſoluerint. Solonis lege impunè interimitur adulter deprehenſus, quam legem primus tuliſſe creditur Hyettus Argiuus cum Molurum Arisbantis interfeciſſet vxorem adulterantem: Adultera nec ornare ſe veſtibus, nec ſacra adire poterat, ſi feciſſet, verberibus cuiq; eam cædere licebat, & ornamenta detrahere. Romani adulterum aut occidunt, aut vltra ducemteſimum lapidem ab Vrbe remouent, aut repudiant: togatæ ſunt, quod ſic præſtarent meretrices: mox & in lupanari concubitus hora, quæ nona erat (Nonariæ propterea dictæ Perſio meretrices) conſtituebantur, admiſſis ad tintinnabulum ſtupratoribus more à Theodoſio Principe ſublato. Macrinus Cæſar, qui feciſſent adulterium coniunctos comburebat viuos. Adulteras Iudæi lapidibus petunt, Arabes interimunt, interimunt & adulteros Armenij, & Tenedij, vnde erat in eorum numiſmatibus ſecuris, altera parte ex eadem ceruice duo vultus: interimunt & Romani modo ſe telo defenderint. Milo flagellis cædit Salluſtium in adulterio Fauſtæ Syllæ filiæ inuentum. Maomethi lege adulter accipit plagas centum, in Aegypto mille, mulieribus truncantur nares, nates apud Armenios, & Iberum Sacerdotes, adulter caſtratur, & quicunque crimen admiſerit non morte luendum, ne huiuſcemodi filios gigneret. Salæthi lege Crotoniatæ comburebant mœchos, hac & ipſe damnatus, cum non caſtè in complexus fratris vxoris veniſſet. Saxones matronam adulterio pollutam, aut virginem ſtupratam

ſtran-

ſtrangulant, ſupra crematæ ſepulchrum violator cingulo tenus veſtibus reciſis, flagellis cæditur, caſtris matronis oppidatim pungentibus, donec interimatur. Athenis quę vim paſſa fuerat, eius, qui vim intuliſſet, vel nuptias, vel mortem optabat lege, quam ſignificat Terentius, vbi repetit Philumenam inuentam eſſe ciuem Atticam. Solon ei, qui vi, aut metu mulierem compreſſiſſet, quæ meretrix non eſſet, impoſuit multam decem drachmarum: qui rogando, aut ſuadendo viginti: productores capite plecti iuſſit, inuitarum perſonarum erant, vnde & προαγωγίαν, dixit Ariſtoteles, lenocinium vertit homo doctiſſimus Leonardus cum productio id apud Latinos nuſquam ſignificet. Romæ qui ſtuprum intuliſſet, decem millia ſoluebat. Comburebant Iudæi qui cum matre, filia, priuigna, nepte, Socrum habuiſſet: qui cum nouerca, nucru, aut beſtijs, hunc lapidibus appetebant, vt & qui ſimulachra colerent, & parricidas. Lege Pauli i.c. deportabatur in Inſulam qui tentaſſet ſtuprum, qui alienæ vxori intuliſſet, aut puero capite luebat, Lai lege concrematur qui ſubigeret puerum, ſubegiſſe tamen primus ipſe creditur, & hac cauſa rapuiſſe Chryſippum Pelopis filium. Apud eos, quos ab Euphrate ad Indicum Oceanum eſſe diximus, qui id facerent, cum perferre ignominiam, qua appetebantur, non poſſent, ſibi munus inferebant, parentes pathicos interfectos non ſepulchro mandabant. Athenis muliebria paſſus non Magiſtratum gerit, non ſacerdotium, non legationem, concionem non habet, nec ius dicendæ ſententiæ, publica non addit ſacra, nec cancellos fori penetrat, nec in publica concione coronatur: ſi horum aliquid fecerit, capite luit, vt & qui vim illi intuliſſet, niſi multam ſolueret, hi Spartæ ſemper infames erant: qui puerum in poteſtatem haberent, & proſtituiſſent, pœna tenebantur,

Morte

Digitized by Google

Morte Damnati, Propinqui Nocentium interficiuntur. Cap. XXX.

QVOS morte damnarent Romani, hos nec odisse, nec amare iurabant: non damnabant in conuiuio, quare Senatu remouit Censor Cato L. Quintium Flaminium, quòd Placentiæ nobilem Boium transfugam, vel hominem damnatum in cõuiuio interfici mandasset, vt Philippus Pœnus charum, ac nobile scortum, vel, vt tradit Valerius Antias, mulier, cuius amore Flaminius deperibat, morientem hominem videret. Hos pendentes furca virgis cædebant, vel vnco trahebant ad scalas gemonias, siue præcipites dabant è rupe Tarpeia, comburebant etiam, sed institutum vt extra portam Exquilinam fontes capite multarentur. Athenienses nocte hoc faciunt, causam refert Olympiodorus ad vim Solis, sic Lacones, qui maximis criminibus damnati sunt, præcipites mittunt in foueam, quæ Ceada dicitur, Thraces sagittis noxios conficiunt, Bastetani Hispana gens lapidibus, sic Macedones proditores, quos Germani arboribus suspendunt, nec eos tumulo contegunt, sed nec in Græcia supplicio affecti condebantur patrio sepulchro, quod miserum credebatur, hos vocauit Dinarchus ἀποτάφους. In Aethiopia mortis signum illi mittitur, quem occidi volunt, & sibi ipse manus infert, in Persida zona trahuntur à cognatis, sed nemo vnius tantum delicti causa plectitur. Apud hos plerunque vestes eorum, qui plectendi essent, flagris cædebantur, hominibus ipsis pœnam deprecantibus. In Aegypto qui in custodia sunt, interficiuntur vbi è mensa illis panem miserit Rex. Impunes erant damnatorum filij. L. tamen Sylla primus eorum, quos proscripserat, filios, Magistratu abdicato, Senatu eiecit, & Tyran-

rannorum liberos interfecere Græci: Macedones propinquos eorum, qui Regi insidias parassent. Apud Persas ob noxam vnius propinquitate omnes coniuncti puniuntur.

Capite quæ Luuntur, Iudices corrupti, testes falsi, pœnæ aliorum criminum, Honoresq; vt deferuntur. Cap. XXXI.

ATHENIS capitale erat furtum, sacrilegium, rapina, proditio, in alienas ædes irrupisse, redegisse homines in seruitutem, bellum, aut seditionem in vrbe concitasse, corrupisse numos, ex sepulchro vel illicem incidisse, Ephesi mulieribus Dianæ templum subisse, omnibus Ioui Lycæi in Arcadia, in Palma Insula, quæ est in Atlantico Oceano, ante nuptias cum fœminis coisse, Romæ occentasse, carmen scilicet condidisse, quod alteri infamiam faceret, Athenis hic quingentis drachmis multabatur, Carcetæ sacris interdicunt, qui iniuriam intulerit. Capitale & Athenis corrupisse iudicium. Massiliæ Iudex numarius bonis exutus infamis fit. in Tenedo Tenis lege, qui Neptuni nepos fuit Cycni filius, falsi testes illicò securi cædebantur, vnde & illud Ciceronis est Tenediarum libertas securi Tenedia præcisa, quod & antea vidit Des. Erasmus pietate, & doctrina Magnus. Lege duodecim tabularum testis mendax è saxo Tarpeio deijcitur, corruptus Iudex capite luit. In Persida veneficis saxo confringunt vultum, alios scapha includunt, facie, manibus, pedibusq; extantibus, melle oblitis, vt excrementis, vespis, & vermibus miserè pereant. Proditores saxis petunt Athenienses: Hostilius Metium hac causa equis duobus alligatum discerpit, Herculem imitatus, qui eo modo apud Hera-

Digitized by Google

Heraclium amnem in Bœotia interfecerat Pyræchmen Euboeæ Regem, qui bellum intulerat Bœotis. Germani transfugas, & ignauos palude mergunt, transfugas alij comburunt, & Armenij, Ibereſq; Sacerdotum mortuorum vxores, quæ iterum nupſerint. Sacrilegi aut comburuntur, aut ſuffocantur, aut aguntur præcipites, quam pœnam diuina prouidentia ſubiiſſe dicuntur Philomelus, Onomarchus, & Phaylus, qui Hieroſolymis fanum expilarunt. Eorum, qui impij fuiſſent, bona publicabantur in columnis Atticis, quæ in Eleuſina ſunt, ſcriptæ. Serui ob leue delictum per viciniam furcam ferebant collo, deinceps illis nihil credebatur. Solonis lege qui in ſeditione cum neutra parte fuiſſet, non vtebatur honore, nec tertio otij conuictus, ſed Draco otioſos capite damnauerat, punitur Corintho pauper, qui ſumptuoſius viueret, in Perſide, in Macedonia, Athenis ingrati: apud Aeginetas qui cauſam dediſſet legis ferendę, quòd bonæ leges ex malis moribus ſint: Athenis etiam, qui iniquam legem tuliſſet aut ψήφισμα contra Reip. commodum: qui tuliſſet accuſari poterat intra annum, poſt annum actio dabatur in legem, aut populi ſcitum, hinc Cephalus Athenienſis gloriatus dicitur, quòd cum plura ſciuiſſet, quàm cæteri, nunquam accuſatus ſit. Ariſtophon contra, quòd quinquies & ſeptuagies in iudicium vocatus ob decreta facta, nunquam damnatus, quare non Catonis proprium erit quater & quadragies cauſam dixiſſe, nec quenquam ſæpius poſtulatum, & ſemper abſolutum, niſi de Romanis hominibus tantum, omnium quicunque fuere doctiſſimum virum C. Plinium loquentem intelligamus. Aſcripta apud Locros illis pœna, qui peregrè redeuntes rogaſſent. Numquid nouiſ & qui non capta calamitate patrimonium confeciſſent (vt & apud Nabatœos) quæ lex apud Leucadem antiquata eſt. Galli pinguiori multam dicebant, & illi, qui ventre ſupra præſcriptam zonæ menſu-

Digitized by Google

ram prominenti esset. Multatur in Lucania, qui vespertinum hospitem non accepisset. Spartæ ebrius, qui vxorem serius duxisset, durus maritus, qui diuitum affinitates sectaretur, quomodo & multam irrogarunt Lysandri generis, qui eo mortuo filias, quas in matrimonium acceperant, repudiassent, quòd secùs, quàm credidissent, Lysander pauper fuisset. Cælebs arcetur à ludis gymnicis, hyeme nudus forum circunibat, nec iuuenes habebant illi honorem, vt cæteris solent Aegyptiorum more, quod & Romani fecere senioribus assurgentes, decedentesq; via. At Persæ quos honorant, osculantur, Aegyptij manibus tangunt genua, Alexandrini in Aegypto cum aduentantem publicè honore excipiunt, huic per genera, ætates, & artificia diuisi occurrunt. Scythæ demum, qui inierit certamen cum alio, victusq; huic dextram amputant, qui libero homini incussérit plagas, è via detruserit, aut vestem discinderit, hunc eorum antiquo more puniunt.

✠

SECVNDI LIBRI DE MORIBVS FINIS.

ALE-

Digitized by Google

ALEXANDRI SARDI

FERRARIENSIS,

DE MORIBVS.

LIBER TERTIVS.

Fœciales, Bellum Indicitur, ſigna militaria. Cap. I.

BELLVM indicturi Romani res mittebant per fœciales quatuor repetitum, quos dicebant Oratores, ab Anco Aequicolorum exemplo xx numero inſtitutos: res ſi non reddidiſſent poſt dies tres, & triginta eductum in eorum finibus arietem emittebant, ſignificantes eas vrbes, & agros compaſcuos fore, vel haſtam ferratam, aut ſanguineam præuſtam verbis ſolemnibus, quæ ſunt apud Liuium. Aucto vero Imperio cum nimium hoſtes diſtarent, iaculabantur haſtam ſupra columellam, quam bellicam vocant, ante ædem Bellonæ, & qui primo loco Coſ. renuntiatus eſſet, toga cinctus, quòd ſic Romani dum ſacrificarent, Gabios hoſtes inuadentes fugaſſent, Iani poſtes aperiebat, quòd Romulo Rege aqua calida inde erumpente in pugna Romanorum aduerſus Sabinos, Sabini ipſi victi ſint: & ſacrarium Martis ingreſſus ancilia mouebat, haſtamq; Dei dicens Mars vigila. Acturi cum Rege amico bellum, quem ſcilicet ſocium vocaſſent, & Regem, Scipione eburneo, & toga picta donaſſent, amicitiæ per legatos renuntiabant, ſic ad Perſen in Macedoniam miſere Cn. Seruilium, App. Claudium, & T. Annium Luſcum. Quæſtores Vrbani prolata ex ærario ſigna dabant Conſuli, aut ei, qui duceret exerci-

Digitized by Google

ercitum, in signis erat aquila (hanc & Persarum Reges habent in exercitu auream) lupi, minotauri, apri, equi. Sed Marius in secundo Consulatu alijs abdicatis solam retinuit aquilam longo conto præfixam, quòd in Iouis tutela sit vel augurio illi facto aduersus Titanas proficiscenti, vel quòd aerem altius, quàm Cæteræ volucres penetret. Germani ferarum imagines in bella ferunt, Indi Herculis simulachrum. Signa conseruantur in castris intra ædiculam aris positis, & signo adorant milites. Ducis effigem gestat prima cohors in vexillis, etiam si ille abesset, modo eius auspicijs gereretur bellum.

Milites, eorum Iusiurandum, stipendium, delectus. Cap. II.

LEGIBVS decem annis cogebantur Romani militiæ munera exercere, mox quindenis, pluribus deinde, Tiberius veteranos dimitti xx. anno militiæ statuit. Nomen non dabant senes, nec sacerdotes, nisi tumultu Gallico, quo populus & Senatus, vt & in bello ciuili, sagum induebat. Iurantes in verba Imperatoris gladios admouent ceruici, se diris execrationibus deuouent, in verba principis iurant Cal. Ian. Qui sacramento non teneretur, nisi Imperator iussisset, hostem ferire non poterat, quod scripsit ad filium, vel ad Paulum Aemylium Imperatorem M. Cato. Romani ipsi ducenis annis absq; stipendio militarunt, postea Anxure capto Cornelio Cosso, C. Fabio, L. Valerio Tribunis Mil. decreuerunt Patres vt stipendium milites acciperent, capiebantq; singulis diebus denos asses, Tiberio Principe datus est denarius, bini cohorti Prætoriæ, totidem Centurionibus, duplex stipendium, quod dicebatur æs pararium, equiti, quòd duos haberet equos, vt altero desudante, in alterum desiliret:

dabatur

dabatur equiti ipsi equus, militibus frumentum etiam, & vestes. Athenienses in bello Peloponnesiaco classiarijs pendebant drachmas binas, peditibus tres obolos Aeginæos, Aeginæam drachmam equiti: Pericles octo minas ijs dari voluit, qui in triremi essent. Habebantq; delectum Athenienses ipsi prima die mensis, nec ante septimam educebant exercitum, Spartani non ante plenilunium Lycurgi legibus, semper enim obseruant dies lunares, nec eandem existimant Reip. administrationem esse nascente luna, quæ plena. Romani delectum non habebant, nec bellum inferebant (propulsabant tamen) Latinis ferijs, nec in Saturnalibus, nec cum mundus patet, qui dies ab eis colitur Diti, & Proserpinæ dicatus. Parthi mercenarium militem nullum habent: acturi bellum imperat Rex Satrapis vt scribant copias, quæ finito bello dimittuntur, secum afferentes bello parta, sic & Persæ faciunt, sed hi ad bellum profecturi ante Regem singuli in cophino sagittam mittunt, redeuntes extrahunt, quot remanserint, tot in bello perijsse certum est. Sueui altero anno pugnant, altero colunt agros. Galli nobiles bella gerunt clientum manu stipati, initium belli est apud eos concilium, quo puberes armati conueniunt, eo, qui nouissimè venerit, in conspectu omnium trucidato.

Exercitus Educitur, Duces, cohors prætoria, Legati, præfecti, Tribuni militares, Imperatoris insigne. Cap. III.

CONSVLES exercitum in expeditionem educentes sacra faciunt, vt & Principes, qui extra vrbem à Senatu, & populo Ro. deducuntur, datis gladiatoribus ante,

ante, vt Nemesin sanguine placarent, vel milites assuescerent vulneratos homines videre. Cos. olim exercitus ducebant mox alij Duces, qui dicuntur Prætores, in prouincijs, quibus in exercitu semper aderat cohors Prætoria altera euocatorum militum, altera nobilium adolescentum, qui sponte cum Proconsulibus, & Prætoribus in prouincias exibant, vt vsu rerum peritiores domum redirent. Præerant Legati legionibus, auxilijs præfecti, Tribuni militares omnibus, & alij Romæ comitijs designabantur, alij in exercitu, hi Rufuli, illi comitiati dicuntur quibus pendebantur L L S. quinquaginta. Horum officium est curare vt miles veste indutus sit, armis bene meritus, exercitationis vsu, & disciplina eruditus, ne vis, aut seditio in castris oriatur, & coercere milites, qui deliquissent, vite, quam Tribunis præferebant lictores. Nam L. Drusus, & C. Gracchus TRR. P. rogatione ad populum lata sanxere ne liceret quempiam Latini nominis virgis cædere, sed vite, quare & Centurionum insigne vitis erat, Imperatoris vero chlamys purpurea, cæruleam induxit Sex. Pompeius Magni F. bis classe victo Octauio, cum se Neptuni filium diceret, penula vero non vtebantur Imperatores. Batani Ducem, quem eligunt, scuto imposito circumferunt humeris. Syracusani non alio statuere in bello Imperatore vti, quàm Corinthio, Dionysij tyrannide liberati à Corinthio Timoleonte.

Legiones, Auxilia, Castra, militum cibus. Cap. IIII.

IN exercitu Romanorum erant quatuor legiones, quæ diuidebantur inter Cos. si ambo in castris fuissent. Arce Neapolitana ab Hannibale occupata, octo fuere. In legione scripsit Romulus tria millia peditum, equites trecenos,

Digitized by Google

cenos, quem numerum duplicasse eundem credidit Plutarchus receptis in vrbe Sabinis. Tamen quo anno secessit plebs in montem sacrum fuere in legione militum quatuor millia, totidem primo bello Punico, vnde & legio appellabatur Quadrata: duceni pedites additi Camillo, & Claudio Cos. tunc equites erant treceni. Sub T. Manlio in bello contra Gallos quinum millium fuit legio, Polybius quinum millium tradit, & ducenorum, equitum trecenum, quod fieri asserit in summo periculo. Secundo bello Punico addiecti in legione pedites treceni, quo anno Scipio in Aphricam traiecit adscripti sex mille duceni pedites (Festus existimat Marium id primum fecisse) equites treceni, totidem bello Macedonico, sed peditum tantum sena millia: nec auxilia numerantur in legione, in qua ex socijs totidem pedites adduntur, equites ferè triplicati. In bellum ituri tridui secum victum ferebant, Romani milites ferè plus dimidiati mensis cibaria, arma, & vallum: nam, nisi edito loco castrametati essent, ea fossa cubitorum quatuor cingebant, agere, vallo, truribus, telis, & cratibus: locis quatuor castra ipsa angulosa, totidemq; portis: intus Romani milites nec cibum capiunt, nec se dant somno, nisi ante buccinā signo dato: edebant vero laridum, & caseum, potio posca erat: apud Homerum dormiunt supra bouis corium, capite stragulis deposito, aut clypeo, prope equi erant, arma circum. Sed Romani mane Centurionem adeunt, ille Legatum, legati, & Centuriones Ducem, qui tesseras daret. Britanni vero castra sudibus cingebant decempedalibus, Neruij incisis arboribus earum ramis complicatis, cæteri Galli, & Thraces curribus. Nearchus Alexandri Præfectus quandoq; muro.

Militum

Digitized by Google

Militum Arma, curru certantes. Cap. V.

ROMANORVM peditum arma ea erant, quibus vtebantur Sabini, galea, fica dextro latere, gladius finiſtro, haſta, ſecuris, ſerra, falx, & catena, ſcuta Argolica prælonga vt hominis ferè corpus, cuiuſmodi Græcorum ſunt apud Homerum taurorum tergore, ferrea lamina ſuperimpoſitâ, tyronibus dabatur alba Parma, & pura haſta ſine ferro, inde illud à Marone dictum videtur.

Parmaq; inglorius alba.

Quoniam in clypeis apud Romanos, Poenos etiam, eorum imagines erant, qui illos tuliſſent. Pectus loricâ cingebant, ſpæ fugæ ablata, quas dixere thoraces: caligas clauis conſpicuas habebant crebris, & præacutis, quos caligares, & caligarios vocauit Plinius. Equites thoracati manu ſuſtinebant haſtam ingentem abſq; ferro, contum dixere, cingebant gladium, caſſidem habebant, & ad equi latus clypeum, pharetram, iacula tria lata cuſpide. Lacedæmonij vero in ſcutis A, litterâ habuere, Megarenſes M. Clypeos Aethiopes è pellibus gruum faciunt, Maui elephantum, vt Antæi parma erat, quæ Tingi oſtendebatur in Mauritania. Paphlagones, Teucri, Cilices, Mosynoeci breues è corio, breues & Britanni, longos Achæi, haſtas vero breues, longas dedit Philopœmen, thoraces, & ocreas, clypeos habent Cimbri albos, Germani coloribus diſtinctos; apud quos qui ſcutum in bello amiſerit infamis, non ſacra adire poteſt, nec concilium; infames & ij Athenis, vbi ῥιψάσπιδες dicuntur, vt ab Aeſchine Demoſthenes & ab Ariſtophane Cleonymus. Qui hoc faceret Spartanus interficiebatur, quare matres admonebant liberos, in patriam aut cum ſcuto, aut ſupra ſcutum redirent.

Digitized by Google

rent. Scuta etiam è crudo bouis corio habebant Indi, & Rhoxolani Scythæ, galeas item, & thoraces, quos Sarmatæ faciunt ex vngulis equinis instar squammarum politis, & equinis, bubulisq; neruis consutis: thoraces Aegyptij, & Phœnices ex lino, antiqui etiam, cuiusmodi erat in Grynæi Apollinis templo: Heroes vero æneos, vt arma, habebant: duæ erant æris laminæ fibulis iunctæ, altera pectori, & ventri, altera dorso muniendo apta, gyalaon illam, hãc prosegon dicunt: quare & sine scuto quandoq; pugnabant, vt Phorcys apud Homerum. Galeas fecere antiqui ex pelle caniculæ piscis, quæ dicitur, κυνέη, quo nomine propterea dicta etiam cassis, Milyæ, & Mosynœci è pelle animalium, Thraces vulpium, bouis, aliorumue animalium. Græci, vtrinq; posuere vel apri, vel feræ alterius setas, in medio pileum eius pilis sutum: Moschi, & Phœnices habuere lineas, ligneas Mares, Teucri æreas cum cornibus boum, auribusq; Assyrij ferreas, pectore tamen nudi, vt barbari alij pleriq;. Galeis etiam lupi pellem imponebant milites, & cristas equina cauda, Cimbri animantium formas: hinc, & hinc pendebant catenæ, quæ collum tuerentur. Nudo capite pugnam ineunt Persæ, tiara quandoq; tegunt vt Medi, & Carmani, mitris Cissij, Bactri, Arij, Chorasmij, Sogdij, Gandarij, & Dardicæ: Struthio camelorum pellibus muniuntur Macæ Aphri, Pardorum, & leonum Aethiopes, corporis parte gypso, parte minio illita: lycij caprearum, & Caspij, quas vestes Sisyras vocant, Pœnicorio, Indi ligno, arborum cortice Aebatarnæ Scythæ, Persæ tunicis (thoracem vocat Strabo) ferreis squammis, & femoralibus, sic Medi, Carmani, & Cissij: Heruli campestribus, Molynœci veste alba, versicolori Sarangæ, caligis vsq; ad genua, Paphlagones ad medium crus, has ex hinnulorum pellibus Thraces habent. Arma non habent Galli præter clypeos, quos dicunt Thyreos. Thebani in pugna clauas tenent,

Digitized by Google

quòd eorum ciuis fuerit Hercules: clauas & Sobij Indi, asserunt enim se ab Hercule genus ducere, clauas item Aegyptij, sed ferro munitas: Persæ, Cissij Assyrij pugiones, & hastas breues, vt Bactri, & Sarangæ, & Paphlagones, quibus Aethiopes præfigunt capreæ cornua, Persæ etiam, Parthi, & Triballi, Sarmatæ vimineas cuspides: Arabes arcus maiores, & sagittas ex arundine, vt Aethiopes lapide præfixo loco ferri, ossibus asperant sagittas Fenni, veneno Scythæ, arundineas habent Indi duorum, triumùe cubitorum, & ex arundine arcus maiores, vt Caspij: Aethiopes palmarum Spatulis cubitorum quatuor, Lycij, & Sarmatæ è cornu, arcus laxos Ismahelitæ, pharetras, & hastas prælongas: sagittis tantum pugnant Basilidæ, qui ab Hercule se dicunt esse. Sarmatæ gladios longos vtraq; manu tenebant; iam oblongum alterum, & quadratum, quo punctim feriunt, breue alterum, & latum, quo cæsim: Britanni lanceam, & gladium, sed in prælio nudi sunt, vt Germani, vel certe hi breui sagulo induti: Curetes lanceam latam, gladium Indi, & iaculum, iacula & Græci, quibus quandoq; vel manu retentis hostem petunt: iacula montani Arcades, bina Cilices, totidem Cimbri, & macheras: iacula Pœni, quibus post primum punicum bellum non permissum habere gladios: Caspij gestant acinaces, Sacæ dolabra, Teucri bina veruta, fustes Aestyi, tres fundas Baleares, lapides etiam, vt & Cassiteridum incolæ, restim. Sagarij, qua comprehendant hostes, sed hi insident equis, vt Mauri, & Sacæ fœminæ, Indiq; loris bubulis equos cohercentes, camelis Arabes, afinis Carmani, & Sarraceni, Indi etiam curru: iungunt onagros, vel equos Aphri, & Britanni, qui de curru pugnant more antiquo, Heroumq; Biga hi vtebantur, quadrigia Hector primus, octo equos iunxit Abradatus Susorum Rex: inuehebantur curru auriga & pugnator, qui descendebat bellum inicurus, conscendebat recessurus, ex curru quandoq

iacula

Digitized by Google

iacula mittebat in hostes. Apud Indos curru vehebantur aurigæ duo, totidem clypeati, duo sagittarij à lateribus. Hyrcani, & Magnesij, qui prope Mæandrum sunt, equites habent in pugna, venaticos canes, & seruos: cumq; aduersus Ephesios pugnarent, solutos canes misere in hostem, inde serui iaculati sunt mox ipsi irruptione facta hostes fugarunt. Galli vero equites in prælio duos habebant seruos equites, alter dominum vulneratum, interfectumue asportabat, alter eius loco pugnabat, quam equestris pugnæ institutionem patria lingua Trimarcisian dicunt, quoniam Marcam equum appellant. Caspij etiam in prælio canes ducunt, qui agmine, & latratu ruunt in hostes.

Pugna, eius signum, Symphoniaci in exercitu ordines, cunei, deuouentes sese, Romanorum acies. Cap. VI.

IMPERATORES antequam pugna decernerent, milites se in armis exercere iubebant, & P. Rutilius Cos. ex ludo C. Aurelij doctoribus gladiatorum vocatis, voluit milites docerentur ictus inferre, & declinare. Pugnæ signum vestis purpurea erat super Imperatoris tabernaculum [quam etiam manu tenet apud Homerum milites ad pugnam adhortaturus] vexillum, & tubæ sonus apud Romanos, qui antea, quam clypeos caperent, tribus, aut quatuor audientibus absque tabulis nuncupabant hæredes, mox Deis adoratis, leui clamore, quem barritum vocant, inibant prælium cornuum, & lituum conuentu, cursuq; quem militibus in pugna capescenda interdictum à Pompeio damnauit Cæsar, ac si militum vires, impe-

Digitized by Google

tumq; compressisset. Clamantes etiam concurrebant Barbari, vt apud Homerum Troiani: Hunni, Gotthi maiorum laudes concinnentes, Germani Herculem, Carminaq; obiectis ad os scutis: gentis iterant nomen Ambrones, armaq; pulsant, Samnites vibrant hastas, quibus in pugna non vtuntur: at Græci silentes, cum antea Marti ceciniſſent Poeana: Canunt, & Nomades Scythæ ante pugnam: Lacedæmoniorum Rex Musis sacra facit, vt præclara facinora præclaræ orationes sequerentur, quod olim dixerat Eudæmonidas, milites capillis pexis coronati ad tibiæ, lyræ, & anapœsti modulos, quod Castorium dicunt, progrediuntur, vt seruent ordinem, disposito propterea inter ordines tibicine, quos in exercitu habuit Haliattes Lydiæ Rex, fistulatores etiam, & fidicines. Ad tibiam quoque Tyrrheni pugnant, tympanis corio ligno concauo affixo vtuntur Parthi, Indi Nysæi etiam cymbalis, cythara Cretenses. Antea vero, quàm hæc reperta essent, facibus excussis vates, qui πυρφόρος dicebatur, aciem præcedens pugnæ signum dabat. Macedones quando conferendum certamen est purpura ornantur, Arabes capillis cornua effingunt, Solem venerantur Parthi, & impetu in hoste facto, nisi eum fugarint, fugiunt ipsi, in fuga sagittas mittunt, nunquam vero nocte pugnant, contra Arij Lygij decertant tenebris, nigris scutis, corporibusq; Acrius dimicant Lacones donec hostis terga dederit, fugientem haud multum sequuntur, Rex in medio duarum tribuum est, ante se homine constituto coronato, qui quandoque victor fuisset. Persarum Rex Regni successore declarato, in acie medium locum tenet, inter duo cornua: pedites post equites sunt veluti calones, & vltimo agmine fœminæ, quæ cum viri fugerint, conuitijs eos insectentur, qua causa retulit Cyrus de Medis victoriam, cum victi essent Persæ, eo modo Triballi extremam aciem ex mulieribus instruunt, primam ex imbellibus viris, alteram

teram ex fortibus, equitibus vero tertiam. Thebani sacram cohortem in prælium inducunt, quæ ex eis est, qui se mutuo amant, & amantur, vt dispudeat timidè aliquid, vel non omnia fortiter in eorum conspectu gerere, à quibus maxime laudari velint. Germani hac causa ex propinquis faciunt cuneos, sed equites, peditesq; miscentur, pugnantibus cibum ferunt fœminæ, quæ fortibus quibusdam declarant, quando prælium ex vsu committere sit, turpe ex pugna redire. Principi superstitem, & Hispanicum eo Duce moriuntur, cui se deuouissent. Qui deuouerent sese in genua procumbentes truci murmure carmine enuntiato, caua manu collectum terra puluerem in terga spargunt, iurantes non nisi victores domum redituri. Scythæ, & Thraces cuneis pugnant, sed Thraces non nisi temulenti, cuneis etiam Macedones Philippo auctore, quam dixere phalangem, Thessali acie quadrata, Romani triplici agmine: primo loco Hastatos ponunt, leuitumq; turbam, qui hastam tantum, & gesam gerunt, iuuenes omnes: robustior inde ætas, quibus Principibus est nomen: sub signis collocantur quindeni ordines, ordo vnusquisq; tres partes habet, Triarios veteranos milites spectatæ virtutis, Rorarios minus roboris, ætate, factisq;. Accensos minimæ fiduciæ. Hastati omnium primi pugnam ineunt, si profligare hostem non possent, eis recedentibus in interualla ordinum receptis, principum pugna est, sequuntur Hastati: si apud Principes haud satis prospere esset pugnatum, à prima acie ad Triarios sensim referebantur, qui in interualla ordinum Principibus, & Hastatis receptis, compressis ordinibus vno agmine in hostem incedunt. Dispersi milites tuba congregantur esse, & ære facta. Existente terræmotu prædium Græci, obsidionem, aliaq; quæ in re militari facerent, omittebant.

Mono-

Digitized by Google

Monomachia. Cap. VII.

APud Homerum vbi ſolus cum alio in certamen deſcenſurus quis eſſet, ſorte ſignata in galea poſita educitur, qui primus ferire deberet, is gladio collo ſuſpenſo, galea loro, fibulaq; ſub mento ſtricta in hoſtem iaculum, deinde ſaxa intorquet. Iam vero non hoc modo duo ſimul certant, ſed alio quidem, vt leges iubent, & conſuetudo manet, quæ tamen omnia quampleniſſimè ſcripſit Ioan. Baptiſta Pigna noſter homo omni doctrina, & virtute ornatiſſimus.

Naualis Pugna, Ducum, Militumq; pœna. Cap. VIII.

IN bello vero nauali naues æneum roſtrum, & in ſummitate ἐμβόλιον, habent, vt actuaria nauigia petaſum, in lætitia corymbos, quare & coronis, vittiſq; ornatam nauim miſit Dionyſius Platoni aduenienti in Siciliam. Naues ipſæ rubrica delibutæ erant, & in India ex arundinum internodijs, niſi fabulatur Cteſias. Athenienſis claſſis ante quàm è portu ſolueret, claſſiarij argenteis, aureiſq; poculis propinabant vectoribus, Duces libabant: qui in littore erant pro nauigantibus concipiebant vota, & nauigantes ipſi, vt apud Apollonium Iaſon Apollini, ἐμβασίῳ, & ἐπαπίῳ; milites arma puppibus religant, ſupra foros (κατασπώματα, Græci dicunt) manus conſerunt Symphoniacis claſſicum canentibus, & militibus celeuſma, per aſſam etiam vocem, hoc eſt ore prolatam quandoq; cythara, vt in Argonaui. Carthaginienſes Rectores duos ſingulis in nauibus præficiunt, vt altero mortuo ſupereſſet alter, & hi re male geſta pœnam irrogabant, & mortem

mortem Imperatoribus, Romani ijs, qui temeritate, aut inscitia exercitum amisissent: quo fuso sorte decimus quisq; ad supplicium legebatur: morte luebat, qui in bello locum, vbi constitutus fuerat, deliquisset, alioue modo castra, qui signa non retulissent, quare in summo discrimine Imperatores quandoq; inter hostes signa mittunt, vt pœnæ timore ea recuperantes fortiter sese milites, & honestè gererent: capite, qui arma abiecisset, aliquid à Duce prohibitum fecisset, ei manus intulisset, terga primus in pugna dedisset, aut seditionem concitasset, Seditiosi milites cum puniuntur, stabant pro concione legiones districtis gladijs, reum in suggestu ostendebat Tribunus, si nocentem adclamassent, præceps datus trucidabatur. Quandoq; qui terga in pugna dedissent, interioribus tunicis solutis in conspectu exercitus XII. P. foueam fodebant. Huic apud Lacedæmonios non dabantur Magistratibus, nec vxor cædi ab omnibus poterat, & quo dignosceretur, amictum ferebat versicolorem cinctum, barbam radebat partim, partim alebat. Solonis lege qui miles esse recusasset, aut miles timeret, vel aciem desereret, foro arcetur, templis, nec corona donari potest. Militibus quandoque Romani venam incidebant ignominiæ causa. Eorum, qui stipendium facerent, pœnæ enumerantur à Modestino castigatio, multa munerum interdictio, militiæ mutatio, gradus deiectio, ignominiosaq; missio: metalicus non fit, nec torquetur, nisi transfugæ, qui & bestiarij erant, vel in crucem agebantur; puniebantur & qui furarentur singulis diebus supra numi precium, tantum enim rapere militibus permissum scripsit Cincius in tertio de re militari. Daci cum Olere Rege aduersus Bastarnas infeliciter pugnassent, ob vltionem segnitiæ iussi sunt capita loco pedum ponere in lecto, & ministeria vxoribus facere, donec ignominiam bello acceptam virtute sarcirent.

Dedi-

Deditionis, affectuumque aliorum militum signum, Hostem interficere decus. Cap. IX.

IN pugna qui dextras leuassent, non interficiebantur, quòd eo modo deditionem facerent. Apud Romanos deditionis signum erat caput clypeo subijcere, defectionis pila concutere, & gladios, cum vexillis scuta versa gestare: proditionis apud Herodotum ostendere scutum hosti; militum iræ, & doloris hastis clypeos ferire: gaudij, & prosperitatis genibus. Macedones displicere aliquid sibi significant, vbi scuta quatiunt, & obstrepunt: pœnitentiam cum ante regiæ ianuam arma deponunt, quod efflagitata missione fecere cum sibi iratum Alexandrum crederent. Galli milites cuius orationem comprobassent in eum conclamant, armaq; concrepant: equites in pugna dextris humeris exertis pacati iudicantur, ij ceruicibus equorum hostium capita suspensa referunt, quæ postibus affigunt, Illustrium virorum condunt oleo cedrino, quæ ostendisse magna gloria: Scythæ eius sanguinem bibunt, quem primum cepere, hostium capita Regi adferunt, qui attulerit prædæ particeps est: cranium bouis pelle, auroq; operiunt, atq; in celebri conuiuio eo circunlato bibunt, nec ei datur, qui hostem non occidisset, hunc Macedones capistro cingunt: Iberes vero totidem obeliscos circa sepulchrum erigunt, quot inimicos trucidauerit defunctus, & tot annulis donant Carthaginienses, quot bellis interfuerit, quo more videtur Seuerus Cæsar, qui leptitanus fuit ex Aphrica, annulos aureos dedisse militibus, qui antea gestabant ferreos, & aureos Tribuni tantum, permisisse etiam milites domi mulierem habere, qua re primus rem militarem corrupisse dicitur.

Quæ

Digitized by Google

Quæ militibus præmia dentur, bello cæsi. Cap. X.

VICTORIA relata, tribunali conscenso, actis Dijs Imm. gratijs, Dux milites laudabat, dabatq; præmia ijs, qui in pugna victores primum fuissent, hastam puram: externis, & auxiliaribus, qui acriter pugnassent, torques aureos, & talentum, vt in bello Aegyptiaco Antipatro Herodis filio dedisse Cæsarem scribunt: Romanis ciuibus torques argenteos, armillas, & coronas ex auro, quam primus donauit A. Posthumius Dictator apud Lacum Regillum, castris latinorum expugnatis, ei, cuius maximè opera capta essent, & hæc bonorum insignia in Capitolio scribebantur. Ijs Macedonum Rex purpureum apicem, & chlamydem donat, Nomadum Scytharum vasa ænea, & argentea, & militibus præponunt, vt & Persæ. Veteres foliis, & herbis decorabant, qui vicissent, quòd virtus vireret, dabantq; placentas ex tritico, melle, & sesamo, quæ πυραμοῦς, dicitur σησαμοῦς, & ab Artemidoro κοπτὴ. Apud Homerum à Græcis post pugnam viri fortes donantur ceruicibus, & tergore bouis immolati, bello cæsos ipsi comburunt, & ad propinquos referunt cineres in patriam, pyre loco communi omnibus tumulo erecto. Athenienses Tribulum, qui interfecti fuissent, cadauera, tot arcis componebant, quot erant Tribus, & referebant in vrbem vehiculis, arca vna inani eorum, qui reperti non fuissent, fœminis passim eiulantibus, & publico condebantur sepulchro, quod est prope monumentum Callisti: quorum fuerat maxima virtus, eo loco sepulchra constituebant, eorum imagine picta in peplo, quod fertur Mineruæ: singulis annis omnes oratione laudant, inferias afferunt, Magistratus eorum parentes tuentur, liberos publicis

blicis sumptibus vsq; ad pubertatem alunt, docentq; alunt etiam qui in bello amisissent oculos pisistrati lege, quam tamen à Solone latam credidit Heraclides. Apud Romanos, qui pugnando pro patria occubuisset, publica pecunia sepulchro condebatur ad tibiæ sonum Cos. sequentibus, Tribunis, Senatoribus, Magistratibusq; oratione in foro habita, more à Publicola instituto, qui Brutum hoc modo sepeliuit. Lacedæmoniæ matres si filios vulneribus confectos pectore acceptis vidissent, eos sepulchro patrio condunt: at si tergo plagas haberent, eos aut clam domi sepeliunt, aut in communi sepulchro, quod πολυάνδριον, dicunt. Hostium cadauera insepulta relinquebantur, propinquis primus reddidit Hercules.

Quæ post Victoriam aguntur, Imperator, hostium arma, cæteraq; vrbis expugnatio, Persarum victoria, agri ex hostibus accepti, communesq; Cap. XI.

SED victoria ipsa, vt dicebam, relata, post quàm præmia Duces militibus dedissent, isti discurrebant circa tentoria, quæ pellibus olim tegebantur, pœana canentes, largiusq; bibebant, & alter cum altero cauillabatur: atque quo loco victoriam retulissent, eo Ducem salutabant Imperatorem, cui & osculabantur manus. Qui Imperatores appellati essent à militibus, & S.C. à patribus conscriptis, omne iudicium, & potestatem habebant rerum omnium, & prouinciarum, quas ab hoste recepissent, quare militibus agros donabant. Flaminius etiam victo Philippo liberam pronuntiauit Græciam: ciuitatibus item, socijs, publicanis, qui in Prouincia erant, poterant imperare

Digitized by Google

perare pecunias ad vsum belli, & milites, in exercitu libere omnia agere: fasces decorabant lauro, litteris, quas scribebant, insignia laureæ proferebant: Romani etiam, si in prouincia vicissent, nauim mittebant lauro ornatam, & laurus deponebatur in gremio Iouis Opt. Max. in Capitolio: ad Senatum scribentes vtebantur hoc principio. Si vos, & filij vestri valetis, bene est, ego, & exercitus valemus. Ad Imperatorem mittebat Senatus decem legatos, & stipendio afficiebat exercitum, vt prædam seruatam posset Imperator in triumphum afferre. Hostium arma, machinas, corruptas naues Imperatores ipsi discincti comburebant Marti, & Bellonæ, quod capta Carthagine feciſſe dicitur Scipio. Sed antequam vrbem expugnarent, carmine quodam, quod est apud Serenum Samonicum euocabant Deos, qui tuerentur Vrbem, & hos partim priuatim per familias Romæ spargebant, partim publicè consecrabant. Vrbem vbi cepissent, sedebant pro tribunali, hasta, quæ cruenta dicitur, appositа, quòd militibus prædam concederent: sic Rhodi sedit Cassius, quamuis proditione recepisset vrbem: manubias domesticis ædibus figebant. Coguntur legibus Persæ, vbi in bello superiores fuissent, vti modestia, quare populos, in quos pugnando Imperium consecuti sunt, interfectis Principibus, ne rebus nouis studerent, seruatos agros colere, pendereq; tributa iubent. Romani, quos hostibus ademissent agros partim vendebant, partim publicabant, egenisq; ciuibus exiguo vectigali colendos dabant, quod cum diuites augerent, leges agrariæ latæ, ne vltra quingenta agri iugera ciuis Ro. possideret. At apud Germanos ne ditiores, pauperesue essent, Magistratus quotannis cognationibus diuidunt agros, sic Arabes quæ possident omnia consanguinitate propinquis communia sunt, natu grandior dominus.

Digitized by Google

Sacrificia post Victoriam, Tropæum, statuæ, columnæ, fines vt notentur. Cap. XII.

COI post victoriam Herculi sacrificant florida veste, quòd deuictis in Insula Meropibus, ea Hercules indutus Alciopi filiam vxorem duxisset. Lacedæmonij si dolo vicissent Marti bouem, si aperta vi immolabant gallum, apud Messenios qui in pugna centum hostes occidisset ἑκατομφονία Ioui sacrum faciebat. Qui per præconem apud Græcos eorum, qui interfecti erant, corpora petijssent, se victi fatebantur, nec statuebant trophæum. Nam postea quam vicissent pœana canebant, & hostium cadaueribus spoliatis, oleæ trunco figebant arma, quod dicebatur trophæum, Ioui, vt ait Chrysermus, & Aristides Milesius, dicatum, Iunoni etiam, quæ propterea à Licophrone τροπαῖα appellatur. Macedones non erigebant tropæa, quòd à Carano victo Cisseo positum leo deiecisset, nec Romani: victis tamen Allobrogibus Domitius. Aenobarbus, & Fabius Max. ipsis, quibus dimicauerant, locis saxeas erexere turres, & desuper exornata armis hostilibus tropæa fixere. Romani tropæa inde posuere Ducibus, qui triumphassent, & statuas: quas primo eorum, qui Olympiæ ter vicissent, dicari mos fuit, ex membris ipsorum similitudine expressa, quas εἰκόνας vocant. Athenienses creduntur primi publicè posuisse Harmodio, & Aristogitoni, Romani Cloeliæ, & Horatio Cælitij postea in basi cœptum inscribi honores, nominaq; togata effigie dicabantur, placuere & nudæ Græcis tenentes hastam, quas ἀχίλλεας vocant, thoraces addidere Romani, & dicarunt equestres orto à Græcis exemplo, qui κέλητας tantũ dicabant, in sacris certaminibus equis victores, Athenienses eorum

Digitized by Google

rum filijs ſtatuam non dabant, quorum parentibus dediſſent, Timotheo tamen poſuere in foro, & ſi Cononis eius patris ſtatuam erexiſſent. Eas religione quadam Græci ipſi colebant, nec deijciebant. Nam Rhodij Mithridatis ſtatuam in foro poſitam conſeruarunt, cum ipſe aduerſus eos acre bellum gereret. Romani & eorum qui iniuria cæſi legati fuiſſent poſuere: columnas quandoque cum fornice pro ſtatuis, quando alios excellere quenquam oſtenderent, Principem maximè, inſculptis oppidis, fluuijs, nauibuſq; eorum, quos viciſſent: Græci etiam columnas pro tropæis erigebant, fines quoque columnis notabant, vt Iones in Iſthmo Corinthiaco poſuere, ſic Rhegini ad fretum, Gadibus Hercules, quas tamen eſſe ſcribit Poſſidonius in Herculis templo æneas octo cubitorum: ſic & Philænorum aræ in media Syrtium tellure ſunt, & in India Alexandri. In agrorum vero finibus ponebantur lapides diuerſa figura, cineres, carbones, teſtæ, oſſa, ferrum, æs, calx, gypſum, aut ficulneus vas vt dignoſcerentur. Termini etiam ex Augurum diſciplina alter ad Orientem in Occaſum, alter à Septentrione in Meridiem, ille, vt ſcribit M. Iunius Nypſus, Decumanus, Cardo hic dicebatur, quæ nomina etiam apud Plinium ſunt.

Triumphus, ſpolia opima, ſacrificium, & conuiuium poſt triumphum, ouatio, arma vbi ſeruentur. Cap. XIII.

TRIVMPHAT Romæ is, cuius auſpicijs bello geſto populi, regnaue victa eſſent, auctum Imperium populi Ro. recuperata quæ bello amiſſerant, Prouincia pacata. In æde Bellonæ extra vrbem (nec enim licet Imperatori

Digitized by Google

ratori exercitum habenti vrbem ingredi) dabatur Senatus, & decernebatur Triumphus, quem qui à Senatu impetrasset, populi auctoritate triumphabat in monte Albano, quod fecit P. Seruilius Priscus è Volscis, postea L. Valerius, & M. Horatius ex Sabinis, Aequis, & Volscis, & C. Cicereius è Corsica rediens victor. Ante Triumphum Imperator prandio excipiebat milites, populus in theatro, & foro sedilibus locis pluribus disposítis pompam spectabat, templis reclusis omnibus, sertis ornatis, ardente igne. Præcedebant lictores purpurati, oleaginis coronis, quòd Mineruam post pacem cum Neptuno olea coronatam scribit Claudius Saturninus in libro de coronis, turbam remouentes: sequuntur victima, boues scilicet auratis cornibus, affertur inde præda parta, & à seruis ligneæ turres vrbium, quas cepissent, simulachra, præliorumq; vbi pugnantes videbantur, occisi, fugientes & qui insequerentur: mox captiui, & aureæ coronæ, quibus socij donassent Imperatorem virtutis gratia: citharædorum turba, tibicinumq; omnes succincti, aureis coronis, dicebanturq; Lydi, canebant, & saltabant: in eorum medio quispiam erat veste talari, fimbrijs, & armillis aureis hostibus deuictis insultans, & gestibus ciens risum. Post Herculis signum vehitur curru Imperator corpore minio tincto, palmata tunica, purpura auro contexta, lauro coronatus, & dextra lauri ramum tenens: est enim arbor spectatissima in Parnaso, qua Delphis victores coronantur, & cædes purgantur in bello factæ; ferreum annulum induit triumphum bullam præfert inclusis remedijs aduersus inuidiam, à tergo aurea corona sustinetur, ante currum sunt hostium Duces catenati, qui vbi triumphans deflectit se in Capitolium, in carcerem abducuntur interficiendi: in equis triumphantium sedere solent eorum filij, prætextati potissimum: currum sequebantur milites per legiones, cohortes, manipulos diuisi laureati, vel corona myrtea, quòd arbos

Vene-

Digitized by Google

Veneris sit Aeneæ matris, Imperatorem laudantes, & carmina canentes salibus plena. Si Opima spolia hostium Duci Imperator detraxisset, quercus trunco affixa, Ioui Feretrio consecrabat. Et triumphans, vbi hostium Ducum, quos in triumpho duxisset, mors nuntiata esset, Ioui Opt. Max. in Capitolio mactabat victimas, ducto per forum in Capitolium sene prætexta inducto cum bulla, pronuntiante præcone Sardos venales, quòd Romulus Veientum, qui Sardorum coloni sunt, Ducem senem in triumpho duxerit. Post triumphum epulum in publico dabat Imperator, cui non aderant Consules, mox ab omnibus deducebatur donum, & postridie concione ad populum referebat quæcunque in prouincia gessisset. Bello absque cæde confecto, Dux in Capitolium ouans ascendebat pedibus, modulantibus tibijs, sequente non exercitu, sed Senatu, coronatus ipse olea, vel myrto. Milites si pax esset arma in templis suspendunt, Iani maximè, & potissimum clypeos, Appium Claudium imitari, qui posuit in æde Bellonæ, suspendunt, & domi Dijs Penatibus, collocant etiam in Armilustro, & arce Tarpeia, Suiones Germani seruicustoditè mandant.

Pax, & fœdera Romanorum, aliarumq; gentium, iusiurandum, induciæ. Cap. XIIII.

PACEM iungunt, fœderaq; Romani per fœciales ex arce graminis herba allata, ex templo Iouis Feretrij sceptro, per quod iurarent, & lapide silice, quo pater patratus porcum feriret. Iurabant nanque Romani per Iouem lapidem hoc modo. Si sciens fallor me Diespiter salua vrbe, atque bonis eijciat, vt ego hunc lapidem. Iurabant & per genium Principis, sæpius educto ense per bonam

bonam iurantis fidem, & ex sui animi sententia, deierabant vero se aliquid facturos, aut interituros, Vestales per Vestam tantum: per Deum iurantes tenebant aram, & eum tangebant cui aliquid affirmarent, vt olim Prisci homines: Rhadamantus vero inuocatis Dijs nihil confirmari voluit, quare Græci per caput alterius adiurabant, Socrates per canem, Platanum, & anserem, per anserem etiam Lampon vates, tanquam per auem, quæ augurium potissimum det, zeno per capparim, Pythagorei per τετρακτύν, Iones per brassicam, Aegyptij per allium, & cepas: Scythæ iurabant per ventum, & acinacem, Germani per nomina equorum, per druides, per fœminas, per libertatem; Cæneus dabat iusiurandum per hastas, apud Gallos grauissimum iusiurandum est conferre militaria signa, apud Persas, & Parthos dextras iungere, apud Samnites cæsis victimis diro sanguine astringi. Orpheus iureiurando Argonautas constricturus Colchos simul petere, pyram erigit in littore quernis ramis, taurum mactat, placentas, imponit, agnæ sanguinem, & oleum: Argonautæ coronati inserunt ensem boui, eiusq; sanguinem bibunt maris aqua, adipe, & farina mixtum: Iason pyram accendit, Orpheus maritimis Deis inuocatis precatur, qui ante alios redijsset in patriam: hunc furiæ agitarent, & nunquam consistere paterentur. Agamemnon apud Homerum per verris setas aduersas ducit gladium, iurat Deos inuocans, se deuouet si mentiatur, & iugulat verrem, quem in mare proijcit præco. Phryges nec fidem curantes dant, nec ab alijs iusiurandum extorquent, nec à peregrinis Tyrij. Romani vtebantur in feriendis fœderibus lapide: Arabes eorum, qui in fœdus cõuenirent, sanguine lapides septem tingentes Dionysium, & Vraniam, quos ipsi Vrotalt, & Alilat vocant, inuocantes. Scythæ sanguine proprio tingunt sagittas, acinacem, iacula, securim, & libant, eiusdem fortunæ, mortisq; socij, vt apud Indos, qui è Phiala,

quam

Digitized by Google

quam Tantali ſtatua ſuſtinet, humore nunquam deficienti repleta, bibunt. Perſæ haſtas illiniunt ſanguine tauri, lupi, arietis, & apri: Lydi, & Medi humeris eductum cruorem lambunt, pollice alij, qui & lapidem obruunt, vt Græci ferrum candens, qui μύδρος, dicitur, ornates tandiu odia abeſſent, donec lapis, aut μύδρος, lateret. Fœdus etiam, & amicitiam contrahunt Perſæ, & antiqui dextras iungentes, Naſamones poculum recipientes, aut cinerem ab alio, Macrones haſtam, Macedones panem gladio diſcindentes, libanteſq; Nam olim pane conciliari ſolitos amicos, menſa, & ſale apud Theocritum, & Euripidem videre eſt, de Hercule illum, & Telamone loquentem, de Hecuba hunc, & Polymneſtore. Apud Barbaros pacis, & amicitiæ ſignum eſt coronatum occurrere, vt & Argiui præcones mittunt indutias petituros: florentes etiam ramos ferre ob memoriam reducendam cultus agrorum, apud Græcos caduceum geſtare: eorum, qui ad Euphratem ſunt, bouem præ ſe ferre corollis ornatum, bouem diſcindunt Homoletti. Socij apud Græcos ſcuta tangunt, mouent haſtas, fœderis leges columnis ſcriptas in templis, vrbibuſq; ſtatuunt, vt in Capitolio Romani æneis tabulis, qui fœdus non feriunt poſt meridiem, quoniam dies decreſcit. Apud Homerum inducias pacturus cum Priamo Agamemnon fundit vinum in patera: agni albi, & agnæ nigræ, Solis illa, hæc Telluris hoſtia, lanam diſectam partitur inter proceres Græcos, & Troianos, mox Iouem, Solem, Terram, & Inferos fœderis teſtes inuocans, leges refert, hoſtias iugulat, alij vinum illud libant, & effundunt à Dijs precibus petentes ſic perire, qui fœderibus non ſteterit.

Sacrificium, Hostiæ, Humanæ victimæ, altaria, aræ, Scrobes, hostiæ maiores, minores, aliæq; sacrificij ordo, sacrificia stata, interdicta, Hecatombe. Cap. XV.

APVD ipsum etiam sacra facturus Sacerdos, Deum precatur manibus erectis, victimæ ad aram sunt; ministri lotis manibus οὐλοχύτας tenent, hordeum scilicet sale conspersum, quod in omnibus sacrificijs adhibebant Græci, vt molam Romani farre, sale, & aqua, primas enim fruges hordeum Græci, far Romani fuisse credunt. Οὐλοχύτας fusis precibus hostiæ injcit Sacerdos, mactatq; detracto corio, femora amputata ministri componunt, quibus sparso vino ignem adhibet Sacerdos, Dijsq; adurit: viscera supra prunas pro ientaculo assa parantur, reliqua membra concissa torrentur verubus, & edunt sedentes qui sacrificio interfuerint, poculis coronatis bibunt Dei laudes canentes. Lindij in Rhodo ad aram, quam βούζυγον dicunt, duos boues Herculi immolant, eumq; maledictis, & execratione celebrant, quòd ipse Theodamantis agricolæ bouem edens, eius contumelijs lætatus est. Prisci homines Soli, & Syderibus, quos existimabant Deos, herbam cum folijs, & radice comburebant, mittebant etiam ἀπαρχὰς frugum primitias: nam animalia occidere nefas arbitrabantur; & dicebat Pythagoras se aliquando concilio Deorum interfuisse, eosq; didicisse Aegyptiorum sacrificia probare, quæ libationibus constant, thure, & laudibus, non placere animantium cædes: quæ tamen postea immo-

Digitized by Google

molarunt Aegyptij, vt Soli gallum, cycnum, taurum, Veneri columbam, & Syderibus ea, quæ cum Syderibus similitudinem haberent. Verum animalia occidere institutum creditur à Iudæis, & sues primum immolati, quare & θύειν dicti, sacresq; à Plauto, qui decimo à parta die ad sacrificium apti sunt, Cereri, Martiq; immolantur, & in Aspendo Pamphyliæ Veneri more à Mopso instituto eò Argis veniente, vouenteq; quod prius occurrisset, & occurrit sus: suis etiam sanguine litant Phrygies tibiarum concentu, sic & Galli Cybeles Sacerdotes faciunt: sues etiam ij, qui numinis ira in insaniam redigebantur, Caper cæditur Baccho, Fauno, Mineruæ, quod oliuam lambendo sterilem faciat, qua tamen causa Palladi immolari negat Varro: cæditur & à Lacedæmonijs Iunoni, quod primum fecerat Hercules aduersus Hippocoonta pugnaturus, cum alias hostias non haberet. Bos Iouis victima est, Solis, Lunæ, Apollinis, Plutonis, Martis, Neptuni, & Fluuiorum, sic Alpheo taurum immolat Nestor: in Aegypto bos ruffus cæditur Typhoni, candidus gallus victima est Anubis, croceus Hermanubis, illum rationem, quæ cælestes ambitus, & superiora ostendit, intelligunt, hunc, quæ inferiora: gallus etiam Noctis Deæ, & Aesculapij: anseris iecur datur Inacho Deo Argiuo. Hyperborei asinos Apollini immolant, Scythæ Marti, Priapo Lampsaceni, quòd asinus voce excitasset Vestam, quam comprimere Priapus nitebatur, quare apud Romanos Vestales asinum pane coronant in honorem pudicitiæ conseruatæ. Canes Græci mactant Proserpinæ, Colophonij Enodiæ, quæ Hecate est, Argiui Elioniæ propter partus felicitatem, Romani Gyneciæ, Pani, Caniculæ: Cares, & Thraces Marti, vt ephœbi etiam Lacones: Marti alij equum quæ & Solis victima est apud Persas, & Lacedæmonios in Taygeto, aliorum Deorum apud Sarmatas. Phaselitæ in Pamphylia Cabro pisces sacrificant, Syri, & Lydi, Bœoti anguillas vt

Digitized by Google

tradidit Agatharchides, Neptuno piscatores thunnos, Magi festo quodam ferarum, serpentumq; multitudinem in Hormisdatis honorem, quem bonorum auctorem credunt, vt Arimanem malorum: Galli in grauioribus periculis hominē Hesō,& Teutati,sic Germani, hominē in luco sacro Semnones Dianę Phocenses,Patriani in Achaia Dianæ puerū, & virginem ex oraculo quotannis, vt pestilentiā depellerent,quæ,cū Melanippus,& Cometho in Deæ tēplo concubuissent, in vrbē inciderat. Marti hominē immolant Melanchlæni, Lacedæmonij, & Scritifini in Thule Insula: Agraualæ Cecropis filiæ,Diomedi,Palladi Cyprij,& Ioui qui Salaminæ in ea Insula sunt,Teucri exemplo, sacrificiū sublatum Adriano Principe: Palladi virginem Laodicæi homines, Ioui Cretenses, & Latini, quod prohibuit Hercules: ij etiam Apollini, & Saturno, Apollini qui ad Actium sunt in Leucadia, Saturno Rhodij, Phœnices, Curetes, & Carthaginienses, Sardi horum coloni septuagenarios ridentes, vnde & prouerbio σαρδόνιος γέλως, dictus; Carthaginienses ipsi filios Saturno in peste, quare eis victis non antè pacem dedit Gelo, quàm fœderibus ascripsissent se id non facturos: victi vero ab Agathocle, vt diligentius piaculum soluerent, quod scribit Pescenius, ducenos nobilium filios immolarunt Saturno item Scythæ, & Pelasgi Principes, Tenedij pueros Palæmoni, Romani superbo Rege Maniæ Larium matri, Brutus iussit supplicari non pueris, sed capitibus alij, & papaueris, cum Apollinis oraculum fuisset capitibus pro capitibus supplicandum. Pani hominem quoque mactant Arcades, Baccho Chij, Lesbij, Tenedij: Soli Blemyes, qui non multum à Persico sinu absunt: Alexandrini in Aegypto Methræ Deæ: Iunoni Heliopolitæ, Aegyptij alij hominem ruffum, quòd colore Typhoni similis esset; Ioui hospites Aegyptius Busiris Thrasij hospitis consilio, cum nouem annis Nilus non irrigasset Aegyptum, & Throsius ipse primus in-

interfectus: homines etiam Dijs Arabes, gentes Libycæ, & Græci antequàm ad bellum exirent, Erechtheus Proserpinæ, in pela Thessali. Peleo, & Chironi: Sardi ex capitis pulcherrimos Saturno: centesimum quemque Scythę Marti, eiq; quos capiunt Lusitani, Gothi, Scordisci, Bellonæ etiam: Tauri Scythæ naufragos Iphigeniæ, homines Tyrrheni vsque ad Hieronis tempora. Dijs cœlestibus fœminis fœminæ, maribus mares hostiæ candidæ mactantur in foris, quæ dicta sunt altaria, ad Orientem, Persæ, & Indi edito monte, locoue: Dijs terrestribus, & Heroibus ad Occidentem conuersi in aris, foueisq; marinis nigræ in littore: nigræ, & steriles vaccæ inferis in scrobe mulso, vino, & aqua siniſtra manu infusis: in scrobe terrestribus Indi, Ara, sacrificantibus victimis coronatis sacrificant, maioribus etiam hostijs inaurabant cornua, quibus faciunt Romani, quando non diferri aliquid petunt, si extrahi velint, minoribus, pro infantibus item: agricolæ bouæ, opiliones, agno, caprarij capro, alij thure, & placenta, pauperes dextram osculantur. Cœlestibus Dijs sacra facturi aqua lauabantur, vt apud Homerum Penelopei Inferis, aspergebantur tantum: Romani ex aqua Tiberis, & fonte Iuturnæ, Athenienses ex Gallirrhoe, Trœzenij ex Hippocrene, Græci alij ex Eleuthero, Nili aqua Aegyptij. Venere abstinebant pristina nocte, inchoabantq; preces Romani ab Iano, & Vesta, inspicientes Cœlum, summis pedum digitis insistentes, capite operto, præter quam in sacris Saturni, & Herculis ad aram maximam quæ ante Aeneæ aduentum, qui illud, vt refert C. Bassus, instituit, in Italia celebrabantur: Lacones, & Iudæi nudis pedibus, vt Aethiopes nunc. Græci à Cerere incipiunt, quæ terra est, ex qua omnia sunt, illoq; redeunt, Peloponnesij à Melissa Nympha. Oriente Sole ad subsolanum respicere, Occidente ad austrum precantes iussit Trismegistus: antiqui ad Orientem conuertebant sese, Romani ad dextram.

Præco

Præco clamat Hoc age, vt animo intento essent, & apud Græcos Sacerdos ad sacra accedens interrogat, τις τῇ δὲ; respondent alij omnis causa, πολλοί τε, ἀγαθοί τε: canistrum afferebat, κανηφόρας, cum corona, hordeo, cultro, igne, apud Romanos faces ex tedæ ligno. Hostias aut Sacerdotes immolabant, qui in Pontificum libris dicuntur Agones, aut cultrum tenentes Victimarius infigit gutturi, tibia concinente, & fidibus, quoniam cœlum motu suo harmoniam reddere existimabatur. In Cereris tamen templo in Arcadiæ Acacesio non guttur, sed hostiæ membrum, quod primo comprehenderint, gladio petunt: Scythæ strangulando necant, Persæ, & Cappadoces stipite, Romani malleo, quandoq; victimæ cesæ, & cadenti inter cornua infunditur vinum, & antequam interficiatur lotis manibus libatio fit fictilibus vasis vino, sanguine etiam, & lacte quibus vita constat: apud Homerum in libatione linguas tostas degustant, & à Dijs aliquid petunt, Baccho vinum nouum libatur, & capri sanguis, Cereri frugum primitiæ, Numici aqua Vestæ, aqua etiam Athenis Miremosynæe, Auroræ, Soli, Lunæ, Vraniæ, & Musis Aris hostiæ viscera imponuntur, assanturq; arietis tamen exta aqua coquuntur, & litant ora manibus apprehensa. Adsunt Aruspices, qui fumi motu, & thuris crepita litatum pronuntiant, aut non litatum, quod in libro de Thuris signis scripsit Tiresias, non vates ille Thebanus, sed alius quis, quoniam nulla apud Homerum thuris mentio, quare creditum posteriori tempore institutum thura tribus digitis comprehensa ante signa Deorum inijci altaribus in foco, incendie superfuso vino verbis priscis Mactus hoc vino inferio esto, quæ interpretatur Trebatius tanto vino amplificatus sis, quantum spargo. Ex reliqua hostia cœna paratur in templo ijs, qui sacrificio interfuerint, nisi sacrificassent Dijs inferis: stantes edunt (sedent in Herculis cœna) & panes rotundos, quos Romani super ligneas

mensas

mensas cum hordeacea pulte, aut canistris vetustis ponunt. Panes omnibus Dijs nullo discrimine communes dixere Græci πέλανος, qui Baccho tantum afferuntur ὀξελιοφόρος, Apollini, & Dianæ affertur placenta cum cornibus, quæ βοῦς dicitur, quòd nascens Lunæ fic videatur Solis causa_, Tot pocula bibunt, quot viuere exoptant annis, edentes celebrant Deos, & hymnos canunt, quandoq; ad citharam, quare adhuc extant Orphei hymni, licet hi potius videantur Magorum disciplinam, & scientiam dare, hymni etiam Homeri, & Callimachi aliquot, & apud nos Catulli, & Horatij. Choreas ducunt circa aram à dextra in siniſtram, & à leua dextrorsum, propter cœlimotus, & planetarum. Delij saltant, & Indi, qui tamen coronati non sunt: coronas Persæ habent, & ex fiscis recentibus Cyrenæi in Saturni Sacris, tanquam ille primus arborum fructus hominibus ostendisset. Indi caput hostiæ in fluuium proijciunt execrati. Lusitani lapidibus incendunt hostias, Scythæ ossibus; ossa Thyestæ relinquunt Dijs carnibus ipsi vescuntur, quas Aeoles quinq; verrubus torrent, Græci tribus. Apud Persas victimæ sectæ partem Magus singulis dat, laniant etiam Aegyptij. Hecati sacrificium faciunt ditiores Græci prima mensis die, in triuijs posita noctu cœna, quam distrahunt pauperes: Athenienses octauo die Neptuno, Romani Cal. Iunoni, Id. Ioui, postridie Id. rebus diuinis superfederi iussum, quod postridie Id. Quin. non litasset Sulpitius Tribunus militum, & post diem tertium, tertio scilicet die ad xv. Cal. Sex. hosti Gallo obiectus Romanus exercitus: inde vt postridie Cal. & Non. eadem religio quoque esset traditum est. Græci Hecatombem cohorta pestilentia faciunt, vno loco ex cespite centum aris erectis, totidem ouibus, suibusq; mactatis: si princeps faceret, leonibus, aquilis, animantibusq; maioribus. Orpheus cum inferis sacra faceret, cum inuocaret Furias, triplici scrobe facta, pyram circum eam erigit

git iuniperi ramis, cedri, rhamni, & alni: catulos tres mactat nigros, eorum sanguini calcantum miscet, radiculam, cnecum (cnicos est apud Plinium) Psyllion, anchusam, & chalcimum: his replet catulorum corpora, quæ imponit pyræ, pullaq; veste indutus, & hostium æneis armis inuocat Furias. Faciunt Cappadoces Reges sacra in monte excelso Ioui Stratiotico, pyra ingenti extructa, ligna afferente Rege cum alijs, mox breuior alia fit, quam lacte & melle spargit Rex, & prandio ijs, qui conuenerint, parato, incendit: prandio quoq; excipit qui sacris interfuerint Rex Persarum in Posargades.

Templa, simulacra, antra sacra, vaticinia, & auguria. Cap. XVI.

NVLLA ponunt Dijs templa Persæ ipsi, quòd Soli, quem colunt, vix mundus sufficiat, quare & in Græcia sacras ædes eos excidisse creditum, vel id fecere, quòd Iones, qui Dareo Rege cum Aristagora inuasere Persas Athenienſium auxilio, igne consumpsere Sardis, & Cybeles fanum indigenæ Deæ Delubra nec Seres habent: Soli Marti consacrant Scythæ: olim in sublimi condebantur, quæ gradibus vno aditu adirentur, mensis argenteis,& Deorum simulachris(quæ nec Persæ,nec Brachmanes Indi colunt)positis, heliocryso herba, cuius folia nunquam marcescunt, coronatis: Romæ diebus festis minio tingitur Iupiter, & Dei in Aethiopia. Quæ contemnuntur simulacra, lotio consperſa abijciuntur. Meridie Græci vela in templis tendunt, quòd in austrum vergente Sole nefas sit adire Deos, semper vero nefas loqui in ianuis, quare eas prætereuntes Aegyptij tacebant, quod & instituit Pythagoras, quo more, & Romanos templa prætergredientes ori manum adposuisse crediderim, simulachra

Digitized by Google

cura item videntes: nam & in triuijs Mercurij ponebatur imago ad quam prætereuntes lapidem apponebant: & antè ianuam Apollinis, columna etiam Deo sacra, quæ dicitur ἀγυιεὺς, depellent mala. Athenienses, Hermas habuere in ædium, templorumq; vestibulo, quæ ad Alcibiadis pulcherrimi adolescentis oris imaginem fuere: erant enim quadratæ ex lapide, capite prominente in honorem Mercurij. Sed olim Græcis omnibus patrium fuit rudes lapides pro Dijs, atq; simulachra colere. Ante vero, quàm condi templa ceptum sit, antra consecrabantur Dijs, vt in Creta Ioui dicarunt Curetes Arcades Lunæ, & Pani Lycæo, Naxij Baccho, Germani lucus, & nemora, vbi sacros equos alunt, quorum hinnitu obseruant quæ futura sunt, vt Scythæ fasce virgarum salignarum soluto, iterum deinde composito: qui vates falsum dixisset, hunc curru impositum per ignem transire cogebant, Indi vero in omni vita tacere. Solent enim in anni principio Philosophi frugum copiam, aut inopiam nuntiare Regi. Olim talis vaticinabantur in mensis sacris templorum positis, quorum iactu si quod quisq; petijsset signum euenisset, futurum quod vellet credebatur, sin secus, aliud. In augurijs vultures obseruarunt primum, auem innoxiam, qua & delectatus dicitur Hercules. Augures, qui vlcerosi non essent (hi enim non capiebant auguria) Romæ Tarpeiam rupem ascendebant, eoq; cuius causa agebant augurium, capite velato, ad orientem conuerso, dextra imposita precabantur Deos, si rectè res cessura esset certum signum darent, quod & apud Homerum fit aues puta à leua, aut tonitruum: sin male, non illud quidem, sed aliud darent: acieq; longè prospecta, aues, quas vidissent primum, earumq; voces obseruabant. Solebant etiam in augurijs, pullis offam dare; videntes quomodo absumerent, aut rostro dispergerent, aut ex hore pulli excideret, quod tripudium solistimum à Cicerone dicitur, & à Liuio. Quandoq; litterarum ele-

mentis notabant tridui grana, quibus gallo proiectis videbat cuius litteræ granum primum sumpsisset, augurantes eum in bello victorem futurum, cuius nomen eo elemento inchoaretur.

Augures, Sacerdotes, Pontifices, Aedis consecratio, Pontifex Maximus, annales maximi, Vestalium pœna, Vestales, ignis sacer, Flamines, Salij, Flamen Dialis, Flaminica, Rex Sacrorum, initiati. Cap. XVII.

AVGVRES ipsos instituit Romulus singulos ex singulis Tribubus: coaptari non licebat, qui cuiquam ex collegio inimicus esset, & vt quisq; ætate antecelluisset, ita sententiæ principatum tenebat. Sacerdotes etiam instituit, sed hos sexaginta, duobus ex vnaquaque curia delectis, annis quinquaginta superatis, genere, virtuteq; præstantibus, qui vacationem habent, Deorum, & templorum, quæ inter curias diuiserat, curam, ad sacra sumptu ex publico instituto, & triclinio, quo diebus festis cum Sacerdote epularentur curiales. Decernebantur Sacerdotes ex parte dimidia patriciũ genere Curiatis comitijs, & in principio anni solebant ipsi nominare, quos suo dignos existimarẽt Sacerdotio, nominabãt etiã lege Cn Domitij Tribuni pl. qui à minore parte populi, nouem scilicet Tribus, essent facti: nam populus per religionem sacerdotio mandare non poterat, nunquam vero is eligebatur, cuius mater prostituta fuisset. Sacerdotes damnati Sacerdotio abdicabantur, non ita augures: & C. Galba Seruij Galbæ filius primus post Romam conditam, cum in collegio

Sacer-

Sacerdotum esset, iudicio publico est condemnatus, Iugurthinæ coniurationis inuidia. Non Magistratum petebant Sacerdotes, lictore tamen, & sella curuli vtebantur. Creauit & Romulus eorum vxores Sacerdotes, quæ ea sacra facerent, quæ viris non licebat. Ministrabant liberi, si patres non essent, pueri curia delecti, qui dicebantur Camilli, & puellæ donec nubiles essent, Græcorum more, apud quos sunt καναηφόροι, Sacerdotum ministri. Addidit Numa Pontifices, qui potens, qui ex ligno erant, facerent, sacra, religiones & publicas, & priuatas curarent, ædem, & aram consecrarent. Aedem pontifex consecraturus postes tenebat, enuntiabatq; solemne carmen: sed lege veteri Tribunitia à Q. Papyrio rogata prohibitum iniussu populi ædes, terram, aram consecrare. Quod vero tres Pontifices statuissent de religione, Dijs Imm. ædibus sacris, id fatis sanctum, augustum, religiosum populo Ro. & Senatui visum est. Pontificum scribæ dicti sunt Pontifices minores. Pontifex vero Maximus sacrificantes obseruabat, Deorum cultum docebat, res omnes singulorum annorum mandabat litteris, efferebatq; in album, & proponebat tabulam domi, potestas vt esse populo cognoscendi ijs, qui etiam nunc annales maximi nominantur. Vestales capiebat, earum curam gerebat, peccantes verberabat, corruptas defodiebat ad Collinam portam in cauea cum igne, pane, aqua, lacte, & oleo: ægras mandabat matronis, & lictorem apparere ex sacrario Vestæ egredientibus iubebat, qui summoueret occurrentes meretrices, soluereteq; qui ad necem duceretur. Vestales Numa ipsa quatuor, instituit, duas adiunxit Seruius Rex, quæ ignem sacrum custodirent, vt faciunt Delphis, & Athenis fœminæ matrimonio solutæ, in Persida Magi. Ignis si quando forte extinguitur, quod Athenis factum est Aristone Archonte, Delphis templo à Persis incenso, Romæ Mithridatici, & ciuilis belli temporibus: elicitur ex Sole flamma accensa

in vasis cauatis ex latere æqualibus lateribus (si apud Plutarchum in latinis codicibus legendum est) siue tabula ex felici ligno percussa, quem ignem exceptum cribro æneo virgo in templum afferti lege Papia Pontificis Max. arbitratu viginti virgines è populo eliguntur, sortitioq; in concione fit, quæ Vestalis esset, quam cum caperet non proprio, sed Amatæ nomine appellabat, quæ feliciter olim fuerat consecrata: nam & hoc nomen habent, & proprium Vestales, quasi duplicem vitam hominibus, & Deæ viuant. Capi non poterat, vt auctor est Labeo Antistius, sex annis minor, nec decem maior, non parentibus orba, aut parente altero seruo, in sordidisue negotijs versato, & qui in Italia domicilium non haberet, nec quæ lingua debili esset, alio sensu, membroue, nec emancipata. Erant & Flamines ex patricijs, vt etiam Salij. Nam quibusdam Dijs Sacerdotes erant, omnibus Pontifices, singulis Flamines, quindeni, moxime inter eos dignitatis Dialis, quem Flaminem sacrorum Plinius vocat. Pileum hic, qui dicitur Albegalerus hostia alba Ioui cæsa factus cum virga oleagina apicis loco semper sub dio gestabat, alij duntaxat inter sacra. Hunc salua religione nec exercitus armatos videre posse scripsit Fabius Pictor, nec annulo vti casso (solidum apud Festum legi) nec nodum in veste habere, non intimam tunicam sub dio exuere, nec vngi, non capream, carnem crudam, hederam, fabam tangere, aut nominare, nec nominare canem, aut capellam, nec equum contingere, coue vti, nec farinam fermento confusam, mortuumue, nec funestam domum ingredi, non vitium propagines succindere nec iurare, aut ab vrbe tribus diedus abesse: capillos huic non detondebat seruus: eorum, & vnguium segmina sub arborem siliquam terra operiuntur, vinctus eius ædes ingressus liberatur, & demittitur per impluuium, liberatur etiam eius pedibus pro volutus, & eo die à pœna tutus est, mortem non licet obire

cum

Digitized by Google

cum pileo, nec Flamen esse vxore defuncta, quæ vltra tres gradus non ascendit climaces scalas, mense Maio nullo cultu vtitur, quoties tonitrua audisset, feriata erat donec placasset Iouem; pulsis Regibus creatus est Mammius Papyrius Rex Sacrorum, qui sacra, quæ conficiebant Reges Græcorum exemplo, perageret. legebatur ipse Rex Sacrificulus ex Senatoribus Patricijs à Pontificum, & Augurum collegio. Flamen, Augur, Pontifex quando cooptabatur in collegium, collegis cœnam dabat, quæ Pontificalis dicitur, auguralem vero pluribus diebus, ad quam Augures omnes cogebantur ire, qui recusasset à tribus ex collegio excusabatur. Qui initiari vellent, decem ante dies Venere abstinent, in coniza, nuctu cubant, herba, qua libido cohibetur, immolant etiam porcum. Athenis initiati lauro, furfureq; purgantur, absterſiq; dicunt ἔφυγον κακὸν, ἄρον ἄμεινον. In sacris, quæ λεόντικα Porphyrius vocat, filiarum, ni fallor, eius, qui dictus est λεὼς, Orphei filij, quarum sacellum in Ceramico Leocorion nominant, manibus pro aqua infunditur mel vt mundæ esse significentur à noxijs omnibus rebus, & immundis, cum purget linguam mel, vulnera, corpusq; conseruet, quare & pura sacra fiebant melle, quod mortis nota, σύμβολον qi sit, vt fel vitæ, quod & Dijs sacrificatur, præter quam Iunoni in nuptijs.

Hierophantæ, Galli Cybeles, Aegyptij, alijq; Sacerdotes, Chritologus. Cap. XVIII.

Ἱεροφάνται sacrorum Antistites Athenis cicutæ poculo se castrant, sic Galli Cybeles, hi tamen vt significent, qui numen matris violarint, & ingrati inuenti sunt genitoribus, indignos esse, qui filios edant, quod declarat Lucre-

cretius, significat Festus. Venere abstinent Aegyptij Sacerdotes, vino, &, vt credidit Chaeremon Stoicus, carne: anseribus tamen eos vesci Herodotus, & in plenilunio sue testatur Plutarchus, quòd tunc Typhon suem persecutus in arcam incidit, vbi erat Osiridis cadauer. Pisces certe non edunt, quos nec Iunonis Argolicæ Sacerdotes tangunt, cum haud quaquam necessarium obsonium videatur, quos nunquam apud Homerum edunt Phæaces, non Ithacenses, non Vlysses socij in tanta rerum egestate. Aegyptij alij nona die primi mensis, qui θόα dicitur Mercurio consecratus pro foribus pisces edunt. Sacerdotes ouo abstinent, lacte, & oleo, præter quam in oleribus, cepis etiam, vt Peluſiotæ, quæ Luna, quam Isidis nomine maximè colunt, deficiente augentur: fabas nec aspiciunt, nec cognatos, nec liberos, non salutant homines nauticos, quòd ex mare, quem Typhonem vocant, vitam sustineant, quare nec salem in mensa habent. Omnes pilos radunt, præterquam supercilia, & palpebras, quæ cum homine simul nascuntur, lauantur ter die, bis nocte, pedes nunquam lauant Dodonæi Iouis Sacerdotes, qui & nuda humo cubant, Aegyptij super folia palmarum, quas Baias dicunt obliquo scabello capite depositio, in templo semper sunt, rerum naturas, causas, & rationes Syderum contemplantur, famem per biduum, aut triduum ferentes, calceos induunt papyraceos, vt ex arborum codice Pythagoræi, albos Athenienses, & Alexandrini Sacerdotes, quibus tantum vbique fas est in remotis templis adire, ἄδυτα Græci vocant. Syracusani singulis annis Iouis Sacerdotem, quod apud illos amplissimum Sacerdotium putatur, sortito capiunt. Nam suffragijs tres ex tribus generibus creati sunt, & res reuocatur ad sortem. Apud opuntios duo Sacerdotes erant, Deorum alter, alter Dæmonum, & χριθολόγος Magistratus, qui primitias, quæ Dijs mittantur, colligeret, Fugitiui serui apud Ariciam simul

pugnant,

Digitized by Google

pugnant, victor Sacerdos Dianæ est, quæ eo loco colitur. Apud Aegienses in Achaia Iouis Sacerdotium pueris datur, qui pulchriores essent, puberes facti, deliguntur alij. Dicunt Iudæi olim apud Priscos, qui Principem Deum rerum parentem, mundiq; fabricatorem colerent, Sacerdotes fuisse ex genere Noæ filios, qui primi nati essent, & hunc primatum vendidisse Esaum Iacobo fratri minori natu: postea Sacerdotium Mosem mandesse Aaroni, & ijs, qui genus à Leui ducerent.

Domus, Hominum, Vrbis Expiatio, ver sacrum. Cap. XIX.

APVD Romanos Sacerdotes lana, & arborum ramis redimiti, quæ Februa dicuntur, expiabant domos: Vlysses vero procis interfectis igne, & sulphure: pollutos homines Sacerdotes ipsi sulphure, aqua, igne, & lauro, cane etiam Proserpinæ allato, quæ expiatio περιρραντηρίος dicitur, vnde & Luperci, cum Vrbem lustrant, canem immolant, lustrant & Tibicines Id. Quint. muliebri veste. Aes vero semper purificationibus adhibetur, quòd eo, vt scribit Apollodorus, Lemures abigantur, & Manes, quare, & in Lunæ deliquijs solent ænea vasa facibus erectis pulsare, ea etiam, qui excantant, habere, nam & apud Sophoclem Medea succos infundit in æneos cados: auertendi vero mali causa & tangebant terram, & Græci lapillos iactabant, quod videtur ex Hypati Macedonis carmine. Aduersus pestilentiam Romani plantam oleaginam vellentibus, & corollis inuolutam foribus (quod & in lætitia faciunt ramis arborum lauri maximè appositis) imponebant, Græci item, qui hanc ἐρεσιώνην, & κορυθαλίαν appellant, quæ tamen ex lauri ramis fieri alij putant ad eundem vsum, quoniam Pythone interfecto, expiatus

Apollo

Apollo in Tempe, amœniſſimo Theſſaliæ loco inter Oſſam, & Olympum, ad aram quandam, inde lauro coronatus Delphos redijt, quare ad eam aram mittunt Delphi nobiles quoque anno filios, ex quibus vnus dicitur ἀρχιθέωρος, qui ſacrificio præſit, & redeat cum alijs lauro coronatus. Aegyptij graui calamitate imminente, obſcuro loco cædem minantur animantibus, quæ colunt, inferuntq; non deſinente malo, ita opinantes ſe malorum auctorem placare. Fame, lue, aliaue calamitate vrbe laborante, fœdiſſimum hominem eligunt, quem ad certum deductum locum, caſeum manu tenentem, placentam, & ficos aridos ſepties caprifico, & ſcilla agreſti pudendis verberatum, alijſq; virgultibus ſylueſtribus, eiſdem lignis in ſcrobe comburunt, cineremq; proijciunt in mare his verbis περίψημα ἡμῶν γενοῦ. quare & hunc hominem aliqui περίψημα vocant, κάθαρμα alij, Lycophron, & ante eum Hipponax φάρμακον, Philoſtratus ἀποτρόπαιον, nam hoc modo auertiſſe ab Epheſo peſtem Apollonium ſcribit: à nobis dici poſſet Deuotus, nam ſic Romanos luſtrari Græci aliquot poetarū interpretes tradunt, more, quod videtur, ab Aegyptijs ſumpto, qui Idithiam vrbem incolunt. Solent hi in æſtu caniculæ homines, quos, quæmadmodum auctor eſt Manethon Typhonios vocant, cremare, cineremq; diſpergere. Maſſilienſes vbi peſte laborabant, pauperē quendam, qui ſponte ſe obtuliſſet, purioribus cibis per annum alebant, verbenis deinde, & veſtibus ſacris ornatum circunducebant per vrbem imprecati, quæ vrbi mala immineret, in illum caderent, & extra pomœria eductum ſaxis occidebant. Occidebant & olim Principes in metuendis periculis filium, quem maximè dilexiſſent, quod Saturnum acri imminente periculo feciſſe teſtatur Sachoniathus Berytius, & filium, quem Saturnus interfeciſſet, vocatum Ieud, quòd ſic vnicum gnatum, vt ille erat, dicant Phœnices; Itali vouebant quæcunque proximo vere nata eſſent,

Digitized by Google

sent, quod Sisenna, & Liuius in historijs ver sacrum appellant: nec tantum animalia mactabant, sed & filios, quod cum crudele visum esset, seruatos extra fines mittebant: sic & apud Græcos Iphigeniam (Iphianassa certum eius nomen erat) à Thoante abductam in Scythiam creditum cum immolanda esset in Aulide. Leucadij nocentem quotannis monte deturbant ad auertendam Deorum iram, pennis applicatis vt volare videretur, nauibus circumstantibus, quæ seruatum extra fines auferent. In prodigijs, quæ malum Vrbi portendissent, virgines carmine lustrabant vrbem, vt fastum est L. Cæcilio Metello, L. Aurelio Cotta Cos. androgyno nato, virgines enim ternouenæ in Vrbe cantarunt.

Romanorum ludi, Collegia, Fabulæ quando dantur. Cap. XX.

FIEBANT etiam Lectisternia, pompæ, & ludi, qui apud Romanos celebres quatuor maximè erant, Votiui XVII. Cal. Sept. per quindecim dies, quos vouerat Pompeius contra Sertorium, hos sequebantur Romani per decem dies à Regibus instituti, & Romulo ipso, his enim ludis raptæ creduntur Sabinæ, quare & à Poeta maximo dictum.

Et raptas sine more Sabinas
Consessu caueæ, Magnis Circensibus actis.

Dicti nanque Magni ludi, quòd vel in honorem fierent Magnorum Deorum, qui sunt Lares Vrbis, Neptuni etiam, & Iouis: vel quod C C M. numum primum acti sint, qui Priscis illis temporibus magnus sumptus videbatur, & nostro ære essent quinquaginta aurei. Circenses quoque dicti à Circo ipso, in quo quadrigæ currebant septeno circuitu; hos posteriori tempore dedere Prætores. Post XL.

dies, vel XLV. vt significat Cicero, consequebantur ludi victoriæ in diem VIII. Cal. Nouemb. à Sylla editi victo Pontio Telesino (Telosino est apud Plutarchum) Samnitum Duce prima hora noctis ad portam Collinam cum XL M. fortissimè pugnante maximo Vrbis discrimine: quos ludos Circenses videtur appellasse Velleius grauis auctor, & elegans. His coniuncti erant Plebei dierum octo pro libertate plebis instituti vel exactis Regibus, vel post secessionem in montem sacrum. Erant & compitalitij ludi, quos faciebant Magistri vicorum, prætextatos Magistri collegiorum: collegia sunt ex eiusdem artis hominibus: sed M. Aemylio Lepido [C. Mario corruptè omnino legitur apud Asconium] & L. Iulio Tullo Cos. (quomodo & scripsisse Ciceronem existimarem Oratione in Pisonem, qui & ab his Cos. Compitalitios prohibitos significare videtur, licet Asconius à Q. Cæcilio Metello Celere Cos. dicat collega L. vel, vt est apud Plinium, C. Afranij, sublata collegia ipsa, quòd aduersus Rempub. viderentur esse, restituta deinde nouem annis post à P. Clodio TR. P. L. Pisone, & A. Gabinio Cos. cum antea tamen Prætextatos ludos egisset. Sex. Clodius operarum Clodianarum Dux. Erant, & Latinæ feriæ, quibus certabant in foro quadrigæ, victore absinthium bibente. In Circo etiam dabantur spectacula ferarum, & sexageni iuuenes armati pugnæ simulacrum edentes, decurrebant, clypeis deinde testudine facta, super eam duo armati depugnabant. In Floralijs meretrices nudę in conspectu populi vsque ad satietatem impudicorum luminum detinebantur celebrabāturq; ludi cum omni lasciuia, verborum licentia, & obscenitate. Dabantur & ludi Scenici libero attributi, vt ait Sisinnius Capito, & Apollinares in honorem Apollinis, & tunc fabulæ, propterea scripsit Cicero ad Atticum ludis Apollinaribus Diphilum Tragœdum in Pompeium petulanter inuectum. Populus accepta pro cuiusque copia stipe,

Digitized by Google

pe, laureatus, albis indutus ſtans ſpectabat antequam theatrum manſurum feciſſet Pompeius, theatro ſignis, tabuliſq; pictis ornato, croco, & floribus conſperſo.

Poetarum, & Symphoniacorum certamen, Muſica, Saltatioq; non damnatur. Cap. XXI.

LATINI vero Poetę certabant carminibus in ſacris Iouis Capitolini ſingulis luſtris, victor corona donabatur, & donatum legi L. Valerium puerum XIII. annorum ex Hiſconio oppido Italiæ, vt eſt in marmore antiquo, Hiſtonium legitur in libris, apud Græcos abſque ſaceia. Lugduni ad aram in templo Auguſti, quod communi Gallorum ſumptu fabricatum fuerat, poetarum fiebat certamen, qui ſuccubuiſſet aut carmina ſua ſpongia delebat, aut in confluentem Araris, & Rhodani demergebat. Athenis quoque in Dionyſijs poetæ Tragici, & Comici fabulas contentione quadam docebant; recitabantq; ipſi, vt olim Homerum, & Heſiodum carmina à ſe facta conſueuerant: mox adhibiti hiſtriones, perſonæ à Suſarione, quas Romam attulit Roſcius: nomine reprehendebant ciues, & eorum habitu prodibant in ſcenam hiſtriones, vt Socratem introduxere Ariſtophanes, & Eupolis. Ad clepſydram dabant fabulas, nam plures agebantur eodem die: quinque Iudices, teſte Epicharmo, iudicabant, victorem manibus extenſis pronuntiabant, vt Itali, & Siculi, hircumq; Tragico dabant. Sed & in Dionyſijs Symphoniaci certabant, choris ſingulis ab vnaquaque Tribu inſtitutis ſumptum faciente chorago. In choreis Dux hymno præcinit, concinentium Chorus virorum, & fœminarum acuta cum grauibus temperans concentum efficit, quem morem & in Aethruria ſeruatum ex Mileſijs Aethruſci

thruſci eloquentiſſimi hominis fabulis videmus. Citharœdi, qui alios canendo viciſſent, coronantur, detractam ipſi coronam citharæ imponunt. Tragœdiæ agebantur Athenis in vico, qui Acharnitas dicitur, muſicum certamen in Odeo, quod fuit exeuntibus è theatro ſiniſtra parte à Pericle fabricatum ad Regij tabernaculi formam ex ſpolijs Perſarum: incenſumq; Mitridatico bello reſtituit Ariobarzanes Rex. Romæ autem quondam Muſica, & ſaltatio, quas laudant Græci, damnabantur, poſtea ſaltare honeſtum creditum, docebanturq; Senatorum filij, & ſaltarunt Gabinius Conſularis, M. Cælius, & Craſſus Duſtis filius, matronæ etiam, nec damnat Salluſtius Semproniam, quòd ſaltaret, ſed quòd elegantius, quàm neceſſe eſſet probæ fœminæ; optimè autem cantaſſe legitur L. Sylla. In Aegypto vero prohibitum erat alijs modulis vti, quàm antiquis, quæ Iſidis poemata dicuntur. Decimo quoque anno apud Iuliopolitas agebantur ludi, & citharœdi certabant, vt & in Olympiaco certamine ipſi, & poetæ.

Olympia, Pancration, Panegyris, Hellanodicæ, curſus, Aeſymnetæ, Olympionicæ, formæ certamen, Olympia alia. Cap. XXII.

HOC certamen inſtituit Hercules Elide capta in honorem Iouis Olympij, certaruntq; qui iuuere auxilio Herculem, ſtadio vicit Oeonus Argolicus Princeps, biga Alcmeon, à quo fuere Alcmæonidæ, eo genere Alcibiadis mater, quadriga Halirrhotius Mantinæus, lucta Echemus Tegeates, iaculo Phraſtor, diſci iactu Eniceus. Pancratio quoque & pugilatu in Olympijs certabatur, in

Pan-

Digitized by Google

Pancratio cædebant calcibus, cubitis, & pugnis. Castor, & Pollux, quibus Hercules, cum ipse Deus futurus pyram conscenderet, mandauit vt ludos absoluerent, addidere παγκράτιον instituta ab Aegyptijs. Conuenientes enim plurimi, artes exercebantur, agebantur orationes, & certamina, hanc in Olympijs παγκράτιον appellauit Philostratus. Diodorus, & Elei ipsi institutos ludos dicunt ab Hercule, non hoc quidem, sed eo, qui fuerit ex Idæis Dactylis vnus, alij ab Oenomao, & Pelope, Latini quidam ab Atreo; cum inferias Pelopi patri daret, & Herculem vicisse, quos ludos postea Iphytus Eleus Praxonidis, vel Hæmonis filius Cyrrhæis deuictis qui maritimi erant in Phocide, & prædones, instauratse dicitur, vel, vt credidit Strabo, instituisse, quòd horum nulla sit facta mentio ab Homero: & ab Augea certamen in Elide factum aliud ab hoc fuerit, quod in Olympia prope Pisum celebrabatur, vbi qui vicisset, coronabatur olea, & in Elide accipiebat tripodem. Sed Pausanias ludos restitutos dixit à Clymeno Cardis filio Herculis Idæi progenie, qui venerat in ea loca ex Creta. Agebatur certamen quarto quoque anno circa plenilunium ab vndecimo ad decimum sextum mensis diem, quo die qui vicisset, pronuntiabatur. Ludorum curam habuere Elei ex Oxyli postoris, mox Duumuiri sorte ducti, inde nouem Iudices instituti, qui appellabantur ἑλλανοδίκαι: eorum tres de equorum cursu, tres de quinquertio, reliqui de cæteris certaminibus cognoscebant: mox decimus additus, duo deinde cum Elei in duodecim tribus partiti essent. Sed Tribus quatuor bello Arcadum amissis, octo fuere Iudices, decem postea CVIII. Olympiade, & sortiebantur. Hi piaculari sue, & aqua lustrati ex fonte piera, in vrna argentea calculos tot collocabant, quot descendissent athletæ pugnaturi, geminos, eadem littera signatos, duo enim inscriptum habebant A, duo B, & hoc modo reliqui. Singuli athletæ Ioui sup-

pli-

Digitized by Google

plicantes ex vrna calculum extrahebant, quibus inſpectis, qui eadem littera ſignatos haberent, eos Iudices committebant. Si impar fuiſſet athletarum numerus, impares, & calculi erant: atque cui his contigiſſet, qui ſolus inſcriptus erat, vltimo loco cum iam defeſſis pugnabat nec barbarus inter athletas recipiebatur, non ſcelere conuictus, aut qui non eſſet legitimo matrimonio natus. Quicunque certaturi conuenerant, eorum quoque parentes, & fratres ad Iouis ὅρκιον ſimulachrum, quod eo loco erat, vbi cogebatur Eleorum Senatus, ſuper ſuis exta, nihil ſe fraudis attuliſſe iurabant, atque decem continuos menſes ſe exercuiſſe, Elei vero menſe tantùm: Iudices quoque ſe iuſtè iudicaturos pollicebantur, dicturoſq; nemini qua ratione moti victores pronuntiaſſent. prodibant athletæ cum ſubligaculis: primus corpus nudauit Hacantus Lacedæmonius, quòd Orſito & ipſi Lacedæmonio certanti ſoluta fibula dolorem incuſſiſſet, quare non ludos ſpectabant mulieres, præterquam Cereris Sacerdotes; alij qui ſpectabant nudo capite erant, vt & ipſi aliquo modo certare viderentur. Mactatis Deo victimis quinquertio primum, & curſu ludunt: deinde equorum certamina committuntur quatuor ſimul carceribus demittuntur, ſic alij; qui ex ſingulis ordinibus vicerit, curſus cum aliorum ordinum victoribus decertat, quare duplicẽ palmã victor accipit: nam victores omnibus locis præter premiũ, palmã etiam accipiunt, more à Theſeo inſtituto, qui Creta rediens in Delo ludis Deo factis palma victores donauit. Qui curru decertabant, duodecies contingebant metam, curſumq; flectebant, hinc Alpheo amne, hinc gladijs incluſis, ne errarent, qui quidem curſus τέτρωρος eſt dictus, cum enim rectus eſt, nulla flexione appellatur στάδιος, ſemel flexus δίαυλος, hiſq; duobus armati currebant, δόλιχος vero eſt cum ter & ſemis metam adeunt, ſed inermes, vt etiam in τέτρωρα. Currus in Olympijs vel erat κέλης vno equo tractus,

Digitized by Google

ctus, vel biga hoc est καμπὴς, siue κέλητι equa actus, mulisue carrucarijs iunctis primum ab Asandrasto, & ἄπηνη dicitur, quod iterum tantùm factum est. Victores, eorumq; patriam, quam se coronare dicebant, pronuntiabant ἑλλανοδίκαι, & αἰσυμνῆται, qui Iudicum ministri sunt, oleastroq; coronabant sumpto ex surculis, quos rediens ex Istro Hercules allatos, illic plantauit, celebrabantur victores encomijs, terq; hoc Archilochi carmine.

χαῖρε καλλίνεκε τυτίλλα, ἄναξ Ἡράκλεες.

Τυτίλλα est vox conficta ad sonus Lyræ imitationem: eorumq; statuæ eo loco ponebantur, nisi operam aliquando arti fabrili dedissent. In Elide etiam de formæ præstantia contendebant mulieres, quæ alias pulchritudine præcessisset, armis & vittis donata, ad Mineruæ templum deducta, Deæ armis consecratis, coronabatur myrto. Aureum malum pulchrior quandoque accipiebat, propter iudicium Alexandri Dardanij, vel quòd amoris, qui pulcritudine excitatur, nota pomum est, quæ propterea donant Charites Veneris comites. Syracusis etiam, & Athenis alia agebantur Olympia, alia Herculi in agro Leontino, quæ si quando intermissa fuissent, loqui non poterant antè Sacerdotes lingua impediti, quàm ludos repetissent. Augustus etiam post Actiacam victoriã in Amoracio sinu Olympia instituit, iussitq; Lacedæmonijs curarent.

Pythia, Amphictyones, Pylæa, Pylagoræ, Hieramnemones, alia Pythia, Enneateris. Cap. XXIII.

PYTHIA vero Delphis nono primum quoq; anno, mox singulo quinquennio à Delphis ipsis instituta, post bellum Crissæum, vel à Diomede euerso Ilio, vnde & in Pythijs obijsse Orestem Clytemnestræ dicitur à pœdago-

dagogo apud Sophoclem, agebantur à Symphoniacis cithara, tibijsq; in Pythij Apollinis honorem, qui Pythona sagittis interfeciſſet vel hominem ſceleratiſſimum, vel ſerpentem, quare Dei pugnam cum Pythone referebant Muſici rhythmo Pythio, cuius quinque partes erant, & à Græcis, Timoſthene præſertim, dicuntur ἀνάκρυσις, quod præludium erat, ἄμπειρα cum pugnam tentant, κατακελευσμὸς ipſa dimicatio, δάκτυλος, aut ἴαμβος pœan, qui huiuſcemodi pedibus adſtringitur, σύριγγες extrema pars eſt, & beluæ pereuntis ſibila imitatur. Quas partes aliter recenſet Pollux, vocat enim ipſe πεῖραν, in qua pugnæ locum, modumq; Deus proſpicit, κατακελευσμὸν cum iam prouocat ſerpentem, ἰαμβικὸν, quo certant, & in Iambico adhibentur tubæ, & ad tibiam ὀρθριασμὸν canebant, modum horrenda draconis ſibila ſagittis ab Apolline confecti referentem. Serpentum nanq; vocem tibias reddere certum eſt, quòd & Minerua ad eorum vocis imitationem, qui in capite Meduſæ erant, quod Perſæus abſciderat, tibias primum confixiſſe dicitur. Quarta pars vocatur à Polluce σπονδεῖον, in qua victoria Dei ſignificatur, quam ipſe celebrat extremo loco, & καταχόρδοτι. Obſoletos ludos in vſum reſtituit Eurylocus Theſſalus Amphictyonum Dux, & ipſi Amphictyones victis Cyrrhæis, quo tempore Delphis regnabat Gylida. Amphictyones ab Amphictyone Deucalionis, vel Heleni filio inſtitutos ſcripſit Theopompus, alij ab Acryſio. Delphorum populi finitimi erant, qui ad concilium quod dicebatur πυλαία, ad Thermopylas legatos. Qui dicebantur πυλαγόραι, & ἱερομνήμονες, Cereriq; ſacrificabant, bis ſingulis annis, veris, & autumni initio mittebant, de communibus rebus conſulentes; qui quidem populi duodecim primum fuere Iones, Dores, Perrhœbi, Bœotij, Magnetes, Achœi, Phthiotæ, Melienſes, vel Maleenſes, Dolopes, Aeneanes, Delphi, & Phocenſes. Aeſchines eloquentiſſimus orator non Ache-

os,

Digitized by Google

os, nec Dolopes, nec Aeneanes recenſet, ſed eorum loco Theſſalos, Oetæos, & Locros: mox fuere plures: ſcribitq; Aeſchines ipſe ſingulos populos duo ſuffragia habuiſſe, Strabo ſingulas vrbes ſuffragium, & quandoq; cum altera, aut pluribus. Erant & Amphictyones in Trœzena ad Neptuni fanum ex Athenis, Praſia, Epidauro, Aegina, Nauplio, Orchomeno, & Minyjſue, vrbibus. præter muſicam curru quoq; & curſu contendebant in Pithijs, ſcutis æreis ſumptis, & duo ſtadia currentes. Qui vicißent eis Amphictyones, qui Delphici templi curam habebant, & certaminis Iudices erant, primo pecuniam, mox ex æſculo arbore Ioui ſacra coronam, tandem laurum, vel mala ex Apollinis fano accepta dabant Megara agebantur alia Pythia, quæ & Alcathoia dicebantur ab Alcathoo Pelopis filio, vbi victori dabatur ex myrto corona, alia in Peloponneſo Sicyone à Cliſthene inſtituta cum in Phocide Criſſæos debellaſſet, præmium erant argenteæ Phialæ: Delphis etiam nono quoq; anno Enneateris, qua Rex farinam, & legumina impartitur omnibus oraculi iuſſu, cum in penuria Charila puella farinam petens calceo petita ſe ſuſpendiſſet, fameſq; ſecuta.

Nemeæa, Iſthmia, Hieronicæ, Periodo victores. Cap. XXIIII.

SINGVLO triennio in Nemea ſylua agri Argiui, vel Elidis, quem Dyropes incolunt, circa brumæ dies ad Largium fontem, qui Archemorus poſt modum dictus eſt in honorem Archemori (ſic puerum vocauit Amphiaraus, cum Pronax, vel Opheltes diceretur) Licurgi Iouis Nemei Sacerdotis filij, quem ſerpens interfecerat, cum Argiuis ducibus, qui certamen ordinarunt aduerſus Thebanos, ipſius nutrix Hypſipyle fontem demonſtratum ac-

Digitized by Google

ceſſiſſet, ludi agebantur Nemeæa dicti à loco, qui ſic appellabatur vel à Luna, & Ioue, vel ab armentis Iunoni ſacris, quæ ibi paſcerentur, quod eſt νεμέειν vel quod regionem ſortiti eſſent Danai filij, id dicitur à Græcis, κατανέμασθαι, Poſtmodum Hercules cæſo Leone Nemeæo qui è Luna cecidiſſe dicitur, ludos dicauit Ioui, qui equeſtres erant, gymnici, diſco, cæſtuq; & primum admittebantur tantùm milites, mox qui voluiſſent. Præſides fuere Deceleonæi, Corinthij deinde, qui propter Archemori mortem pullati pronuntiabant victores, atq; ex apio herba funebri corona donabant, propterea & qui præparabant ad hoc certamen infantes, ſtatim natos in apio, quo extremus hortorum ambitus conſeritur, collocabant. Eorum, qui viciſſent, maiorem imagines, vt fieri in funere ſolet, proferebantur. Fuere qui crederent non ab Argiuis ludos inſtitutos, ſed à Molorcho, qui hoſpitio Herculem ſuſcepit cuiuſq; filium interfecerat Leo. Syracuſis etiam agebantur Nemeæa, quæ alij vocant Iſthmia. Sed Iſthmia ſacrum Græciæ certamen in Iſthmo Corinthiaco ad Neptuni delubrum quinto quoq; anno, vel, vt eſt apud Pindarum, tertio in Inus, & Melicertæ honorem, quos Deos marinos fecit Neptunus, leucotheam, Palæmonemq; vocauit, vbi Athamantem furentem fugientes ex Moluride in pelagus ſe dediſſent ludos inſtituit Siſyphus Athamantis frater Corinthiorum Rex, poſtquam hac cauſa chorum ducentes vidiſſet Nereidas, primoq; agebantur nocte, mox die, & qui viciſſet, apio arido coronabatur, auctore Diphilo. Omiſſos vero Theſeus interfecto Procruſte reſtituit, & ſacrauit patri Neptuno, qui fiſtula celebrabatur, eiq; immolabant taurum: quadriga, curſuq; certabant, & pino coronabatur victor arbore inſtar maris infructuoſa, præerant Corinthij, eorum vrbe à L. Mummio deleta Sicyonij, Corinthij deinde vrbe reſtituta à Cæſare. Qui horum quatuor certaminum aliquo viciſſent, vocabantur

tur περονίκαι qui omnibus, dicebantur periodo viciſſe, & cantu, lyraq; pronuntiabantur, ad patriam redibant triumphantes, mœnibus euerſis, tanquam virtute ſua ipſi ſatis vrbes tuerentur: vacatio illis dabatur, & ex publico victus, eorum ſtatuæ in foro ſtatuebantur, ſi ter Olympijs viciſſent εἰκόνες, ex membris ipſorum ſimilitudine expreſſa: ſi Athenienſis fuiſſet Olympionices, quingentas accipiebat drachmas lege Solonis, centum ſi Iſthmijs viciſſet.

Ludi alij in Græcia, & Aſia, Germanorum Ludi, & Lydorum, fames vt tolleretur, & pellatur. Cap. XXV.

ERANT, & alij præter hos celebres ludi. Nono nanq; ab Iſthmijs die Aſclepia agebantur Aeſculapij in Epiro pugilatu, & Pancratio, alia in Epidauro prope Argos; Rhodi Tlepolemi Tlepolemia ab eius vxore Philozoe inſtituta, quorum erat præmium ex populo alba corona. Argis, & Aeginæ celebrabantur ἥραια, quæ erat Iunonis πανήγυρις, vel Hecatombæa, ob centum boues, quæ immolabantur Deæ, præſides Tyndaridæ dicuntur, Hercules, & Mercurius, victor accipiebat clypeum æneum, & ex myrto coronam. In Elide virgines quinto quoq; anno ſtadium currebant, dempto ſextante, tunica collecta vſq; ad genua, ſolutis comis, & dextro exerto humero, primumq; impuberes puellæ, mox grandiores, poſtremo maximæ natu; quæ alias præceſſiſſet, huic corona ex olea, & pars bouis Deæ immolatæ dabatur. Ludi dicebantur ἥραια, inſtituti ab Hippodamia propter connubium Pelopis. Præerant ſexdecim matronæ ſingulæ ex ſinguiis vrbibus Elidis, ſed cum octo Tribus Eleorum fuiſſent, duæ ex ſingulis matronæ delectæ, quæ ludis præeſſent, ſue, & aqua

Digitized by Google

ex piera luſtratæ, quæ etiam ſingulis annis Iunoni peplum texunt. Committebantur præterea in Aegina Aeacea Aeaci, & Apollinis Delphinia quinquertio, in Arcadia ad Patrhaſiam lycæa Iouis æreis armis propoſitis, Thebis Iolaia, illic enim fuerat ſepultus Ialous, & victori donabant tripodas æneos, quos Græci dabant forti viro. Herculi hoc loco faciebant Heraclea, eiuſq; liberis ex Megera, quos ipſe furens interfecerat, fuereq; Polydorus, Anicetus, Meciſtophonus, Patrocles, Toxoclitus, Menebrontes, & Cherſibius: alij vero Therimacum vocatos dicunt, Creontiadem, Ariſtodemum, Decoontem, Deionem, Antimacum, Clymenum, & Glenum, quos Lyſimachus, non ab Hercule, ſed ab hoſtibus tradidit dolo interemptos. Certaminis precium erat myrtea corona, vt argenteæ phialæ Heracleorum quæ agebantur in Attica ad Marathona ob taurum à Theſeo peremptum, quæ & Marathonia vocabantur. Theſpijs in Boeotia in Eratus Muſæ honorem agebantur Eratidia, Platæis Ioui Eleutheria gymnico certamine, quòd illic Mardonium Græci, Perſaſq; ſuperaſſent, præmium erat corona aurea. Celebrabantur Lebadeæ Trophonia Apollinis, vel Ergiui filio Trophonio, Amphiaræa oropi Amphiaro, Pellene in Achaia Dija, Theoxenia, & Hermæa Ioui, Apollini, & Mercurio, dabaturq; chlæna veſtis hyberno tempore commoda, & Theoxenijs argentum. Eleuſinæ in Attica Cereri, & Proſerpinæ faciebant ludos Demetria, Anacalypteriaq; vel Eleuſinia, hordeum qui viciſſet, accipiebat. Athenis Panatheneæ Mineruæ in conuentu totius Græciæ, maiora quinto quoque anno, ſingulis annis minora, precium victoriæ erat olei κεράμιον, vel amphora octo, & quadraginta ſextarios continens. In maioribus Panathæneis conſecrabant Mineruæ peplum, Deorum victoria intexta, quam retulere de Gigantibus, Typhonis cæde, Enceladiq; imagine, quos Dea ipſa interfecerat, & eorum, qui aliquid fortiter

Digitized by Google

titer feciſſent. Poſt Panathenæis ſontes armati inter ſe in theatro pugnabant. Hydrophoria quoque agebant Athenienſes in eorum memoriam, qui aquis perierant, & Dionyſia octauo anni menſe, qui ἀνθεστήριον dicitur: tunc canunt in theatro ad tibiam, ſaltant, & matronarum, Nympharum Baccharumq; amictu, & habitu incedunt. Aguntur etiam Bacchanalia alternis annis in Parnaſo cymbalorum crepitu. Oilea faciunt Locri Opuntij Aiaci oileo, Megarenſes Ioui Dioclea vſque ad veris initium, in Orchomene Minyja, & Proteſilao Proteſilia, vt etiam Philacæ vrbe in Theſſalia, quo loco ipſi dicebatur regnaſſe, in Delo Deliaca boue propoſito, Geræſtia in Eubœa Neptuno à Geræſti promontorij incolis propter tempeſtatem cohortam inſtituta, vt etiam Baſilia: Iones quoque in agro Epheſio Panionia Neptuno faciebant, & Chalcide Alexandria Alexandro Philippi F. In fine ludorum Græci ſtatuunt cratera, quo libant Dijs, mox laudant vincentem, conuiuiumq; celebrant, ludos nemo ſpectat verſicolori veſte. Athenis, & Pergami quotannis pugnabant galli gallinacei, certamine, à Themiſtocle inſtituto, qui cum aduerſus Perſas proficiſceretur, viſa pugna gallorum, eo exemplo ad libertatem adhortatus eſt milites, & ad fortiter agendum: In Peloponneſo ephebi ad monumenta pelopis propè Alphæum flagris decertant ad effuſionem vſque ſanguinis, quæ dicuntur αἱμακτήρια à Pindaro. Spartani pueri quot annis ſe flagris magna doloris patientia in ara orthiæ Dianæ cædere ſolebant, certamine, quod διαμαστίγωσιν dicunt, vel à Pauſania inſtituto loris cæſis Lydis, qui ſacrificium diripuerunt, vel à Lycurgo ne humana victima, vt fiebat, Dea placaretur ob cædem ad eius aram hominum factam, cum inter ſe pugnaſſent Limnates, Cynoſurenſes, Meſoani, & Pitanenſes. Apud Tritonem in Aphrica virgines fuſtibus, & ſaxis ſe petunt, quæ occubuerit non eſtimatur virgo. Aliud

vero

vero nesciunt spectaculum Germani, præter quàm iuuenum, qui nudi inter gladios saltant: alea delectantur maximè, qua & ammittunt quandoque libertatem, vt & Hunni. Lydi si quando penuria earum rerum, quæ ad victum necessariæ sunt, inciderit, alternis tantùm diebus edunt, aliud tempus ludis consumunt, ne famem sentiant, quam cum tolerare Scythę volunt ventrem fascijs circumligare solitos scripsit in primo διαιρέσεων Erasistratus, eam vero expellebant dono Græci dicentes ἔξω βάλιμον, ἔνδον πλοῦτον, καὶ ὑγιείαν.

Pompa, Lectisternia, Supplicatio, Hospites, Xenia, Assyriorum, Persarum, Romanorum supplicatio. Cap. XXVI.

IN pompa (nam de ludis satis dictum videtur) velabant Romani loca ne sacra despicerentur, & imagines Deorum ferebant Victoriæ Neptuni, Martis, Apollinis, Mineruæ, Cereris, Bacchi, Castoris, Polluci, & Veneris: apud Græcos primum ferebatur vini amphora, & clematis herba Itali centunculum vocamus: hircus deinde, & nucum sporta, tandem phallus obscenum membrum. Athenis in pompa virgines incolarum filiæ Atticis virginibus vmbracula ferebant, matronæ matronis, viri Scaphas. In lectisternijs (sternebantur nanque lecti in templis ad pernoctandum more sumpto ab Atticis mulieribus in Thesmophorijs, quibus lygni foliis cubitus sibi sternunt castitatem custodientes, ciboq; abstinentes) non exercebant iurgia, nec lites, nec in supplicatione, quam & decernebat Senatus ad omnia puluinaria Deorum propter victoriam relatam; Imperatori, cuius nomine decreta esses,

Digitized by Google

esſes, redeunti dabatur triumphus, ante triumphum trabea indutus erat. Qui vero ſuppliciter aliquid poſtularet apud Græcos, mentum contingebat, dextram, & genua, ramos etiam oleæ porrigere ſolebat, quod Locrenſes Romæ feciſſe conſtat, cum nimis impiè à Q. Pleminio vexarentur: inſulis etiam velati, vt latinorum legati poſtquàm victi ſunt à Poſthumio. Aegyptij iratos Regum animos deprecari conſueuerant ſacris omnibus prolatis. Qui ad aliquem opis gratia confugerent, ad focum ſedebant, quemadmodum Coriolanus apud Actium Tullium Volſcum, Themiſtocles apud Admetum Moloſſorum Regem, eius liberis manu ſumptis. Vliſſes vero auxilium petens ab Arete Alcinoi vxore manibus elatis ad eius genua ſtat, mox ſedet humi inter cineres, quem ſublatum Alcinous ad menſam cum Laodamante filio collocat, hi dicebantur hoſpites, quòd hoſpitalitas contraheretur ad menſam. Hoſpitibus his primum apponebant ſal, quo guſtato nefas erat eos violare, vt & apud Germanos. Barbarorum tamen omnium conſuetudinem fuiſſet teſtatur Eratoſthenes, hoſpites pellere, Tauri Scythæ Dianæ immolatos, edunt, Carthaginienſes demergunt qui in Sardiniam, aut Gadis nauigant: Indi non patiuntur vltra triduum peregrinos in vrbe morari: aliqui tamen hoſpitibus accedentibus etiam domo abeunt, vt vxoribus, quod & Babylonij permittunt, abuti, rebuſq; omnibus poſſint liberius. Græci primo die eos conuiuio accipiunt, mittunt extremo pullos, oua, olera, poma, cæteraq; quæ dicuntur xenia. Aſſyrij vero ſupplices equo deſiliunt curuatis membris, facie terram ferè tangunt, manibus poſt tergum relatis, retroq; gradientes: Perſæ igne ſumpto in amnem deſcendunt, feq; dicunt, niſi exorent ignem, quem colunt, demerſuros: exorant propterea, ſed propter minas multantur. Scythæ immolati bouis carnes coctas, conciſſaſq; propè ſe ponere, ipſi ſuper corium ſedere, qui auxiliaturus eſt carnis

nis parte accepta, corium conscendere solet. Romæ, qui ope indiget, confugit ad asylum Cereris, huic datur panis, vnde pandere dictum arbitratur Varro in libris de Vita populi Romani.

Christiani Prisci quomodo vixere. Cap. XXVII.

NON equidem Christianorum mores referrem his libris, ne nostris hominibus & ipse leges perscribere velle viderer, nisi desidiæ hoc magis aliquos adscripturos arbitrarer, quàm ciuis aliæ potius causæ, si, quãdo nimius fortasse fuerim nonnunquã in ea perquirenda, quę partũ ad nos, nihilue conferant, nostra prorsus omisissem: quare mores antiquos eorũ hominũ, qui hanc religionem coluere primum, proponam, vt si qui velit, posset facile, qui magis probandi sint, eorum, aut nostri, videre: & ita proponam, vt constitutum habeam, & profitear Pontificis Ro. doctorum hominum, atque optimorum, qui cum eo de religione consentiunt, decreta, & iussa semper apud me rata, firma, & sancta fuisse, futuraq;. Corde igitur Deum recipi oportere putabant, eius simulachrum hominem esse, propitiareq; qui innocentiam coluisset, iustitiam, abstinuisset dolo, hominem periculo eripuisset: hominem solo crimine corrumpi, & maleficiorum conscientia. Cibum non sumebant cum ijs, qui nondum hanc religionem suscepissent. Qui credere vellet, cum ieiunasset adducebatur à patre lustrico ad Pontificem, qui hominem quadraginta diebus de ijs rebus docebat, quæ Christiani hominis essent: sic enim Anthiochiæ primum vocati in Syria, qui Christi Soteris doctrina instituti essent, eorum conuentu (ἐκκλησία Græci dicitur) in ea vrbe à Petro, & Paulo instituto. Die mox, quo reuixerat Christus, & Pascha

Pascha Iudaica voce appellatur, eum discinctum, vestibus etiam detractis Pontifex ad Occidentem conuersum iubet malum genium (Satan vocant Iudæi) sufflatione emittere, & ad Orientem profiteri Christum: corpusq; oleo vngit verbis solennibus consecrato, & ter mersum aquis perennibus fontis, aut fluminis, marisue expiabat nomine trinæ Beatitudinis inuocato. Qui expiaretur à patre lustrico, & ministris Pontificis albis indutus, Iudæorum duabus vocibus Halleluia dabat laudem Deo, melq; simul cum alijs, qui expiarentur, ac lac gustabat, & illis omnibus adhibebat manus Pontifex, vt Dei spiritum exciperent. Nam & Pontifex per oppida discurrebat ijs manus adhibens, qui expiati à presbyteris, aut Diaconis essent: in templo deinde εὐχαριστίαν sumebant: nam λειτουργία consecrationem habebat εὐχαριστίας hoc modo: Pontifex altaria thure adolet, & templum Dauidis carmina cum ministris canens: leguntur postea aliqua ex libris vatum, literisue τῶν Ἀποστόλων, eorum scilicet, qui à Christo ad homines aduenere nuntij, loco editiori εὐαγγέλιον. Ante, & post pontificem ad aram erant Diaconi septem (totidem enim esse in vnaquaque vrbe voluere Apostoli) alijq; ministri vestibus sacrificis, à dextra, & sinistra presbyteri tanquam custodes, ne quis in Pontificem impetum faceret: egrediuntur mox templo κατηχούμενοι, qui de Christo quidem Pontifici credunt, nundum vero aqua expiati sunt: egrediuntur & qui polluti pœnitentiam agunt, & ἐγγαστριμύθοι, quos lemures agitant: in templo remanet Pontifex, ministri, plebs sancta, & innocens. Concinnunt deinde quid de Deo persuasum sibi sit, rerum scilicet parente, Rege, & Sancto: ministri panem, & calicem altaribus imponunt: vbi Pontifex dixisset vt omnibus pax esset, cuncti iungunt oscula, osculum hoc Paulus ἅγιον vocat: Pontifex, & ministri abluunt manus, Deum laudibus celebrant, Pontifex verbis

arcanis (iam non ita) εὐχαριστίαν consecrat, quam demonstrat, sumit ipse, impartitur cæteris ante cibum, Deo gratias agit, mox omnes simul edunt. Christianorum enim communia omnia erant, opibus venundatis Pontifici pecunia tradita: vtilius postea visum opes, & prædia Pontifici tradere, qui ceu procurator fructus inter pauperes partiretur, aleretq; qui simul viuere voluissent: hæc enim Pontificis (Sacerdotem antiqui, ἐπίσκοπον dixere Græci) cura erat, sed prima legem Christi populum docere, Seniores (πρεσβύτεροι dicuntur) & Diaconos instituere. Sacerdotes ipsos, vel Pontifices crearunt primum Apostoli, vt Petrus Romæ Linum, & Cletum, morienſq; Clementem, Cæsareæ Zachæum, Paulus in Creta Titum, Ephesi Timotheum: sic à se plures missos testatur Clemens in Hispaniam, Galliam, & Germaniam: postea id fecere πρεσβύτεροι, qui Sacerdotium vni ex eorum ordine mandabant, quod Alexandriæ à Marco ad Heracleam vsque & Dionysium Pontifices factum est, vnde credidit Hieronymus Pontificem à Paulo, & Ioanne vocari πρεσβύτερον. Mandabat & Sacerdotium populus, eius quem designaret, nomine publicè posito, vt si qui vellet, homini, quæ nosset crimina, obijceret. Inde id fecere quicunque in Prouincia Pontifices essent, vel eorum omnium voluntate tres tantùm. Pontifices quoque primarij, qui Patriarchæ, & Archiepiscopi dicuntur, eorum, quibus præsunt, Pontificum concilio designantur: illi in vrbibus instituti, vbi maiores Flamines fuerant, isti vbi Flaminum Principes, Episcopi in singulis ciuitatibus. Primarij ipsi aliorum Pontificum iudicia agebant, & inter populum in aliorum Pontificum concilio, quod bis, terq; singulis annis cogebatur: iudicia inquam inter populum rerum, quæ maiores viderentur, quam quæ decerni à Pontifice ipso possent, qui reddebat in vrbe inter Christianos iudicium. Si controuersiæ, quas Pontifices in concilio diremissent perdifficiles

Digitized by Google

ciles essent, Presbyteri, & ex populo ij, aduersus quos pronuntiatum fuisset, Pontificem Romanum, vtpote qui Maximus est, appellare poterant, Seniores ipsi, Presbyteriue pauperum, viduarum, eorum, qui quòd Christiani essent, in custodia tenerentur, aut mala sustinerent, curam gerebant, excipiebant hospites, & vt alienæ pudicitiæ parceretur matrimonio iuuenibus virgines collocabant, & ijs qui salatiores viderentur, viduas etiam iuuenes. Vxor petebatur ab eis, in quorum potestate puella esset: sponsæ dos dabatur, Sacerdos precibus à Deo petebat, vt matrimonium bene verteret, pacatam sanctissime, & honestissime vitam coniuges simul degerent, ducebatur inde sponsa marito à pronubis, & cognatis: maritus cum ea biduo, aut triduo preces casto corpore fundebat, dona pauperibus mittens, qui in templo alerentur. Diaconi tanquam Pontificis oculi, perlustrabant quæ Christiani agerent, si quem errantem vidissent, deferebant ad Pontificem, qui eum hortabatur ad studium bene viuendi: segniores inuitabant vt auidius Pontificem docentem audirent, qui pauperes essent, aut mala valetudine laborarent, nuntiabant omnibus, fratres (hoc nomine Christiani se vocabant, fratrem etiam Cyprianus Nouatianum Hæreticum, & Cornelium Pontificem Ro. vt Augustinus Innocentium) visebant illos, ijs, qui egerent. administrabant cibum, sanctorum pedes lauabant, hospitio & ipsi peregre aduenientes suscipiebant, Deum precabantur pro defunctis, & Martyribus; sic enim dicebant, qui ne Christum abnegarent, supplicia perferebant: quorum etiam dies natales celebrabant; se ad omnem actionem, aditum, progressum crucis signo munibant; non vias obsidebant armati, non maria prædabantur, non miscebant venena, non exponebant filios, non stupra inferebant, non fœminæ, nec mares quæstum corpore faciebant, non aderant parricidę, non sacrilegi, non captatores, non testamentarij, nec innoxios

plectebant, si quis peccasset aliorum consortio illi interdicebatur, donec criminis pœniteret, & Deum illi Presbyteri exorarent, sed Presbyteri, qui peccassent, post pœnitentiam munus ipsum amittebant. Vita functũ Pontifex alijs conuocatis deponebat, si Sacerdos fuisset, aut minister, ante altaria, si ex populo, ante sacrarium, Deum venerabatur, gratias agebat, cum alijs Dauidis carmina concinebat, ministri legebant quæ scripta essent de æterna vita, quam qui mortui sunt reuiuiscentes iterum agent; κατηχούμενοι inde templo egrediebantur, laudabantur sancti, innocentesq; homines, qui obierant, defunctus ipse: super cadauer Pontifex concipiebat preces à Deo petens vt mortuo peccata condonaret, & valere iusso cadauere simulq; alij, oleo consecrato infuso cum alijs cadaueribus sepeliebat. Quæ quidem omnia de Christianis ex Theologis.

Paulo	Vrbano
Dionysio	Tertulliano
Ignatio	Arnobio
Clemente	Lactantio
Euaristo	Cypriano
Anacleto	Hieronymo

alijsq; huiusce modi excepta sunt, reliqua vero, quæ in his libris tradidi & ex illis, & ex alijs, quos vel ipse legerim, vel ij vnde sumpserim, qui sunt.

Grammatici latini

Acron	Fulgentius
Altamerus	Glareanus
Asconius	Lactantius
Aulus Gellius	Laurentius Valla
Catanæus	Manutius
Claudius Aruntius	Moscellanus
Conradus Lycosthenes	Nonius
Diomedes	Opsopæius
Domitius	Parrhasius

Paulus

Digitized by Google

Paulus Marſus
Philander
Philippus Beroaldus
Pius
Pompeius
Porphyrion
Probus
Robortellus
Seruius
Theophilus
Verrius.

Poetæ

Actius
Cæcilius
Catullus
Ennius
Helius Cinna
Iuuenalis
Lucanus
Lucretius
Martialis
Næuius
Ouidius
Plautus
Propertius
Statius
Terentius
Tibullus
T. Quintius
Val. Flaccus
Vergilius.

Hiſtoriarum ſcriptores.

Aemylius Probus
Ammianus Marcellinus
Bonfinius
Cæſar
Capitolinus
Caſſius Hemina
Caſſiodorus
Cornelius Nepos
Cornelius Tacitus
Crantius
Eutropius
Fabius Pictor
Iornandes
Ioſepus Indus
Irenicus
Iulius obſequens
Iuſtinus, vel Trogus
Lepidus
Licinius
L. Florus
M. Antonius Sabellicus
M. Paulus Venetus
Marlianus
Matthias Sarmata
Muſtius
Paulus Diaconus
Petrus Mediolanienſis
Peſcennius Feſtus
Pollio
Pomponius Mella
Quadratus
Q. Curtius
Salluſtius
Saxo Danus
Serenus
Siſenna

Sueto

Suetonius
T. Liuius
Valerius Antius
Valerius Maximus
Vartomanus
Velleius
Vopiscus

Oratores

Cicero
Cornificius
Plinius Cæcilius
Quintilianus

Astrologi

Hyginius

Philosophi

Apuleius
Bessarion
Galeottus
Marsilius
Seneca

Iureconsulti

Alciatus
Aurelius
Cœlius Sabinus
Caius
Iulianus
Labeo
Modestinus
Papinianus
Paulus
Pomponius
Trebatius
Trophonius
Venuleius
Vlpianus

Theologi

Ambrosius
Augustinus
Capnion
Hesychius
Paulinus
Rufinus
Sidonius

Ambigui tituli

Agrippa
Ateius Capito
Aurelianus
Budæus
C. Bassus
Calcagninus
Cincius
Claudius Saturninus
Columella
Crinitus
Erasmus
Hermolaus
Iulianus Aurelius
Iulius Frontinus
Iunius Gratianus
Leo
Leonicenus
Macrobius
M. Cato
M. Messalla
M. Iunius Nypsus
Merula
Philelphus
Plinius

Poly-

Digitized by Google

Polydorus
Pontanus
Raphael
Robertus
Sifinnius
Tilefius
Tirefias
Varro
Vitruuius
Zieglerus

Græci Grammatici

Diogenianus
Euftathius
Interpres Apollonij
Ariftophanis
Demofthenis
Euripidis
Nicandri
Interpres Pindari
Sophoclis
Theocriti
Ioannes Tzetzes
Ifaacius
Iulius Pollux
Pamphilus
Seleucus
Suidas
Theodorus
Varinus Camers
Zenodotus

Poetæ

Aenicus
Aefchylus
Agameftor
Alcmæon
Apollonius
Achæus
Ariftophanes
Callimachus
Crinagoras
Dionyfius
Diphilus
Epicharmus
Eratofthenes
Eubulus
Eumelus
Euripides
Geminus
Hermippus
Hefiodus
Hipponax
Homerus
Ibicus
Lycophron
Mimnermus Colophonius
Naucrates
Nicander
Nicoftratus
Orpheus
Philodemus
Pindarus
Rhianus
Sophocles
Theocritus
Theophunus

Hiftoriarum fcriptores

Agatarchides
Agathias

Digitized by Google

Alcimus
Androtion
Apollodorus
Appianus
Ariſtides Mileſius
Arrianus
Aſclepiades Cyprius
Bardeſanes
Calliſthenes
Carminius
Chryſermus
Clidemus
Cteſias
Dicearchus
Dinon
Diodorus Siculus
Diogenes Laertius
Dion
Dionyſius
Diophantes
Dioſcorides
Dorotheus
Doſiades
Duris Samius
Egeſippus
Ephorus
Eudoxus
Euhemerus
Gemiſtus Plethon
Hecatœus
Hellunicus
Heraclides Ponticus
Hereas
Herodianus
Herodotus
Hieronymus Rhodius
Ioſepus Iudæus
Iuba
Nicanor
Nicolaus Damaſcenus
Nymphis
Nymphodorus
Oneſicritus
Pauſanias
Phanodemus
Philochorus
Philoſtratus
Polemon
Polybius
Polyſtephanus
Poſidonius
Procopius
Sachoniathus
Stephanus
Strabo
Theopompus
Theſeus
Thucydides
Timæus
Vranius
Xanthus Lydus

Rhetores

Aeſchines
Demoſthenes
Dinarchus
Iſæus
Iſocrates
Libanius

Philoſophi

Philosophi
Alexander
Antisthenes
Aristoteles
Artemidorus
Cheræmon
Demetrius
Hermes
Hierocles
Manethon
Maximus Tyrius
Olympiodorus
Palæphatus
Pharnutus
Philon Iudæus
Plato
Porphyrius
Proclus
Pyrrho
Theophrastus
Xenophon
Medici
Galenus
Theologi
Basilius
Eusebius
Gregorius Nazianzenus
Moses Iudæus
Origenes
Theodoretus
Theophylactus
Ambigui tituli
Aelianus
Aphricanus
Athenæus
Constantinus
Didymus
Erasistratus
Lucianus
Nicanor
Plutarchus
Ptolemæus
Stobæus
Auctoritatis incognitæ.
Aglaosthenes
Batus
Diogenetus
Diotimus
Hypatus
Lysimachus
Philarchus
Pisander
Timosthenes.

Gentium, & vrbium, quarum nomina in his libris habentur, explicatio.

ABydus in Asia ad Hellespontum Milesiorum Colonia, Gyge Rege deducta. Acacesium in Arcadia Opp. ab Acaco Lycaonis filio conditum. Achæi Græci

Digitized by Google

ſunt ab Achæo Xuthi filio, Ionis fratre, à quo Athenienſes dicuntur Iones. Achæi etiam in Peloponneſo, ſicq; vocantur Lacedæmonij, & Argiui ab Archandro, & Architele Achæi filijs Acileſina, vel Aciliſena, quod eſt apud Ptolemæum eſt in Armenia regio. Actium Colonia Auguſti in Epiro, iam dicitur Caput figi. Adyrmachidæ in Marmarica prope Ionium Solis fontem. Adriam vrbem in Venetia poſuit Adrius pater Ionij Illyrici Regis, à quo nomen Ionium mare accepit: vel Dionyſius Tyrannus; Aethruſcorum Colonia, quæ Adriatico mari nomen dedit. Alij mare ab Atria dici credunt vrbe in Aethruria à Diomede condita, quæ Aethria prius vocabatur, vnde Aethruſcos appellatos credimus qui erant Tyrrheni à Tyrſeno Telephi, Aebatarnæ Scytæ. Aegina Sporadum vna ab Aſopi filia Aegina, Aeaci vxore, nunc Leſina, antea Oenone ab Oenone Boydionis filia. Hanc incolebant Myrmidones formicis homines ab Ioue facti, quòd cum ſoli in antris degerent, vitam colere, belliq; artem eos docuit Aeacus. Aegium Vrbs Achaiæ in Peloponneſo. Aeneas vrbs, quam in Thracia ad Atho condidit Aeneas Ilio euerſo, vbi pater eius Anchiſes ſepultus eſt, vel certe in Pytane propinquo loco, cum in Calauro obijſſet prope Anthemum. Aequi in Aethruria vbi Viterbum. Aequicoli in Latio vbi Taliacotium. Aeſtyj Germani in Liuonia. Aethiopes, Nigritæ, Pagenæ idem ſunt, qui olim primi coluere Deos, legibuſq; vſi ſunt, iam vero rudes alij Chriſtum, alij Maometha ſectantur. Aetolia in Achaia ad Coruum montem ab Aetolo Endymionis filio, antea Hyantis dicta, nunc Deſpotatus, vt quidam putant. Agathyrſi in Liuonia ab Agathyrſo Herculis filio, vel à thyrſis Liberi patris hi etiam dicuntur Gelones, & Geloni à Gelone Herculis filio. Agaui prope Cyrenem in Aphrica. Agrigentum Dorienſium oppidum in Sicilia, nunc Gergentum. Alani, Alauni

Ptole-

Digitized by Google

Ptolemæo ex Sarmatia acceſſere in Galliam, & Hiſpaniam cum Vandilis. Alatemnij in Aphrica. Albani in Latio ex Alba vrbe condita ab Aſcanio. Arij in Scythia prope mare Caſpium, qui iam Mengrellij dicuntur: Italorum progenies, Herculem Geryone extincto, ſecuti. Hos alij dicunt à Theſſalis ortos cum Iaſon Aeeta mortuo Colchos repetiſſet: inter Mengrellios etiam ſunt Colchi, Lazi etiam dicti Aegyptiorum coloni. Allobroges in ea Galliæ parte, quæ Delphinatus dicitur. Amazones fuere ad Thermodontem, inde in Caria, & Lydia, Phrygiam mox inuaſere, repulſæq; à Mygdone, Otreo, & Priamo: poſtea Atticam, ſed victæ à Theſeo, inde ab Achille, & tempeſtate actæ venere in Italiam, Cleten vrbem ædificarunt, quam tandem, & Amazones ſimul Crotoniatæ delerunt nomen, quod dextram mammam abſciderent, habuere, ortum vero à Marte, & Venere. Ambraciæ ſinus Artæ Gulfuſanus. Amphrones Galli Cimbris ſe iunxere Italiam petentibus, victiq; ſimul, & cæſi ſunt. Amorrhæi in Libano monte Syriæ. Anſibarij Germani in Friſia, deleti inter Cattos, & Cheruſcos. Antiochia in Syria nunc Aleppum condita à Seleuco Antiochi filio. Ariam in Margiana Bactris finitimam erexit Antiochus Soter, tertiam in Meſopotamia Nicanor, quartam in Phrygia Antiochus Epiphanes, & hæc Romanorum Colonia. Antropophagi in Aethiopia circa ſinum Barbaricum, vbi eſt Quiloæ Regnum, & Mombacæ. Anxur Terracina in Latio. Apollonia inter Taulantios in Epiro, Corinthiorum, vel Corcyrenſium Colonia, nunc Velona. Aulon autem eſt in Peloponneſo, Aulonia, quæ & Caulonia dicitur, in Italia Crotoniatarum Vrbs. Aquitani in Gallia, Vaſcones nunc. Arabes in Aſia. Aracoſia Arianæ pars vſque ad Indum. Arbi in Carmania. Arcadia in Peloponneſo ab Arcade Iouis filio, vel Apolli-

nis, & Calliſtus. Genuit & Elatum, & Aphidanta Arcadum parentes. Argos Phoronicum condidit in Peloponneſo Phoroneus, aliud Amphilochium in Acarnania, Amphilochus Amphiarai filius, vel Alcmæon, tertium Oreſtium in Epiro Oreſtes cum occiſa matre erraret. Aria Prouincia Aſiæ prope Parthiam, nunc Regnum Turqueſte, quomodo etiam dicitur Carmania inter Perſidem, & Gedroſiam. Arij Lygiorum pars, Lygij Sueuorum gentes Danubij accolæ iuxta Morauiam, & Sleſiam. Arimphæi dicuntur fuiſſe vbi Rhiphæorum montium iuga reficiunt, haud diſſimilem Hyperboreis gentem ex locorum poſitione mihi videntur fuiſſe in Moſcouia in Colmogoro Regno. Aritia vrbs in Latio condita ab Hippolyto Theſei filio, vel ab Archilocho Siculo, Rizza nunc dicitur. Armenia à Cappadocia ad mare Caſpium ab Armeno Rhodio, vno ex ijs, qui Iaſonem ſecuti ſunt in Colchos. Eudoxus Phrygum genere Armenios ait eſſe: hodie Caramania. Aſpendos vrbs Pamphyliæ condita ab Aſpendo, aut Argiuis. Aſſus in Troade colonia Mitylenæorum, Methymnæorumue, aut Aetolorum. Aſſyria Aſiæ prouincia, nunc Azimia. Atlantes in Aphrica ad Atlantem montem, qui Aphricam ipſam ſecat ab Oceano ad Aegyptum. Atrij apud Celtas. Augylæ in Aphrica, quorum regio adhuc etiam dicitur Augela Aulis Bœotiæ vrbs dicta quod ibi manſerint aliquandiu Græci, vel ab Aulide Phoronei filia, aut Cephiſi, aut Euonymi Cephiſo geniti. Auſes in Aphrica circa Tritonem paludem.

Babylonem Chaldæorum Vrbem ædificaſſe dicitur Ninus, qui apud Moſem eſt Nimrod: vel certe Semiramis, Beluſue, aut Babylon quidam Medus, qui ante Semiramin fuit mille annis. Babel iam eſt. Babytace oppidum Perſidis. Bacchitij Intulas incolunt in ſinu Arabico iuxta Aethiopiam, quæ dicuntur Bacchi, & Antibacchi, à Plinio Bacchias, & Antibacchias. Bactriana in Aſia

pro-

Digitized by Google

prouincia vbi sunt Tartari Zagatay ibi etiam sunt Sogdiani Baleares in Mediterraneo, Maiorica, & Minorica à forma dictæ, olim Gymnesiæ, quòd Bœoti ex naufragio eò nudi euaserint. Chœradas eas vocat Timæus. Barce, vel Barcæa Vrbs Aphricæ, quæ & Ptolomais, & nunc Tolometa dicitur, à Perseo, Zacyntho, Aristomedonte, & Lyco condita. Basilidæ in Sarmatia ad Gerrhum amnem, regio nunc dicitur Cumania, vbi etiam erant Budini, quos Bodenos vocat Ptolemæus, & Hamaxobij, quos Abios Homerus nuncupat, ad Bugem amnem, quem Bycum appellat Ptolemæus. Hi Nomades sunt nunc Tartari, alij etiam in Aethiopia, vbi Nubia deserta. Bastarnæ & ipsi in Sarmatia, Prouincia, aut Potchuze est. Bastitani in Hispania vbi Murtia. Bithynia in ea Asia, quæ Natolia dicitur, populi ipsi Thracum coloni sunt, vel Arcadum, & Mantinensium à Bithy Iouis filio, & Thraces. Blemyes, vel Blemmies in Insula Nili Meroe, quæ Gueguere nunc dicitur, ab vno ex Deriadis Imperatoribus, qui cum Libero patre pugnarunt: fuere vero tres Orontes, Orobandas, & Blemes Bœotia à Bœoto Neptuni filio, & Arnes, vel à boue, quam sequutus dicitur Cadmus, prius Aonia, ab incolis Aonibus. Borsippe in Assyria vrbs Dianæ, & Apollini sacra, quare Apolloniatis dicitur à Ptolemæo, nunc Salcamar. Britania Anglia Insula est. Burgundiones ex Vandilis in Galliam venere in Sequanorum, & Heduorum prouinciam.

Callatiæ Indi, Calatiæ apud Hecatæum. Cannæ vicus vbi ab Annibale victi Romani, nunc Barolum in Apulia. Cantabri Viscaini sunt in Hispania. Caria in Asia, quæ Natolia dicitur. Carmina Insula in Oceano Indico, Carmina apud Stephanum. Carnutæ in Gallia, eorum Vrbs est Autricum, quæ Chartres dicitur. Carrhæ Vrbs Arabiæ in sinu Persico, Gerrhum vocat Antisthenes, Geram Ptolemæus, Stephanus, vt solet duas facit. Be-

rou iam dicitur. Caſpij in Media, inter Cambyſem, & Cyrum fluuios. Caſſiterides in Oceano Cantabrico Inſulæ decem, quæ Bayonæ dicuntur ab vrbe Galitiæ inter Callaicos, quæ quidem Oruium dicitur à Ptolemæo. At Fortunatæ ſunt Canariæ in Oceano Atlantico Inſulæ. Cathei indi inter Hydaſpem, & Aceſinem fluuios. Catti in ea Germania prouincia quæ Peſſia dicitur. Caunij in Caria à Cauno Biblis fratre, Caucones ab Pomero dicuntur. Chœlonophagi in Carmania, vbi populi nunc piſcibus maximè viuunt. Chæronea Bœotiæ vrbs condita à Chærone Apollinis, & Therus filio: prius tamen vocabatur Arne, à Bœoti matre, Simiſa quoque vt ſcripſit Theſeus. Chalcedonem vrbem Ponti condidit, decem & ſeptem annis ante Byzantium Argias Megarenſium Princeps, Dorienſium Colonia, nunc Scutari. Chalcis vrbs Aetoliæ. Chaldei inter Arabiam, Suſianam, Aſſyriam, & ſinum Perſicum à Chaldæo, qui quartodecimo loco poſt Ninum regnauit, prius Cephenes ab Andromedis patre Cepheo. Perſarum Regi Sopho parent. Chalybon Vrbs in ea Syriæ parte, quæ Chalybonitis dicitur. Chatramotitæ in felici Arabia, quos Ptolemæus Chatrammitas vocat, Chatrametas Vranius, ibi nunc eſt Carna oppidum. Chius à Chio Oceani filio, vel Chione Nympha. Oppidum condidit Ion Xuthi filius, vel Oenopion frater Staphyli Theſeo, & Ariadna genitus. Nunc Sio. Choraſmij in Bactriana ex Maſſagetarum Sacarumq; gente. Tartaris parent, Cia in Græcia Inſula, zia eſt. Cicones in Thracia, ad Neſum amnem, quem Perodotus Liſſum vocat, quorum vrbs fuit Iſmarus, poſtea non Marathonia quidem, ſed Maronea dicta, vt & apud interpretem Pomeri legendum eſt, & apud Stephanum, quanquam is Marathoniam, Maroneam, & Iſmarum tres vrbes eſſe facit. Inde Cicones venere in auxilium Priamo Mente Duce. Vrbs iam eſt Marogna. Cimbri

bri fuere in Cimbrica Cherrhoneſo, quæ Dania eſt, poſtea venere in Galliam, ſed aquis pulſi noua domicilia petentes, à C. Mario victi, cæſiq; ſunt. Qui ſuperfuere, acceſſerunt vbi nunc eſt Cambray. Ciſſij in Suſiana, Perſis parent, ibi eſt Gies oppidum. Cnidus vrbs Cariæ Lacedęmoniorum Colonia, nunc Caput Chij. Co Inſula in Carpathio mari, nunc Longeum, quam tenuere Cares, poſtea Argiui ab ouibus dicta: ouem enim κῶν Cares ipſi vocant. Coi ipſi dicuntur Meropes à Merope Triopæ filio. Colophon Aſiæ Vrbs eorum colonia eſt, qui Thebis à Therſandro captis ſecuti Tireſiam, Mantoq; ſunt. Arij conditam dicunt vrbem ab Ione, Xuthi filio, Mimnermus Colophonius poeta Elegus ab Andremone Pylio, iam vero Altoboſcus eſt. Corinthum in Iſthmo poſuit Syſiphus vrbem Ephyrem dictam ab Ephyro filio Myrmecis Epimethei vxoris. Aletem Hippotis filium volunt alij vrbem condidiſſe ab Hercule ſextum, ſed Eumelus ſcribit Aeetæ antea datam à Sole patre. nunc Corantho. Cereophagi circa ſinum Arabicum prope Berenicem, quæ Coſir vrbs eſt. Creſton vrbs Thraciæ à Creſtone Martis, & Cyrenes filio. Creta Inſula à Crete Iouis, & Idææ Nymphæ filio dicta, vel à Creta Heſperidum vna, nunc Candia, olim Core à Corete. Criſſa vrbs Phocidis à Criſſo condita Parropei, vel Phoci filio. Crotonem vrbem in Iapygia fabricarunt Achiui. Myſcello, Myſteloue, vt apud Dionyſium eſt, Duce, & Archiæ auxilio, vnde Crotoniatas genere Achæos eſſe ſcripſit Herodotus: vocarunt à Crotone filio Lauræ Lacinio geniti, Lacedæmoniorum inde colonia, deducta cum Spartæ regnaret Polydorus Alcamenis. Nunc Cotrone. Cumæ vrbs Campaniæ Cumæorum, Chalcidenſium, & Eritrienſium ex Euboea colonia, Hippoclis Cumæi, & Megaſthenis chalcidenſis ductu. Curetes Apollinis filij, & Danaides Nymphæ Cretenſis, in Creta Iouem aluere. Curetes etiam dicuntur

Acar-

Acarnes, quod intonſam comam habeant. Cynamolgi Aethiopes, qui & Agrij dicuntur in Nubia. Cynoſura in Arcadia à Cynoſuro Mercurij filio. Cyrenem in Aphrica ædificaſſe Apollinem aut Pindarus, quod Ariſtæus, vel Ariſtoteles, cognomine Battus filius Cyrenis Theræ Inſulæ Regis, vel Polymneſti Theræi ex Inſula propter ſeditionem iuſſu Apollinis recedens, in Aphrica vrbem condidit, à Cyreneq; vocauit Hypſei filia. Cyrrha vrbs Phocidis, nunc Aſpropiti.

Damaſcus vrbs Syriæ ab Aſco Gigante, qui Bacchum vinctum in fluuium demerſit; vel à Damaſco Mercurij, & Alimedes filio, qui vrbem condidit, vel certe Abrahæ ſerui. Dardani in Myſia propè Macedoniam, quæ pars nunc dicitur Seruia. Dardicæ, vel Dardæ Indi, qui contra Bacchum pugnarunt, in Regno eos fuiſſe puto Narſingæ. Dauni in Apulia, quo venit Diomedes. Debæ erant in Meſopotamia non longe ab amne Tigri. Decelea Caſtellum, quod Agis muniuit contra Athenienſes. Delos Cycladum vna, quod Latona ibi pariente δηλος fulcimento fulta fuerit, cum antea erraret, & Aſteria diceretur, Cynthuſq; à Cintho Oceani filio, vnde Apollo Cynthius. Ortygia appellatur ab Homero, Scythias à Nicanore, nunc Sdiles. Derbicæ in Margiana, Delbiccæ dicuntur ab Apollonio, à Cteſia Derbij, vel Terbiſſi. Dodone regio, & vrbs Theſprotiæ Ioui ſacra, quam Deucalion incoluit, à Dodone Oceani filia, vel Iouis filio ex Europa. Dolopes in Epiro prope Theſſalos à Dolope. Fuere etiam in Scyro Inſula Cycladum vna, quam præter Dolopes, incoluere Pelaſgi, & Cares. Dores fuere iuxta Pindum, inde inter Oeten, & Parnaſum, vbi fuiſſe dicunt ſex vrbes Cytinum (& ſi perperam legitur apud interpretem Lycophronis Catinum) Boeum, Lilæum, Carphæum, Dryopem, & Erineum. Poſtea cum Heraclidis venere Lacedæmona.

Ecba-

Digitized by Google

Ecbatana vrbs in Media à Seleuco condita, vel à Deioce Rege Medorum primo, nunc Tauris. Elienſes in Peloponneſo inter Peneum, & Alpheum, dicuntur ab Homero Epei ab Epeo Rege Neptuni filio, & Eurypyles. Ariſtoteles tamen Epeum, & Alexim Elidis filios eſſe ſcripſit. Enderum oppidum in Illyrico. Epheſum vrbem vel Amazones in Ionia condidere, vel Athenienſes, qui Ione Duce in Ioniam venere, vel Androclus Codri filius, qui in bello obijt, cum Prienenſibus opem ferret. Epidaurus in Peloponneſo colonia Epidauriorum, qui inter Argiuos ſunt, nunc Maluaſia: in Dalmatia vero Epidamnus ab Epidamno Rege vrbs condita: huius filia genitus eſt Dyrrhachius, quo nomine vrbem, eorumq; coloniam vocarunt Romani. Eſſedones Melæ, & Plinio, Iſſedones Herodoto, & Hecatæo, Alcmani, Aſſedones, ſunt in Scythia, horum regio nunc dicitur Iuhra, inde primum venere Vngari. Ptolemæus Iſſedones collocat in Serica, quam tenent Tartari, Cambaluq; vocant. Eubœa Inſula prope Atticam ab Aſopi filia, olim Macris à Macride Iunonis nutrice, nunc Negroponto. Incolas Abantes Homerus vocat vel ab Abante eorum Rege Neptuni filio, vel quòd eò venerint ex Aba Phocidis oppido. Athenienſium Colonia à Tolmide nauarcho deducta. Eurytanes Aetoli ſunt in Illirico ab Euryto, quem Hercules interfecit. apud hos fuerat Vlyſſis oraculum.

Faliſci in Aethruria Argiuorum Coloni, vel chalcidenſium, poſtea Romanorum, oppido condito ab Aleſo Agamemnonis auriga, nunc Mons Flaſconus. Fenni, Phinni Ptolemæo inter Viſtulam, & Chronum, vbi Pruteni ſunt: venere ex Phinnonia (ſic enim legendum apud Plinium videtur viro doctiſſimo Zieglero) quæ Finlandia eſt in Scandia.

Gabij Volſcorum oppidum in Latio à Galatio, & Bio fratribus Siculis conditum, nunc Gallicanum. Gades

Digitized by Google

Insulam in Oceano Hispanico incoluere Tyrij illo classe aduecti, prius Continusa. Galatia in ea Asiæ parte, quæ Natolia dicitur, quo Celtæ aduenere. Gamphasantes in Aphrica inter Nigritas. Gandarij in India intra Indum, & Suastum fluuios. Garamantes in Aphrica à Bagarda fluuio, ad paludem Nubam, quæ loca tenent Arabes in Nubiæ solitudine deserta. Gedrosia prouincia in Asia, nunc Regnum Tarse, aut Guzaraz. Geræstus portus apud Ptolemæum in Euboea, alij promontorium dicunt esse à Geræsto filio Iouis. Getulia prouincia in Aphrica vltra montem Atlantem. Gindanes prope Macas, aut Macæos in Aphrica. Gichthis eorum vrbs dicitur a Ptolemæo. Sunt Lotophagi. At qui credunt Vlyssem errasse circa Italiam, & Siciliam, Lotophagos dicunt esse Agrigentinos, & Camarinenses, Cyclopes vero Leontinos. Gordij prope Tigrim a Gordię Triptolemi filio, olim Carduchi, Persis parent. Gortyna vrbs Cretæ à Gortyeo Heroe, nunc Cortina. Gotti, qui & Getæ, sunt adhuc in Scandia, vnde venere ad paludem Mæotidem, mox in Thraciam, Italiam, & Hispaniam. Haliartus in Bœotia oppidum conditum ab Haliarto Thersandri filio, quem sibi post insaniam Athamas adoptauerat. Ariartum aliqui vocant Hammanientes in Cyrenaicæ solitudine, quam tenent Arabes. Heliopolin in Aegypto condidisse Arabes scribit Iuba, alij Actem, Origenes Pharaonem Aegyptium Regem, esse enim eam ait, quam Moses On appellat, sic enim apud Origenem legendum est, quamuis in Indiorum libris nomen hoc non sic, vrbs iam dicitur Bethseme. Heniochi, qui & Cæsiæ in Sarmatia, quæ est in Asia, ibi nunc vrbs Zichia ad pontum. Hermione Argiuorum vrbs in Peloponneso Proserpinæ sacra ab Hermione Europis filio condita: quam incoluere Dryopes ex Doride ab Hercule, Melien fibusq; abducti. Maria iam dicitur, Herniei in Latio, vbi Anagnia oppidum. Heruli ex Gotthia Scandiæ venere in

Ger-

Germaniam, & Dalmatiam, pars in patriam redijt, alij in Saxonia sunt ad Mechelburg. Homolium oppidum Magnesiæ. Hunni cum Valia venere ex Scythia in Pannoniam, quam tenent. Hyperborei dicebantur esse in Asia trans Hyperboreos montes, quo loco nunc est Duina regio in Moscouia. Hyrcania porpe mare Caspium, nunc Cassam.

Iapyges sunt in Apulia. Iaxamathas esse putarim Circassos, nam & Ephorus esse ait in Sarmatia, Iaxabatas Stephanus vocat. Iberia in Ponto, quam Georgiani Christiani tenent. Iberes putantur coloni Hispanorum, se tamen ipsi dicunt à Thessalis ortos cum Iason repetijsset Colchos Aeeta mortuo. Ibernia Irlanda est in Oceano. Ichthyophagi in sinu Persico, eorum vrbs Stobera. Erembi ab Homero dicuntur, quos esse ait Hellanicus ad fontes Nili, vbi est Regnum Manicongi. Igilliones in Lituania, nunc dicitur eorum regio Scimogithia. Illyricum ab Illyrio Cadmi filio, nunc Sclauonia. Iones Attici sunt ab Ioue Creuse, Xuthiq; filio, vel Apollonis: Horum coloni in Asia, & ipsi dicuntur Iones, & prouincia vbi sunt, Ionia, quam Turcæ Quiscon appellant. Ithacam Insulam, quæ Acarnaniæ adiacet, tenuere Ithacus & Neritus Perelai filij Cephalenia relicta, nunc dicitur Compare. Iulis vrbs in Insulam Cia (sic legendum apud Stephanum) ab Iulide fonte, Simonidis Lyrici, eiusq; fratris Bacchy lidis patria.

Lacedæmon vrbem condidit Lacedæmon Iouis, & Taygetæ, vel Semeles filius, nomine à Sparta ex ore imposito, vel à Sparto Amyclante genito: alij à Sparto Phoronei filio conditam dicunt, à Patrocle alij, à quo sextus fuerit Lycurgus legum lator. Nunc Misitra Lampascus Milesiorum, Phocensiumue Colonia in Hellesponto, à Diomedis Thracum Regis sorore dicta, olim propter Pinus pithyea, & priapus, quod à priapo Veneris, Dionysijq; filio

condita credatur, quoniam optimum vinum fert, nunc Lapſicus. Lanuuium oppidum in Latio ad viam Appiam à Diomede conditum. Laodicea altera in Perſide Antiochi opus, altera in Syria à Laodice matre Seleuci, hanc Iudæi Rhamata, Barbari Lichem dicunt. Latini Italiæ populi quibus imperauit Latinus Herculis filius Fauni vxore natus, nunc Campania. Lebadia Bœotiæ vrbs, nunc Badia. Lemnus Inſula Thraciæ Sacra Vulcano, quod ibi Olympo deiectus ceciderit, à Magna Dea dicta, quam lemnum vocant, Inſulam tenuere Pelaſgi, nunc Stalimene. Leontini Siciliæ populi Chalcidenſium coloni. Lepta, vel Leptis vrbs Aphricæ à Sydonijs Tyrijs condita, ſeditione patria pulſis, nunc Aphrica dicitur. Leucas Corhintiorum, Corcyrenſium q; colonia in Epiro, nunc Sancta Maura. Limnæ oppidum circa Helleſpontum in Cherrhoneſo prope Seſtum, quod Mileſij habitarunt. Limyra oppidum Lyciæ à Limyra fluuio. Lindus vrbs in Inſula Rhodo à Triopate Phorbantis filio condita, vel à filijs Cidippes, & Cercaphi, Apollodorus Lindiam vocat, & eam Danaum Beli filium ædificaſſe ſcribit, ea forma, qua erat vrbs Athenarum. Lipara vna ex ſeptem Inſulis Aeoli, maiorq; à Liparo Auſonij filio, olim Meligunis. Liparæi ipſi Cnidiorum coloni, quicum Pentathlo Cnidio Duce in Siciliam veniſſent ad Pachynum inde pulſi ab Elymæis, & Phœnicibus in Liparam traijcitur. Locri Epicnemidij, qui & Opuntij, ſunt contra Euboeam in Achaia: Locri Ozola circa Aetoliam in Criſſæo vico: horum Coloni ſunt Locri in magna Græcia, qui Epizephyrij dicuntur ab Italiæ promontorio Zephyrio, quod Spartiuentum eſt. Eorum oppidum eſt Locris vel ab ipſis conditum, vel à Naritijs. Pauſanias Lacedæmoniorum coloniam eſſe ait deductam cum Spartæ regnaret Polydorus Alcamenis filius. Longobardi Gepidarum genere ſunt, fuere, ſunt q; in Italia. Lucani in Italia vbi nunc Baſilicata. Lycij à Lyco Pandionis

dionis filio, in Asiam venere cum Sarpedone Cretensi prope Ciliciam, prius Termillæ, nunc Briquij. Lydia in ea parte Asiæ est, quæ Natolia dicitur. Macæ in Aphrica non procul à Syrti, vbi nunc est Taga vrbs, à Ptolemæo Macæi Syrtitæ dicuntur. Machlyes in Aphrica circa Tritonem paludem, Macryes Stephano, Macries Rhiano, Machryes Ptolemæo. Macrobij in Aethyopia prope Meroen. Macrones in Cappadocia prope Tibarenos, & Armeniam. Magnesia altera ad pelium inter pelasgos, quæ nunc Verlichi: altera huius Colonia, & Cretensium in Ionia. Mantinea Elidis vrbs, à Mantineo Lycaonis fratre condita Mundi iam est. Marathon in Attica. Mardi in Persida, vel Hyrcania, vt est apud Apollodorum. Mares prope Mosynæcos. Margiana in Asia, vbi nunc Coralani. Massæsyli in Aphrica, Numidæ erant, regio adhuc Numidia vocatur. Massagetæ in Asia trans Araxem fluuium, vbi Cyrus interfectus est. Mauri, qui & Mauruſij, quomodo apud Stephanum legendum est, in Aphrica, vbi nunc est Regnum Fes, & eius maximè pars, quæ Habat dicitur. Maxyes in Aphrica prope Tritonem. Media à Medo Medeæ, Aegeiq; filio prouincia in Asia, nunc Seruam. Megara vrbs ad Isthmum inter Peloponnesum, Atticam, & Bœotiam à Dorienſibus, Coræboq; Argiuo condita, dicta quod ibi in prælio cecidisset, sepultusq; Megareus esset Neptuni, aut Apollinis, Aegeiue filius, qui cum Bœotis in auxilium venerat Nisi contra Minoem, vrbs antea Nisa appellata. Melanchlæni in Sarmatia, quæ est in Asia, regio nunc Mordua dicitur. Melienses, vel Maleenses iam Caput Malio Memphim Aegypti vrbem prope Nilum condidit Epaphus Iouis, & Inus filius, vel Apis Rex Argiuorum. Herodotus Menem fuisse ait Aegyptiorum Regem primum, quem Mineum vocat Iosepus. Nunc vrbs est Cofer. Messoa, vel Mesoa locus, & Tribus Laconica. Miletus in Caria condita à Sarpedone Cretensi, dictaq;

à Mi-

à Mileto item Cretenſi. Credunt alij vrbem multum antea fuiſſe, Anactoriam dictam ab Anacte Rege Cæli, Terræq; filio: Pithyuſſam quoque quod nata ibi primum pinus eſſet: Coloniam deinde Athenienſium à Neleo Pylio Codri filio deductam, nunc Melaxo. Milyæ, vel Milyes à Milye Solyni vxore inter Galatiam, & Pamphyliam: Homerus hos Solymos vocat, à Solymo Iouis, & Chaldenes filio, poſtea Piſidæ dicti. Mœotici ſunt circa paludem Mœotim, quæ nunc Zabache dicitur. Circa eam ſunt in Aſia Circaſſi, in Europa Gazari, Cumani, & Tauri. Moloſſi in Epiro. Moſynæci in Moſchicis montibus inter Armeniam, & Cappadociam. Muſicani, Plinius Mutanos appellat, ſunt non longe à Pandanis ad indum. Mynyæ Plati nunc, Myſi ad Euxinum Lydorum coloni, Olympieni dicti à monte Olympo, nunc Bulgari. Myus in Caria Ionum Colonia à Cydrello, Cyaratone, vt eſt apud Pauſaniam, Codri filio deducta, à quis poſtea ſubmerſa.

Nabatæi à Nabate quodam in ea Arabia, quæ Petræa dicitur ab vrbe Petra, quæ nunc Arach dicitur, & prouincia ipſa Barach. Naſamones à Naſamone in ea parte Aphricæ, quæ Marmarica dicitur, vbi Arabes ſunt in ſolitudine. Nauplium in Peloponneſo Nauplius condidit Neptuni, & Amymonis filius. Nauplij ipſi Aegyptij ſunt, qui cum Danao venere nunc Neapolis Romaniæ. Nauria in Aſia regio. Naxus Cycladum vna Baccho Sacra à Naxo earum Duce, vel Endymionis filio, Athenienſium colonia, ab Homero Dia dicitur, iam vero Nicſia. Neruij Belgæ nunc Tornacenſes. Numidæ in Aphrica, vbi nunc Conſtantina vrbs, & Regnum. Nyſæi ex Nyſa vrbe Indiæ à Baccho condita, Nyſa etiam in Aethyopia Inſula in Nilo.

Odryſæ Thraces ad Artiſcum fluuium, vbi nunc Bergas oppidum. Oetei in Achaia, alij in Scythia. Ophiophagi in Arabia, Candei etiam dicti, vbi nunc Panchaia regio.

Digitized by Google

regio. Orchomenum in Bœotia ædificauit Minyas, vnde Minyæum appellatur ab Homero: dicitur ab Orchomeno Iouis, & Hermippes filio. Oropus in Bœotia ab Oropo filio Macedonis, nunc Sucamino.

Padæi Indi, Aseni Plinio, Pandani Ptolemæo, Pandæ Stephano, qui cum Deriade contra Bacchum pugnarunt. Palæstini, quos Philistinos Iudæi vocant, erant in Syria, vbi fuere postea Iudæi. Pallene Pagus in Attica. Palma in Oceano Atlantico vna ex fortunatis. Paphlagones in Asia circa Pontum à Paphlagone Phinei filio. Parrhasiam in Arcadia condidit Parrhasius Lycaonis filius, vel Pelasgus Archestoris eò Argis profectus. Nicanor hanc Parnasiam dicit fuisse vocatam ob Lycaonis παρανομίαν in Iouem. Parthenium in Taurica cherrhoneso promontorium. Parthi in Asia Persis parent. Pasagarda, Pasargada Ptolemæo, Passargadæ Diotimo, Persagadum Curtio oppidum à Cyro conditum vbi prælio vicit Astyagem: hæc enim vox apud Persas Castra significat, in hoc oppido etiam Cyrus ipse conditus. Ibi nunc est Apasia. Patræ vrbs Achaiæ in Peloponneso Lacedæmoniorum colonia deducta à Patreo Preugenis filio, antea Aroas dicta, quod eam ædificasset Eumelus, ad quem ex Attica venit Triptolemus, eiq; fruges dedit. Nunc etiam Patras. Pellene, vel Pelline vrbs Achaiæ in Peloponneso. Pelusium Aegypti oppidum ab Iside conditum in honorem Pelusij pueri mortui, nunc Damiata. Pergamus vrbs Asiæ Perrhœbi sunt in Epiro, vbi primum fuere Dores iuxta Pindum. Persepolis in Perside vrbs condita à Perseo Iouis, Danaesq; filio, ab Alexandro euersa, ibi nunc est Cuerchaz. Pessinus vrbs Paphlagoniæ prope Dydimum à Mithridate, & Ariobarzane condita, quo loco cecidit Palladium, nunc Tribanta. Phæacum Insulam Homerus Scheriam appellat, olim à Phæace Neptuni, Corcyræq; filio, vnde & Insula postea Corcyra dicta, olim Drepane, nunc Corfu.

Digitized by Google

Corfu. Phæſtij in Theſſalia, eorum vrbs Oiſta iam dicitur. Pharuſij in Aphrica ſunt inter Nigritas, Aſenagi dicuntur. Phaſelim in Lycia vel Pamphilia condidit Lacius Argiuus Mopſi ſocius, ſolo ſalſamentis empto à Cylabra paſtore, vnde phaſelitæ Cylabram Heroem vocant, & illi piſcibus faciunt. Mela vult Mopſum ipſum oppidum condidiſſe. Philaca vrbs Theſſaliæ. Philenorum aræ in Syrti magna, vbi nunc Hernic vrbs. Phocenſes in Achaia à Phoce Aeaci filio ex Pſamathe, quem Peleus frater interfecit. Phœnices in Aſſyria à Phœnice Agenoris, Neptuniue filio, ibi nunc Tripolis eſt, aliæq; vrbes. Phreatis vicus Atticæ. Phryges Macedonum coloni ſunt, & in Macedonia Bryges vocantur. Pthiothæ in ſinu Pelaſgico à Phthia Neptuni, & Lariſſes filia. Piſa vrbs Elidis condita à Piſo Perieris filio, ab Eleis deleta, quibus Piſæi bellum intulerant Pyrrhum Pantaleontis filium Regem ſecuti. Pitane vrbs in Troade prope Caicum, nunc Sanctus Georgius. Placiades vicus Atticæ. Plateæ Bœotiæ vrbs à latitudine Onchesti nemoris Neptuno Sacri. Pœonia Macedoniæ pars. Polla vrbs Theſſaliæ. Pontus Natolia. Præneſte oppidum in Latio, Prænestum Ptolemæo, Prænestus Stephano conditum à Cæculo Vulcani filio, vel à Telegono Vlyſſis, & Circes eo loco, quo ſaltantes homimines ramis iligneis πρινίοις ſcilicet coronatos vidiſſet, inde nomine oppido dato, vel à Prænestе Latini filio. Praſia oppidum in Peloponneſo, nunc Ciparissi. Ptomphanæ Aethyopes inter Nilum, & Montes Nubiæ, Ptomphanes Ptolemæo.

Quadi fuere in Germania ad Danubium in Sleſia, & Auſtriæ parte.

Rhegium oppidum Brutiorum in Italia condidere Chalcidenſes, Meſſeniorumq; exules à Zancleis vuocati. A ῥαγῆναι dicitur, quod ibi terræmotu Sicilia auulſa ab Italia fuerit. Callimachus Iocaſti vrbem vocat, ac ſi eam Iocaſtus

Digitized by Google

ſtus Aeoli ventorum Regis filius poſuiſſet. Rhenea Inſula, Rhene Ptolemæo, nunc Fermene Rheni inſulæ, nunc eſt Hollandia. Rhizophagi ſunt ad Aſtaboram, & Aſtapam fluuios in Aethiopia, vbi eſt Rex Aethiopum Dauid. Rhoxolani in Sarmatia, ibi Gazaria prope Tanaim.

Sabæi in Arabia felici. Sabini Italiæ populi Lacedæmoniorum genere, vbi nunc Abrutium, ibi etiam erant Samnites. Sacæ in Aſia ſunt. Scythæ inter Tartaros, Sagarij in Media, Ptolemæo Sagartij. Samus Inſula in mari Icario à Samo Ancæi, Samiæq; filio, quam Iones incoluere huc profecti cum Procle Pityrei filio, & Epidauris. At Proclis Filium Leogorum, Samioſq; victor Inſula expulere Epheſij: eorum pars in Thraciæ Inſulam Leucaſiam acceſſit, quæ Samothracia dicta, iamq; Sammandrachi. Saraceni in Arabia, Hos Strabo, & Plinius vocaſſe videntur Scenitas, vbi nunc eſt Mecha vrbs. Sarangę prope Bactrianam, & Oxum amnem. Sardis vrbs Lydię Croeſi, & antea Omphales regia, ab Homero dicitur Tarne, & Hydę, vt apud Stephanum legendum eſt. Nam Hyle eſt in Bœotia. Sarmatæ poloni. Scordiſci in Pannonia, vbi nunc Belgradum oppidum. Scythę Tartari ſunt. Segoregij in Liguria Semnones Germani Sueuorum pars, vbi nunc Luſatia, & Marchia Brandemburgenſis. Seſtum in Thracia condidere Lesbij contra Abydum, Turres iam ſunt, quæ à Turcis Bogazoſſar vocantur, ea enim voce appellant ipſi oppida in maris faucibus. Sibæſi Indi, Sibæ Dionyſio. Hi etiam contra Bacchum pugnarunt. Sicyon oppidum Peloponneſi, Mecon olim, & Telchinia. Siginni in Aſia circa Caucaſum montem. Sindi in India extra Gangem, Dauſia iam eſt eorum regio. Sitones in Scandiæ parte, quæ Suecia eſt, ibi etiam ſunt Suiones. Sobij Indi. Spermophagi in Aethippia prope Rhizophagos. Sphæria Inſula Troezeniorum à Sphæro Pelopis auriga ibi ſepulto. Stymphalus vrbs Arcadiæ à Stymphelo

Lycaonis filio. Sueui Germani fuere ad Albin, mox venere vbi est Augusta, Vlma, aliæq; vrbes. Susiana perfidis regio à Susa vrbe condita à Dario Histapis filio, vel à Memnone, Memnonia propterea dicta ab Herodoto, & à lilijs vocata, quod Susam Barbari appellant lilium, eorumq; copia ibi sit: iam vero Susay. Sybaris vrbs Italiæ à Trœzenijs condita. Iseliceo Duce, Thurij postea dicta, Athenienſium Colonia à Dionysio Chalceo deducta Periclis iussu.

Talchlees in Aphrica. Taprobane Insula in mari Indico, olim Simunde, postea Salice, nunc Samotra. Tapyri, Tapyrrhi stephano, Taporrhi Quadrato in Media, vbi nunc Ars vrbs. Tarquinij oppidum Aethruriæ à Thessalis conditum vbi nunc forte est Massa Senenſium oppidum. Tauri Scythæ in Taurica Cherrhoneso, quæ Tartaria minor dicitur. Taxili sunt inter Indum, & Hydaspem. Tegea Arcadiæ, vel Elidis vrbs à Tegeo Lycaonis filio condita. Tenedus Insula in Hellespontо à Tene Cycni filio, antea Leucophrie, vel Leucophrys, & Stene. Thasum Insulam in Aegeo incoluere phœnices, qui Europam quærebant Thasio Duce, Pariorum inde Colonia, Thalassia dicitur à Ptolemæo, nunc Thaso. Thebæ Bœotiæ vrbs ab Amphione, & Zetho condita, vel à Cadmo, vel à Boue dicta, quam Assyrij Teben appellant, vel à Thebe Asopi, Prometheiue filia, nunc Stibes. Thera Sporadum vna Lacedæmoniorum colonia à Thera deducta: Calliste etiam dicta. Thespiæ Bœotiæ vrbs à Thespiade, Tespione condita Teuthrantis filio. Thessalia in Macedonia ab Antipho Thessali filio, qui Ilio euerso occupauit Pelasgiam. Thracia in Europa prouincia à Thracia Oceani filia ex Parthenone, nunc Romania. Thule Insula quæ Tile adhuc dicitur prope Orcades, vbi Orcadum ipsarum Rex est. At Scritifini, qui dicuntur esse in Insula Thule, sunt in Scandia, quam Procopius quandoque appellat Thulem.

Thyſ-

Digitized by Google

Thyſſagetæ in Sarmatia, vbi nunc Sylua Lepiphanouulies eſt in Moſcouia. Thyſſus oppidum Macedoniæ ad Atho montem. Tibareni prope Trapezuntem. Tingim oppidum in Mauritania condidit Antæus, D. Claudij colonia, dicta Traducta Iulia. Plutarchus Tingenam vocat, eamq; ædificaſſe ac Siphax Herculis filius ex Tingenna Antæi vxore, nunc. Tanger Tiryas vrbs in Peloponneſo à Tirynthe Argi filio, vel Aloei filia, olim Halicis: hanc delere Argiui. Thrauſi in Thracia ſunt. Tribaldi in Myſia, Valachijam Trœzenem vrbem vocauit Pittheus ex nomine fratris, duobus oppidis Hyperea, & Anthea in vnius formam redactis. Tybur in Latio conditum à Telegono, vel ab Argiuis fratribus Tora, Catillo, & Tyburte filijs Catilli Amphiarao geniti, nunc Tiuoli. Tyrus vrbs Syriæ à Tyro Phœnicis filio. Eam condidiſſe dicunt anno ante Troiam captam phœnices Sidonij Aſcaloniorum Regem fugientes, vnde colonia Sidoniorum dicitur à Hieronymo. Curtius ædificaſſe eam ſcribit Agenorem.

Vandili Germani, qui in Hiſpaniam profecti, Vandalitiam tenuere, quæ Andalutia eſt. Vei oppidum Aethruriæ, Sardianorum colonia, nunc Martinianum. Venedi in Saxonia ad Viſtulam ſunt inter Prutenos. Vmbri in Italia, vbi Ducatus Spoleti. Volſci vbi nunc Sueſſa. Volſcinium oppidum Aethruriæ, Bolſena eſt. Vxij non longe à Suſa, vbi Choaſpes oritur: hinc eſſe Zingalos aliqui volunt, ego vero ex Pannonia.

Xanthus vrbs Lyciæ à Xantho Aegyptio, vel Cretenſi.

Zygantes in Aphrica non longe à Maxyjs.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

GALLORVM INSVBRVM ANTIQVAE SEDES.

Bonauentura Caſtillioneo Mediolanenſi Auctore.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTONIVS DE ANTONIIS Bibliopola Mediolanenſis, SECRETARIIS, ATQ; Cancellarijs Excellentiſsimi Senatus Mediolani. S. P. D.

NIuerſum orbis terræ globum, eiuſq; partes inſigniores nonnulli viri doctiſſimi tum veteres, tum recentiores, cùm non ſibi ſolium eſſe natos cognoſcerent, mirabili quidem induſtria, & arte ita deſcripſerunt, vt, cùm non omnibus datum ſit quocunque ter-

terrarum peragrare, liceat tamen cuiq; locorum ſitum, & ipſorum inter ſe diſtantiam, longitudinem, atque latitudinem domi dignoſcere. Id quod apud eruditos plurimi ſemper fuit; quibus, ſi, vt ſæpe fit, de aliqua ſiue terræ, ſiue aquæ parte ſermo incidat, omnia ſtatim non ſecus prompta ſunt, ac ſi ſingula (vti oculis ſubiecta) perſpecta haberent. Præter hos fuere alij, qui operæ pretium ſe facturos exiſtimarunt, ſi ea omnia, & ſingula deſcriberent, quæ vel antiquitatem redolerent, vel familias illuſtrare poſſent, vel quomodocunq; laudem, honorem, & gloriam ciuibus ſuis, & ipſi in primis patriæ afferre valerent. Ex quibus vnus eſt nequaquàm negligendus Bonauentura Caſtillioneus Mediolanenſis; qui in vrbe Mediolani, & eius prouincia deſcribendis operam nauauit diligentem, atq; ſedulam. Cuius opus aliàs editum cùm nunc vix reperiatur, iterum in lucem dare mihi in mentem venit. idq;, ſi Dijs placet, facere cogitaui vobis mihi fauentibus, viri præſtantes, & egregij; quorum auſpicio, atque

Digitized by Google

patrocinio nihil non bene, ac feliciter ceſſurum ſpero, atque confido: quando nemo a vobis vnquàm niſi voti compos diſceſſit. Itaque vos rogo, vt opus hoc elegans ſanè, atque vtile benignè ſuſcipiatis; & meum erga vos ſtudium memoria teneatis.

Digitized by Google

SECRETARII
EXC. MI SENATVS
Provinciæ Mediolanensis.

Io. Franciscus Landrianus.
Io. Antonius Poggius.
Io. Antonius Marchesonius.
Alexander Besutius.
Iacobus Philippus Paganus.

CANCELLARII
EIVSDEM SENATVS.

Io. Iacobus Ghilinus.
Io. Baptista Annonus.
M. Aurelius Glurianus.
Iosephus Amatus.
Io. Petrus Carcanus.
Claudius Poggius.

Digitized by Google

GALLORVM INSVBRVM ANTIQVAE SEDES.

Bonauentura Caſtillioneo Authore.

GAllliam Ciſalpinam, quam nunc Longobardiam ſeu Lingobardiam vocamus, initio Hetruſcos tenuiſſe omnes authores tradunt, conditis in ea duodecim Vrbibus: Cum ijs ob vicinitatem, Tranſalpini Galli, quos nonnullis Celtas nuncupauiſſe placuit, conuerſabantur. Qui poſtmodum Sedibus fame expulſi, ſiue agrorum fœcunditate allecti fuerint, Duce primum Belloueſo in Hetruſcos impetum fecerunt exiguam belli occaſionem nacti: Quibus ad Ticinum amnem agmine aperto fuſis quicquid Camporum inter Appeninum, & Alpes interiacet, & Hadriatici littoris partem maximam occuparunt; à quibus mox hæc Italiæ Baſſis Gallia vocitata eſt. Inter Padum, & Alpes Laij habitarunt, quos orientem verſus Libitij; vel Lebetij, ſeu Lebui ſequuntur. Poſt hos inter Ticinum, & Abduam ſunt In-

Gallia Ciſalpina.
Longobardia.
Græci nonnulli Longobardos vocant.
Hetruſci.
Ad ticinum agmine aperto fuſi à Gallis.
Laij.
Libitij.
Lebetij.
Lebui.

Digitized by Google

Insubres. Insubres, penès quos Cisalpinorum omnium authoritas
Cenomani. fuit. His postmodum recto ordine Cenomani inhærent.
Veneti. Gallorum postremi Veneti a Paphlagonia profecti; vel ab extima Transalpinarum Galliarum plaga; quam Oceanus alluit Occidentalis. Cispadanum tractum, vbi primum
Ananes. Appenninus ab Alpibus discedere incipit; primi tenuere
Boij. Ananes, post Boij, inde Eganes, Gallorum vltimi Seno-
Eganes. nes. Hi post Bellouesum aliquot sæculis Italiam ingressi
Senones. Boiorum intima penetrarunt; vbi Senam vrbem condidè-
Senogallia. runt anno ante Christum Redemptorem natum octuagesimo septimo supra quingentesimum, regnante apud Romanos Tarquinio Prisco. Crescentibus itaque Gallorum, & Romanorum rebus inter Hetruscos; & Gallos secundò bella sunt orta. Galli siquidem Senones superato Appennino, Hetruscos iam pridem extra Galliam Cisalpinam eiectos, sedibus turbant; Clusium ea tempestate eo-
Clusium. rum Metropolim obsidione cingunt, & latè Hetruscorum agros populantur; qua in obsidione irritati à Romanorum legatis, qui pretextu componendæ pacis illuc se contulerant, & desiderio manus conferendæ in aciem cum Hetru-
Roma a Gallis capta. scis descenderant: omissa Clusij obsidione, Romam vrbem inuadunt. Hi sunt Galli, a quibus Roma capta prædicatur, & incendijs, ac ruinis deformata, non a Gallia Transalpinatum primum venientibus: sed in Italia multis
Insubrum tractus. iam sæculis educatis. Gallis igitur Insubribus tractus omnis (vt diximus) inter Ticinum, & Abduam contigit.
Galloru Cisalpinorũ prisci mores Hos præcipuæ authoritatis inter Cisalpinos Gallos fuisse omnes historiæ tradunt; in primisq; Polybius author grauissimus, qui eos villas habitasse nullis septas mœnibus, & superstrato gramine dormitasse ad posteros transmisit. Bellicas præterea res atq; agriculturam exercuisse, diuitias in auro, & armentis patrio more exercuisse, vt cum ferret necessitas facilè transferri possent. Vltimos verò omnium
Senones. Gallorum Senones per ipsa Romanorum rerum, quasi in-

cuna-

Digitized by Google

cunabula in Italiam per iam tritum iter inter niuoſas alpes irrupiſſe verisimile eſt: cum multa iam ante tempora Hetruſci a Gallis celtis duce Belloueſo vltra Apenninum expulſi eſſent. Huius rei argumento ſunt certiſſimo ſedes ab illis occupatæ. Siquidem cum inter Alpes, & Apeninum omnia ante illos Galli iam tenerent, coacti ſunt in collibus Apennini Hetruſcis proximis ſedes figere, quibus cum continuum certamen ferè ſemper haberent, vel cum eos a finibus arcerent: aut irritati ipſi in eorum finibus bellum gererent. Cæterum Inſubribus poſtquam ſedes viſæ ſunt ſatis firmatæ, armenti adaucta copia, & hoſtibus procul expulſis ex montibus, in quibus vicatim habitabant, paulatim ad loca campeſtria deſcendere placuit: vbi minor hiemis aſperitas, & longè lætiora pabula, quibus æſtiuo tempore collecta ſeuiente Bruma eorum armenta paſcerentur. Eiuſmodi verò loca in planicie conſtituta, maxima anni parte virentia haud dubiè ea fuerunt, quæ nunc incolimus, quibus in locis vrbem condiderunt. Hìc autem veriſimile eſt per multos annos ad armenti, paſtoriciæq; ſupellectilis commoda a Gallis paleacea tuguriola; & ea quidem humilia Nomadico more fuiſſe conſtructa, paulatimq; Pado flumine exſiccato, & ad iuſtum fluminis decurſum exinanito; qui propter Anguſtiora in Hadriaticum ſinum oſtia latè ſtagnans lacus magis immenſi: quàm fluminis effigiem præſtabat per Padoam, quæ & Paduſa eſt, & Volanam, ſeu Nolanam, quæ portum efficit, cæpere Galli planiciem ſecurius habitare. Et hac ratione Padus liberiori eruptione facta in Hadriam loca, quæ facilè cæli ipſius ſalubritate, agrorum fæcunditate, collium apricitate, ſyluarum, & fontium, fluminumq; amænitate, rerum fermè omnium, quæ ad victum, veſtitumque hominis ſpectant, beatiſſima copia omnibus antecellunt, Gallis incolenda reliquit. Vnde non immeritò, Virgilius in quarto Georgicorum de Pado, & locis his noſtris cecinit,

Hetruſci a Gallis vltra Apenninũ pulſi.

Mõtes q̃ planicies a Gallis primo habitata.

Padoa. Paduſa. Volana. Nolana.

Galliæ Ciſalpinæ laudes ex Virgilio.

Et gemina auratus Taurino cornua vultu,
Eridanus, quo non alius per pinguia culta,
In mare purpureum violentior influit amnis.

Aemilius Scaurus.

Quòd circa Padum magna agri pars paludibus, & padaneis illuuionibus olim obruta fuerit, teſtis eſt Strabo, qui Aemilium Scaurum ſequentibus ſæculis, deductis ex Pado in Parmenſem agrum foſſis nauigantibus quidem commodis paludes fluminis reliquas, exſiccaſſe prodidit. Cuius authoritate ſatis probatur olim circa Padum paludes fuiſſe immenſas, & his maiores in Inſubrum regione extitiſſe credibile eſt ſtagnantibus præſertim Vmbrone, & Orona, plurimiſq; alijs fluminibus, quibus Inſubrum agri plenius æſtuant in vnum ferme locum illis coeuntibus. Argumento præterea huiuſce rei maximo ſunt colliculi iuxta oppidum diui Columbani Laudenſis agri, quos olim Padus alluebat. In plantandis enim vitibus, quibus colles ipſi maximè abundant, nauium roſtra; anchoræ, & huiuſmodi reliqua nauium inſtrumenta ſingulis fermè annis effodiuntur: quorum reliquias eo in oppido aliquando mihi vidiſſe contigit: oſtrearum quinetiam, & conchyliorum maritimorum conchæ, quas paſſim ibi aliquando colligere eſt, nullo negotio arguunt; Padum illuuione olim ad colles iſtos aſcendiſſe. Cum recepiſſet ergo dilatatis oſtijs, & deſiccatis paludibus Eridanus: (ita enim Græci Padum vocant) fluminis effigiem, vt recto tramite deferretur in Hadriam. Vero ſimile eſt Inſubres in campeſtribus locis velut fertilioribus omnino ſedes locaſſe, quæ quoniam in medio amnium ſitę eſſent Mediolamnium primò adiecta litte-ra, quam longam in Aul. Plautus apellat, hiatus vocalium tollendi gratia, demum Mediolanum nuncupauere. Annis tamen quamplurimis poſt traiectus Alpes Italicis moribus inſtituti, (vicinia ſiquidem, & morum, & fortunæ ſimilitudinem adfert) cæterarum vrbium exemplo, quas per Italiam belligerantes aſpexerant, vrbem mœnibus cin-

Insubrum regio plurimis fluminib. irrigua.

Vmbro.

Orona.

Sācti Columbani opp.

Eridanus. Padus.

Mediolannium.

Digitized by Google

cinxere, vt si qua vis hostilis ingrueret, facilius iniurias propulsarent. Vicus haud dubie primo fuit (si Straboni credimus) ætate vero sua eximiæ Maiestatis vrbs. Hoc in loco diuersorum opiniones non sunt recensendæ, tanquam ab historiarum fide alienæ. Ex antiquioribus nonnulli volunt a sue inuenta, quæ mediæ lanæ esset, Vrbem hanc nostram nomen traxisse. Sunt item qui scribant Insubriam primo vocitatam, & prius Albam, Peutheciam alij. Nec desunt, qui nomen a Græcis deducant. Sed scitè pro Catone contra Sempronium respondet Plinius, Italiæ rationem eos Græcis; alijsq; gentibus falsò mutuari, qui propriam nesciant, & de ea altercentur: eo etiam dementiæ plures accessere, qui audeant scribere non a Græcis solum, a quibus verisimilius est: sed ab Hæbreis ciuitatum, Regionum, ac populorum nomenclaturas deriuent. Idcirco qui Hæbrea attigere Gallos, quasi aquis non oppressos interprætantur: contenduntq; Gallorum nomen ante eorum ex Vlteriore Gallia in hanc Citeriorem aduentum in Asia, Græcia, & Italia extitisse: cum tamen Liuius Gallogræcos, seu Gallatas a Celtis originem traxisse, constantissimè adfirmet. Et Trogus de Brenno scribens, qui in Italia cum tercentis Gallorum millibus irruperat in Hetruscos, eorum centum milia non longè a Delphis vrbe oraculo Apollinis celebratissima in ea Parnasi montis parte, quæ ad austrum exposita est, Græcorum gladijs extincta: alia verò centum milia tractum in Asia iuxta Paphlagonas occupasse, eamq; Gallatiam dixisse: hosq; Gallogræcos primum, postea Gallatas appellatos, monumentis prodidit Hi sunt, ad quos Gentium doctor Paulus Epistolam scripsit. Eosdem quoq; Treuirorum lingua, idest Celtica loquutos fuisse temporibus etiam suis Diuus Hieronymus scriptum reliquit. Qui si ab Hæbreis fluxissent, vt nonnullorum est opinio non Celtica: sed Hæbrea, aut Caldea lingua fuissent vsi. Reliqua verò

Mediolani plura nomina.

Cato a Plinio defensus cõtra Sempronium.

Gallogræci. Gallatæ. Brennus.

Delphi.

Gallogræci. Paulus Apostolus Treuiri.

centum

centum milia, quæ in Italia remanserant Mediolanum, Ticinum, Bergomum, & Brixiam condidisse. Hos verò, qui sub Brenno militarunt, Galliæ Cisalpinæ nomen indidisse haud facilè crediderim: cum ante illius in Italiam aduentum plurimi authores tradant; Bellouesum Alpium iter primum in Italiam aperuisse. Nec desunt qui velint Brennum ipsum non in vlteriore Gallia, sed in Italia inter Gallos Senones Cisalpinos natum. Catonem quoque damnant multi, qui Orobiorum originem ignorasse se fateatur, quin & Plinium Naturæ scriptorem accusant, quod Catonis sententiam fideliter non retulerit, quæ omnia eò tendunt, vt Orobiorum, & Cenomanorum gentes, Gallorum quando etiam Cisalpinorum interpretationes nominum, & cognominum ab Hæbreis fluxisse arbitrentur. Quæ quidem nomina tametsi Hæbrea, aut Græca esse reperiantur: non tamen ex ijs satis probant populos eos Græcos vel Hæbreos extitisse. Siquidem inueniuntur plura Gentium vocabula, quæ Græcam præseferant etymologiam, quas tamen non Græcas, sed Barbaras fuisse Strabo, Plinius, alijq; probatissimi authores tradidere veluti Troglodítæ; Andropophagi, Hamoxobij, Nomades, eiusq; generis quàmplurima nomina. Tanta denique iactantia Trogi, Polybij, T. Liuij, & Plinij authoritates parui pendunt, vt suam his præponere sententiam impudentissimè audeant authoribus, quorum paulò ante calculo fuerant annexi: contendunt q; tantos viros Græcorum commentis fuisse deceptos, apertèq; ballucinatos, & ne ijs fides vlterius adhibenda sit ad Berosum Chaldæum, qui ex antiquorum annalibus omnia Assiriorum tempora digessit, & Methastenem rerum Persicarum scriptorem confugiunt velut ad sacram anchoram, tanquam quòd ij soli publica, probataq; fide scripserint. Et quamquam Cato ille, quicunq; is fuerit (suspectæ enim sunt eruditis auribus origines illæ) Mediolanum monumentis transmiserit ab

Olano

Bellouesus primus alpeis euicit.

Strabo. Plinius.

Trogus Polybius T. Liuius.

Berosus. Methastenes.

Mediolanum

Olano neſcio, quo Hetruſcorum Duce primum Olanum dictum, a Medo mox Inſubrum principe auctum Mediolanum nuncupatum ſcriptum reliquerit: nos tamen cum cæteris cum Græcis, tum Latinis authoribus maximæ exiſtimationis ſentimus. Qui vno ore omnes affirmant, & primum Gallorum nomen in Italia, & alibi auditum a primo illorum Cis alpeis aduentu, & ab eiſdem cum pluribus alijs vrbibus conditum Mediolanum. Quis enim hiſtoricus cuiuſque nationis extiterit ante Bellouceſum Inſubrum; aut Mediolani meminit vnquam? Quòd ſi obſtinatius contenderint Orobiorum nomen non celticum: ſed planè Græcum eſſe, iudicioq; ſuo affirmare velint M. Catonem, ob id nequaquam dixiſſe Orobiorum incertam originem eſſe, quod eam ipſe penitus ignoraret: Sed quòd ipſam Orobiorum incertam omnino, & ambiguam Etymologiæ rationem habere poſſet Hæbream vel Græcam, ſatis nobis fuerit & Latinorum, & Græcorum authoritate probaſſe Gallos Tranſalpinos, vel fame expulſos, vel ſedium nouarum perquirendarum gratia Citra alpes irruptione facta expulſis Hetruſcis Mediolanum, Comum, Brixiam, Bergomum, & Veronam condidiſſe. Simpliciorem igitur hiſtoriæ ordinem proſequentes adhibita pro viribus diligentia circa nominum interpretationes; quę maximo ſunt ad veritatem alliciendam argumento; Vtiliſſimorum quoq; Lapidum Inſcriptionibus ſuffulti; de ſitu Inſubrum, & huius noſtræ Metropolitanæ Vrbis origine aliquid referemus.

Olanum Medum.

Orobij pop.

Orobiorũ incerta origo.

Mediolanum, Comum. Brixia. Bergomum. Verona.

INter Inſubres olim oppidum fuit longè celeberrimum, quod ab eorum nomine Inſubrium vocarunt: quæres pluribus errandi cauſas præbuit: qui putarent Mediolanum Inſubrium dictum. Sed nos qui loca fermè omnia Inſubrum qui ad Colles iacent, perluſtrauimus, in quibus præcipuè eorum Vetuſtæ ſedes extitere; pro comperto

Inſubriũ.

Digitized by Google

habemus eas fuisse; vbi Castri Seprij vulgò reliquiarum disiecta vestigia visuntur. Aberrantq; tota (vt aiunt) via; qui Seprij Castrum, a quo plurima pars agrorum qui intra Ticinum, & Abduam continentur; cognomentum retinent; ad Seueri Imperatoris nomen adscribant, vnico tantum argumento fræti; quod materno Idiomate Seueri Castrum nuncupetur. Tradunt enim Seuerum ab Insubribus origines traxisse. Nec tamen aduertunt hac fermè friuola coniectura ducti; dictionem; quæ latinè sonat Seprium, vulgò Seurium non autem Seuerum dici. Ad hæc Federici, cognomento Rubrobarbi Imperatoris plura diplomata. Instrumenta quoque olim in Castro ipso confecta Subrij, non Seprij, nec Seueri meminerunt. Ex his itaque conijcimus Subrium fuisse; quod Seprium dicimus. Huic nostræ sententiæ calculum adiecit testamentum Manicundæ Longobardorum Reginæ in Castro Cariatis conditum, quod ab humanis decedens Regina ipsa in Cenobium vertit, cui nunc Soror Sophia præest: In quo legere est Castrum ipsum Cariatis ab Insubrum castro secundo lapide distare. Ex ijs igitur omnibus colligimus castrum ipsum primò, Insubrium mox, per contractionem litterarum breuitatis gratia Subrium; nouissimè per negligentiam in Seprium transisse. Quàm Dictionem corruptam, adhuc in dies eius tractus accolæ magis adulterant pro Seprio Seurinum pronuntiantes. Plurima in Cariatis oppido antiqua monumenta visuntur: quæ temporum iniuria legi non possunt. In ruinis tamen Celij memoriola est huiusmodi.

Seprij Castrum.

Seuerus Imperator.

Federicus Rubrobarbus.

Manicunda Longobardorũ. Regina.

Cariate opp.

Castrum. Insubrũ. Insubriũ.

Subrium.

Seurium.

Seurium.

M C O E

Digitized by Google

M C O E
L I V S C V M
S V I S
M E R C V R I O
V S L M

IN cænobio quoq; ipſo in lapidé ſatis ornato in Gradibus Scalæ Albutiorum, qui hac ætate duabus per incuriam demptis litteris Butij nominantur: monumentum elegantiſſimum viſitur his Caracteribus inſculptum.

P A L B V T I A
N V S
P R I M I T I V V S
A L B V T I A E
P I E N T I S S I
M A E
V F

NOn ab re eſſet putare Cariate oppidum à copia nucum; quibus ager ille adeo abundat, vt Lauris Parnaſus, denominatum. Si quidem Καρύη, ſiue κάρυα dicitur nux. Quanquam non deſint, qui hoc vocabulo ſignificari etiam velint Caſtaneam, & Auellanam. Sed eſto ijs rebus omnibus copioſiſſimus eſt tractus ille. Hoc etiam tempore pueri Inſubrum nucleum ipſum nucis Carium nuncupant. Quod oppidum ſi etiam dictum diceres, quod in ſummitate, aut vertice collis ſit, non inficias

Καρύη κάρυα.

Digitized by Google

irem. Quando Κάρηνον. Verticem, & summitatem etiam
Vicus Seprij. significet. Ab hoc oppido ad Alpes tendenti Vicus occurrit. Viseprium vocant: ac si dicas Seprij vicum, a quo
Tractus ruinarum plenus. Stadijs quatuor tantùm distat. Omnis autem regio interiacens tot ingentium ruinarum vestigijs scatet: vt celeberrimæ vrbis effigiem intuentibus obijciat. Porrò oppidi
Seprij castri antiqua magnificentia. Insubrum, seu Castri Seprij magnificam amplitudinem arguunt Murorum latissimorum circuitus, fossarum profunditas, tametsi illæ plurimis in locis aggerum ruinis sint oppletæ. Quinq; & adhuc templa conspiciuntur plurima ex parte diruta, è quibus duo absolutam antiquorum Symmetriam ostentant. Omnium spectatissimum Diuo Ioanni Euangelistæ dicatum est. Longobardorum Regum Regiam liberalitatem præseferens. Quæ omnia non leui admiratione prætereuntes viatores afficiunt. In Ca-
Litteræ hetruscæ. stro marmora sunt caracteribus (vt arbitror) Hetruscis insculpta, quæ nullum in præsentem vsq; diem (quem sciam ipse, vel alius sit interpretatus) intellectum admittunt. Non absurdum esset fortasse credere ab aliquo Hetrusco Haruspice, quorum disciplina percelebris fuerat vbiq; terrarum appositа fuisse. Quòd ab illis, qui ante Bellouesum, Hetruscis hic regnabant, monumenta illa (vt aliquorum
Castri Insubrũ Ditio. est opinio) insculpta fuerint, nemo vnquam mihi persuaderet, quando fidem omnem excedat marmor ab illis ad hæc vsq; tempora durare potuisse. Splendidam præterea oppidi huius Magnificentiam XXIIII. Pagi Illustres, quibus præerat, satis superq; declarant, authoritatis pristinæ
Castri Insubrũ arces duæ. indicia maxima. Omnis deniq; tractus vsq; ad sextum lapidem ab vrbe, Subrij vel Seprij, hac etiam ætate seruat appellationem. Illic duarum arcium vestigia conspiciuntur, è quibus altera eminentiori in parte ad Collis verti-
Orona flu. cem Mediolanum spectat, a quo in proximam Oronæ Vallem (nomen est fluuioli, qui Collis radices alluit) per subterraneos fornices aquationis gratia cuniculus ducebatur.

Digitized by Google

tur. In fluminis verò ripa tertium quoq; Caſtrum fuerat quadrato Lapide ſtructum, Turbinis titulo, in cœnobitarum Virginum vſus pios conuerſum. Arce demum euerſa nomen tantùm turbinis retinuit. Nec tamen antiquitatum memoriolæ hoc in loco deſiderantur. In poſtico ſiquidem ædis Vetuſtæ lapis extat barbarorum, vel imperitorum culpa, aut diuturnitate temporis ita fractum, vt quoties illum aſpiciam, illud Auſonij mihi toties occurrat. Turbinis caſtrum.

Miramur perijſſe homines, monumenta fatiſcunt,
Mors etiam ſaxis nominibuſq; venit.

Habuimus tamen Calphurniæ nomen politiſſimis, grandioribuſq; litteris inciſum. Cuius etiam poſteritas apud Inſubres nunc belliſſimè perdurat: ſed Caphurij litteris quibuſdam negligenter abiectis appellantur. Calphurnij. Caphurij.

C A L P H V R
N I A E
C A R I S S I
M A E
F E

Eadem in arce in fornice cuiuſdam hoſtioli Tabula marmorea affixa eſt his fermè cubitalibus Inſignis litteris.

L C A S S I O
A V T E
L O I O
L F

In

INtra circuitum oppidi olim Insubrum, putei, Cisternæque, & Cloacæ, reperiuntur. Adsunt quinetiam Cryptæ, fornices elaboratissimi, & huiusmodi antiquaria: Vigentibus demum bellis inter Vicecomites, & Turredanos penès, quos ea tempestate Insubrum summa authoritas fuit, de Imperio Mediolanensi disceptantes oppidum ipsum cum arcibus in illo rerum turbine solo æquatum, fuit; legeq; municipali sancitum est, ne in id locorum Colonia amplius duceretur. Quam quidem legem Prætores Mediolanensis, & Gallareatensis magistratum initijs iureiurando omni studio, opere, diligentia se curaturos pollicentur. Vnum illud quoq; animaduertimus in meditulio ferè Verbani & Larij lacuum oppidum ipsum situm fuisse, & in colle eminentiori, vt recto itinere ab vrbe ad Alpes proficiscentibus primo se offerat aspectu, ex quo velut è specula Insubrum patentes campi, cum vrbe ipsa videri possint. In eo monumenta propè infinita interierunt, nonnulla adhuc extant, sed plurima a ciuibus Mediolanensibus, post tantas & tot clades, inde abducta sunt: Ex pluribus verò vnum atq; alterum adduxisse sufficiat,

Bella Inter Vicecomites, & Turredanos,

Castri Insubrū euersio.

I O M
DIS MANIBVS
PRO SALVTE
MEMNIAE
PRISCAE
C F
MEMNIVS
ONESIMIANVS
PRO
FRVCTIBVS
VSLM

EX hac inſcriptione colligimus morem fuiſſe noſtris maioribus, pro ſalute ægrotantium amicorum, vt Dijs manibus ſacra facerent, & vouerent. Fontei quoq; Capitonis Conſulis, de quo meminit & Tacitus in bello Othoniano Mnemoſynon inſpicitur litteris grandioribus candido in Marmore inciſum. Fonteius capito.

I O M

Digitized by Google

I O M
C CAECILIVS
NIMPHEROS
VLSM
FONTEIO
CAPITONI
COS

EST, & verè cuiusdam Eulogium; sed plurima ex parte mutilatum reliquarum litterarum prænomine, & nomine duntaxat exceptis intelligentiam non admittit. Hoc igitur in tractu Insubrum Gallorum sedes fuisse, xpulsis inde Hetruscis facilè comprehendi potest, Insubrijq; nomen Oppido non Vrbi nostræ (vt multi falsò arbitrati sunt) inditum fuisse. Fidem præterea faciunt vici, municipia ditissima, Castella munitissima huius regionis, ex quibus ferè nobiliores familiæ Mediolanienſium antiquissimæ origines traxere. Inter tot municipia, & vicos occi-
Carnutũ. dentem versus secundo lapide oppidum Carnutum visi-
Carnagũ tur, vulgo Carnagum nuncupatum eo in tractu Carnutes
Carnutes vlterioris Galliæ populos olim consedisse; arguunt soli fertilitas nominis cognatio; & Insubrum Gallorum vicinia; facilè enim cum Bellouesо; quem tot hominum milia in Italiam traduxisse constat, & Carnutum copiæ alpes transsenderunt, & haud longe ab Insubribus sedes locarunt. Durat Gens Carnutum in Celtica Gallia oceano proxima olim in Clientela Remorum; & totius ferè Galliæ media eorum ciuitas Episcopalis, vulgo Chiartres nuncupatur. Tantæ præterea Aedificiorum ruinæ in dies effodiuntur;

tot

Digitized by Google

tot exculpti lapides; vt non nisi inter Cementa; maceriasque plantari vix possit Vitis. A Castro Insubrum Ticinum versus ad meridiem Quinto fermè miliario Gallareatum est oppidum Vrbeculæ effigiem præstans ad extremam Collium radicem in æquo ædificatum; a quo vniuersa planicies. XXIIII. Miliariorum spatio ad vrbem Mediolanensem extenditur. Cuius oppidi nomenclaturam, si attentius quispiam obseruauerit Gallorum aream hoc est conuentum Interpretabitur; sicut, & Nouariam trans Ticinum, quasi nouam Gallorum aream. In hunc tractum siquidem, velut ad Campestria loca, quæ fertiliora esse solent, Insubres adhuc montium accolæ colligendorum fructuum; vel Comitiorum habendorum gratia prisco Gallorum more confluebant. Ad vltimum denique excidium redactum fuit oppidum Gallareatum; dum Mediolanensibus nostris ex animo fauens copijs Ingentibus Federici Imperatoris: cui Rubrobarbo cognomen fuisse iam diximus, pertinaciter nimis aduersatur.

Gallarea tum opp.

Nouaria.

Gallarea ti euersio.

Visuntur eo in oppido Vetustissimæ Inscriptiones Quales hæ sunt; quæ sequuntur.

H E R C V L I
C V I R M A X
C V M S V I S
V S L M

Item in alio loco.

M E R C V R I O
O P V P V P

Digitized by Google

Ibidem in Turri quadrata.

C POSTVMIO
PRISCO
POSTVMIVS
DROMO
LIBERTO
PIENTISSIMO
IN AGRP XXX
INF PP XX

Votum quoque Seueri Siluano persolutum hæc indicat Inscriptio.

SILVANO
SEVERVS
L F
ADIVTOR
VRBICVS

Bustium arsium. Bustaciũ.

Picta curia.

NOn procul a Gallareato Vicus est Insubrum victoria aduersus Hetruscos celeberrimus. Bustium arsium vulgus appellat, sed verius Bustaccium, quòd ibi Bustahostium compleuerint omnia. Ad dexteram paululum, si deflexeris Meridiem versus Pictæ Curiæ occurres; Corbetam nostrates appellant; Oppidum dubio procul vetustis-

ſtiſſimum, Longobardica ſymmetria conſtructum habens templum. Cuius ruina; quæ facta eſt annis ſuperioribus multas Sanctorum reliquias; quæ ignorabantur; & cum eis memoriolam: in qua mentio habetur, & qui eas reliquias illuc locorum portari curarit, & nominis eius oppidi, quòd in hanc vſq; diem deſiderabatur, aperuit. Has tabulas ſe legiſſe Gaudentius Merula eius metrocomiæ municipes parieti templi Sancti Victoris affixas atteſtatus eſt mihi, In ſilice non admodum polito In latere, quod Occidentem Solem intuetur, eius ædis hos caracteres eſſe idem adfirmat Merula.

Cor beta opp.

Gaudentius Merula.

I O M
S A C R V M
C DOMITIVS
PHOEBVS
E T
P. VINIA CHIA

SEd ad Inſubres, qui Septentrionaliores ſunt, redeo: hos enim qui ad meridiem, & ad ortum iacent in planicie inter Padum, & vrbem, Ticinum, & Abduam labor alter excipiet. Eos enim, & vrbis ſitum Deo fauente proſequar, cum hic primus fuerit liber abſolutus. Remis igitur veliſque [quod aiunt] omnibus ad Colles recurro. A Gallareato alpes verſus miræ amænitatis vallis incipit ad lacum vſque Giuiratum, de quo alibi dicetur: per quam fluuiolus, cui Arno nomen eſt, limpidiſſimis aquis fluit, a dextra, leuaq; (vt ait poeta) Caſtella in tumulis,

Valicula arni flu.

Arnus fl.

Digitized by Google

& geniales vici. Crediderim ipse fluuium hunc ab Hetruscis hic olim dominantibus Arnum ab Arno altero in Thuscis, qui nunc Florentiam interluit propter quendam vicorum ordinem, quibus vterque frequentissimus est, nomem sumpsisse. In ijs collibus Crena est pagus a fontibus per ea scatentibus, quasi Κρηνη Hunc sequitur Oggiona, quasi Eugeona a fertilitate Soli. In hac extincta est Vrsinorum familia. Hieracium deinde visitur, quod ad sacra rustici illuc vocarentur. Illinc Albizatum itur, vel potius Albuciatum ab Albuciorum familia vetustissima. Crenæ Nouelliorum Mediolanensium, quorum meminit Plinus in historia Naturæ, memoriola visitur.

Arnus. Tuscho-rum. Floretia.

Crenapa gus. Oggio-na vicus. Heraciũ opp. Albizatũ Albutia-tum. Nouelij,

I O M
C. NOVELL
LIVS
C F
FALL V
PIVS
VIVIR
IVNIOR
VSLM

Plurima quoque in Albuciato Antiquariorum sunt vestigia.

I O M

Digitized by Google

I O M
MONIVNA
IESVLCANI
IOVANIVS
VSKKM

In calce Eulogij animaduertimus k k Characteres geminatos, qui meo iudicio pluralem numerum signant; & libera munera inde significari.

A Ioanne quoque Alóysio Vicecomite insigni Equite eius oppidi domino proauorum suorum iussu olim a castro Insubrum, quod stadijs fermè abest sexdecim, plurima ex huiusmodi antiquarijs asportata fuisse intellexi. Ibidem. Io: Aloysius Vicecomes

CAMVRIVS
APVLONI
FECIT

Item in templo eiusdem oppidi in Ara maioris Crepidine.

CAVVS
APVLONIF
SIBITMARX
SSVIII[redacted]
[redacted]ALLV
CAVIE

Qua

QVæ tametsi interpretationem non admittant, indicio tamen sunt hanc Regionem aliàs quam nunc, longè floruisse: cum passim reperiantur similibus ornamentis Insculpta marmora. Paulò superius colli imminet Caidatum oppidulum, in quo plura sunt huiusmodi antiquitatis monumenta. Arcem habet in summo colle positam vniuersæ Arni Valliculæ conspicuam. In ea Herculis memoria in Marmore pario sculpta visitur.

Caidatū opp.

HERCVLI
INVICTO
DEO
CVLTORES
VSSLM

ALeua Caidati occidentem versus, quà ad Verbanum lacum itur, Bisnatum oppidulum est, in quo huiusmodi etiam vetustatis monumenta conspiciuntur: In quibus vir miræ: ac propè singularis eruditionis Andreas Alciatus Mediolanensis noster cognomentum Græcum inesse annotauit. Cuiusmodi cognomina apud Insubres passim sunt legentibus obuia.

Bisnatum opp.

Andreas Alciatus

C

C. TERENTIO C F
OVF. PATRI
COMINIAE P. F. MATRI
C. TERENT C F O V F
SILO FRATRI
Q. TERENTIO C F. OVF
FRATRI
C. TERENTIO CL DIO
CHARI EX TESTA
MENTO
SVO
C TERENTIVS C F
FACIVNDVM
CVRAVIT

Abiſ

Digitized by Google

Sexto. Calẽdas opp.

A Bisnato occidentem versus Hiemalem Sexto Calendas oppidum vetustissimum; quo in loco Verbanum Ticinus exonerat; tendenti occurrit. Hic vltimus Insubrum terminus; & descriptionis nostræ; Non.n in animo est populos qui vltra Ticinum sunt; quos Lebecios Polybius; Lebuos. T. Liuius appellat; describere. Porrò oppidum hoc a paganorum illuc concursu; qui fiebat sexto Calendarum cuiuscumq; mensis nomen sumpsisse author est Alciatus. Plurima in eo sunt antiquissima monumentã; quæ libens prætereo: cum quòd ea idem Alciatus diligentissimè annotarit: tum quòd nostri non sit præsentis Instituti singulas locorum Inscriptiones prosequi: hanc tamen ex plurimis eius oppidi adiecimus filij erga patrem charitatis monumentum.

Lebecij. Lebui.

Alciatus.

D O M I T I O
C N. F I L. O V F
P L A C I D O
V I V I R. I V N I O R
C. D O M I T I V S
M O D E S T V S
M I L E S C O H
VII PRAETORIAE
P A T R I
O P T I M O

QVoniam passim in ripa Verbani lacus antiquissima Italorum militum monumenta vsurpantur; cum Inscriptione cohortum, & legionum: visum est quid de re hac sententiam, opinionem meam hìc exponere.

Ante

Digitized by Google

Ante Auguſtum Cæſarem, & Iulium ab Inalpinis populis fiebant ſubitæ excurſiones in Ciſalpinos Gallos; qui iam pro Romanis ſentiebant, accepto Iure latinæ Coloniæ. Ad hos igitur prohibendos diſpoſitæ fuerunt militum ſtationes in ipſis alpium faucibus, qui Barbaros illos qui iam Comum vaſtarant; temerè irruentes exciperent. Itaq; legiones eas eſſe conijcimus, quas. C. Cæſar ad Cuſtodiam illius ſaltus diſpoſuiſſe memorat initio Comentariorum belli Gallici. Sunt etiam qui magis putent has militum ſtationes, & Colonias illic diſpoſitas, ne Inſubres clam contractis fœderibus cum Barbaris proximis in Romanos conſpirarent. Nihil. n. eſt, quod magis firmiùſq; alienæ gentis Imperium faciat; quam cura illa quæ a Romanis olim in deducendis Collonijs impendebatur. Facilius. n. ſuis quàm alienis mandabant. Hanc ob cauſam aiunt Derthonam in Appenninis collibus a Romanis Coloniam eſſe deductam, quæ impedimento eſſet, ne Inſubres cum Liguribus conuenirent. Sic Haſtam, & Hipporrhediam Colonias arbitrantur, quæ conuentum prohiberent inter Salaſſos, & Ciſalpinos Gallos. Hac etiam de cauſa Auguſtam prætoriam, quæ media eſſet inter Salaſſos, & Veragros, & Allobrogas. Hæ ſiquidem gentes Romanos ægrè dominos tolerabant, & ad quodque leue momentum ſumptis armis; & præſidijs trucidatis à Romanis deficiebant. Vnde in Adulationem Romanorum poeta; qui tamen ex noſtratibus erat; dixit.

Derthona.

Haſta. Hipporrhedia.

Auguſta prætoria.

Gallumque rebellem. Quod neq; mirum eſſe debet; videmus enim perſæpe magnos Principes longius egreſſos pleroſque populos occupare; quos metu magis violentiæ, quàm prompta fide ſubiungant: qui ceſſante timore tanquam ab odioſo victore rebellant.

A ſextò Kalendas ad Angleriam breuiſſimus eſt curſus. Quæ tot elaboratiſſima vetuſtatis monumenta demonſtrat; vt merito Alpinarum gentium præfectura poſſit exi-

Angleria

Digitized by Google

ſtimari. Hæc igitur multis argumenta præbuere; vt vrbis titulo eam decorarint; tantaq; inter recentiores hiſtoricos de Angleria orta eſt diſcenſio; vt non defuerint graues alioqui viri; qui oppidi cognomentum ad Anglum, neſcio quem Hectoris filium referant. Hi tamen adulatione magis, vt Principum aures demulcerent; quàm veritate adducti hæc poſteris tradiderunt. Oppidum omnino antiquiſſimum eſt, & clariſſimum: magiſq; ante Turredanorum, & Vicecomitum arma. Dictàmq; crediderim potius Angleriam, quaſi Adglaream Verbani ſitam; non autem ab Anglo; vel ab Anglis populis conditam, vt multi volunt. Hoc ex annalibus noſtris conſtat a Barbarorum Irruptionibus in Italiam prædæ fuiſſe ſæpius expoſitam. Florente Vicecomitum Imperio, maximæ etiam, & celebritatis; & authoritatis fuit. Præſertim cum IOANNES Vicecomes Mediolanenſis Archiepiſcopus totius ferè Ciſalpinæ Galliæ Imperium, & vrbis noſtræ vtriuſq; gladij (vt aiunt) poteſtatem ſuſcepit.

Anglus Hectoris filius.

Adglaream. Verbani.

Io. Vicecomes Archiepiſcopus.

Eo. n. in loco præfectum habuit, qui Alpinis gentibus adſummas vſq; Alpes, nunc Sancti Gothardi vulgò ius diceret. Alterum quoq; quem legatum nuncupabat Archiepiſcopalem: qui eiſdem populis ſacra miniſtraret. Eodem in oppido Ioannes idem arcem eximiam, munitiſſimamque in ameniſſimo colle condidit. Quæ nunc etiam maximam præſefert magnificentiam. Aetate noſtra cum reliqua ferè Verbani regione Borrhomeorum Imperio paret Angleria, quorum clariſſimam originem Alciatus in Antiquitatibus ſuis ſatis oſtendit. Idcircò in his diutius immorari ſuperfluum arbitror. Sed antequam a Verbano pedem referam, non poſſum non eorum ſatis opinioni tum inprimis Gaudentio Merulæ aſſentiri: cum & eiuſdem ſemper fuerim ſententiæ: non eſſe Veriſimile poetarum principem, qui Mediolani literis operam dedit, & cui perſpecta fuerat, & cognita Gallia Ciſalpina Verbanum

Summæ alpes.

Arx Angleriæ

Alciatus

Gaudentius Merula.

Digitized by Google

banum tanta celebritatis lacum silentio Inuoluisse in Georgicis, celebratis cæteris lacubus. Itaq; cum Merula ipse legere soleo. An ne lacus tantos? te Lari? Maxime? tèque. Virgilij locus.

Fluctibus assurgens fremitu Benace marino?

Nonne fuisset turpe Virgilio tam Vastum lacum: quem certatim, & Græci, & Latini scriptores celebrarint, nulla de eo facta mentione prætermisisse? Sed sublatus errore temporum punctus Interrogatiuus, hanc creauit omnibus interpretibus negligentiam. Distinguenda. n. fuerat dictio Lari. hoc puncto? ab illa dictione maxime. Vt poeta tres lacus, non duos tantùm nominauerit. Velut, & Strabo ipse, qui Geographiæ quinto tres ingentes lacus describens, & Verbani, cuius longitudinem quadringentorum stadiorum esse scribit, meminit. Larium autem tercenta stadia non excedere. Nec verisimile est Virgilium huius regionis alumnum id ignorasse, quod Græci exteri intellexere: præsertim Strabo qui eadem cum poeta nostro ætate floruit, & in eadem Imperatoris aula. Idcircò, vt Facilè existimem hæc faciunt poetarum eximium haud dubiè maximum pro Verbano expressisse. Verban⁹. Larius. Lac⁹ Maxim⁹ nũc maior.

Quod quidem epitheton nullo modo Lario conuenit, cum de Benaco fiat mentio: Cuius longitudo (vt idem Strabo refert) Quingentorum extat stadiorum. Nisi potius dixeris Virgilium Polybij errorem sequutum, qui ait Ticinum a Lario, & a Verbano Abduam erumpere. Sed hac in re magis Vatem Cisalpinæ Galliæ consuetudinem loquendi sequutum arbitror, quàm vulgatum Polybij errorem: cum dixerit sceleratum frigus, & Maximum pro Verbano: Idiomate nostro Gallico Maiorem Lacum, Verbanum vocamus: Qui verè maior est ijs lacubus, qui adiacent plurimi. Nunc vnde nostra digressa est se recipit oratio. E regione Castri Insubrum vltra Oronam, quem fluuium esse diximus, duo Castella Nouocomum Benacus. Polybij error. Quare la c⁹ maior. Venegona Castella duo.

Veneris Agonalia.

euntibus occurunt; Venegona vulgo appellata Castillioneorum ditionis, quæ superioris, & inferioris ex loci situ cognomento tantùm differunt. His in vicis olim Veneris Agonalia, vnde illis nomen est per contractionem litterarum celebrata fuisse nominis cognatio non leue præstat argumentum. Loca amæniſſima Veneri, vel gratijs: aut Nymphis cæca gentilitas consecrabat. His. n. in locis accliuis adeo naturæ vultus arridet, vt de ijs Virgilianum illud meritò cantari possit.

Hic ver perpetuum.

Lauris. n. colles ita abundant: vt eos nullo negocio possis dicere cum Parnaso contendere super illarum viridantissima copia. Præterea tractus ipse sic beatissimo omni pomorum genere; Vt totus pomarium videri possit, & Pomonam ipsam illic habitare. Tanta deniq; aquarum vis, tot liquidi fontes scatent in regione alioqui arida, & siticulosa, vt non sine causa in agonalibus Veneri celebrandis Gentiles huiusmodi loca selegerint. Castellis ipsis ab Orientali plaga vallicula inhæret, molliter descendens varijs floribus etiam per brumam virens. Hìc ortam Venerem diceres, si myrtum ferret regio. Per eam vallem passim fistulæ miræ crassitudinis effodiuntur: per quas (vt etiam Alciatus arbitratur) collectam vndique aquarum influentiam veteres ex Agonalibus deriuarent ad oppidum Tradatis. Inter vtrunque Castellum, & adhuc Prata toto fermè anno virentia Adonidis nomen seruant. Vniuersum hunc tractum carmine elegantissimo celebrauit Baptista Castillioneus Iurisconsultus ex dominis oppidi superioris Agonalium.

Alciatus

Adonidis prata.

Baptista Castillioneus Iurisconsultus.

Haud longè a pratis ipsis Quintieni cuiusdam memoria extat Marmoreo in saxo apud ædiculam sacram literis insculpta politissimis, ex quibus cognoscitur Quintienus hic Quintianus Phani fortunæ ædituus.

Digitized by Google

Q
QVIN
TIENI
QVINTIA
NI
HARVSPICIS
AEDITVI
TEMPLI
FORTV
NAE
FILII PATRI
PIISSIMO

TRadatæ, cuius modo mentionem fecimus oppidum est, in quo floret Pusterularum familia Mediolanensis hac ætate etiam percelebris. Porrò oppidum ipsum amæniſſimum colli adhæret amæniori, ab Agonalibus meridiem versus. Quòd verò aquæ, de quibus diximus, in vnum collectæ per subterraneos tubulos inde educerentur, fidem facit Arca Marmorea in oppido ipso. In cuius capite duo Delphines fuscina, qua Pisces occidi solent; Impliciti, sunt sculpti. Quatuor præterea orbes eodem in Marmore conspiciuntur: ex quibus testimonio Bernardi Zenalij Architectonices peritiſſimi noster Alciatus existimat aquas ab Agonalibus, vel aliundè labentes per Cuniculos ex orbibus insilientes copiam earum indigenti populo subministrasse. Eodem præterea in oppido Parij elegans

Tradatæ.

Pusterularum familia.

Bernardus zenalius architectus Alciatus.

Digitized by Google

gans memoriola visitur ijs notis pario in Marmore insculpta.

VOTIS
OMNIBVS
COELESTI
BVS
CONSENTI
ENTI
BVS
BENEMEREN
TIBVS
QVE
L. PARIVS
HERMES

Castilionum opp.

HInc stadijs duobus de viginti Septentrionem versus in vallicula fluminis Oronæ situm est Castillionum oppidum. Quod tametsi in valle sit conditum subiectæ tamen planitiei virenti amœnitate fruitur. Cuius loci formam, qui intuentur, in Theatro esse se arbitrantur. Per

Orona fl.

prata virentia Orona velut licentiore cursu fluens, collis, in quo arx oppidana imminet, radices radit, a leua oppidi partem alluit, familiæ nostræ Castillioneæ sedis vetustissimæ, si vrbis annalibus credendum est. Habuimus

Theald. Castillioneus Archiep. Mediol.

quingentis ferè exactis annis Thealdum Mediolanensem Pontificem hoc ex oppido, & eadem familia natum. Hic

Alona opp.

Cœnobium Monachorum in Alona oppido, quod Gaudentius Morula Aronam, quasi Oronam vocat a monti-

bus

bus deflexo nomine trans verbanum è regione Angleriæ ſuis ſumptibus ædificauit: Quo in loco & tumulari ſe voluit, oppidanæ magnificentiæ teſtes ſunt inſanæ illæ ædium ſubſtructiones. Quæ omnino loci dignitatem excederent niſi eſſent Epiſcoporum, Cardinalium, Summorumq; Pontificum, quibus noſtra familia longè ſplendidiſſima eſt ſtructuræ, Templa quoque videre eſt artificum concinnitate perſpicua. Non ſunt auſtera Longobardorum ruditate ſtructa: nec nouitatis Lenocinio minus venerabilia: medium quoddam temperamentum tenent. Cernere quoque ibi fuerat arcem Architecti diligentis ingenium præſeferentem. Ea nunc vicinorum liuore: vel magis iniquo eius fato ſemidiruta eſt. Quam quidem calamitatem tam & ſi oppidum Ipſum ſubierit: Et vt inquit poeta Gallicus in ſecundo ſuæ diuinæ Aeneidos. Caſtillionum dirutum.

Quaq; ipſe miſerrima vidi.
Et quorum pars vna fui.

Non ad id tamen infelicitatis acceſſit, vt omnem maieſtatē priſtinā exuerit: Floret adhuc cū monumentis vetuſtiſimis, tum mira ingeniorum vbertate. Ex monumentis duo tantùm affigemus hic adamuſſim effigiata. Ingenia quoniam de ijs iudicant Inſubres, prorſus tacebo, ne in noſtratibus diligens nimis, foris autem negligens videar. Turpiſſimum ſiquidem ſemper fore duxi adagio illo tritiſſimo quo aiunt, Aſinos mutuum ſcabere, meritò inuri. Aſini mutuum ſcabunt.

In Aedibus Nicolai Caſtillionei, cognomento Romani, Marmor aſpicitur, manu & ingenio diligentiſſimi artificis cum ijs Caracteribus elaboratum. Nicolaꝰ Caſtillioneus Cognomēto Romanꝰ.

Digitized by Google

V F
PETRONIVS GE
MELLVS VIVIR
SIBI ET VIRIAE
LF LVCILLAE
VXORI
C. PETRONIVS PRI
MIGEN PATRI
SAMONIAE CFLV
TVLLAE MATRI
PETRONIO MARTI
AL FRATRI ET SVIS

Digitized by Google

AB vtroq; candidiſſimi Marmoris latere: Duæ Vites nullis commendatæ arboribus, inſurgunt, Quarum Pampinis diuerſi generis Auiculæ inſidentes: mirum Artificis Marmorarij diligentia, Vuarum acinos decerpunt. Litterarum præterea Caracteribus ita adamuſſim accentus obſeruati ſunt: vt Petronius ipſe omnino nonniſi vir Splendidus olim exiſtimatus fuerit. Qui viuens tam accuratiſſimam ſui, & ſuorum memoriam reliquerit. Petroniꝰ

Summa quoq; animi voluptate nobis ſe L. Victulienus obtulit, qui memoriam adducit alterius Nicolai Caſtillionei Iuris conſultiſſimi, quem meritò cum propter neceſſitudinem, quæ inter nos eſt: tum ob ſingularem morum & eruditionis candorem, & Amo, & mirificè obſeruo: In eius igitur ædibus hanc memoriam inſpexi. L. Victulienus. Nicolaus Caſtillioneꝰ iuriſ peritus.

L V I C T V
L I E N V S
V I C T O R I
N V S
V I S V
M O N I T V S

IN dextra lapidis elaboratiſſimi Aquila viſitur trunco inſidens. Quæ in roſtro auis pennam tenet: ad Leuam altera Aquila ſphæræ ſupereminet ſerpentem mordicus tenens. Quid ſuper hac ſculptura conſultus Andreas Alciatus Gaudentio Merulæ reſcripſerit, accipe; Quòd petis (inquit) a me Hieroglypha illa tibi explicem, quæ a Nicolao Caſtellioneo accepiſti, vix auſim ego quicquam ſcribere: ne quod dicitur, noctuas Athenas. Adde quod ſi pictum ad me Marmor ipſum miſiſſes, facilius aliquid Alciati Epiſtola ad Merulam.

Digitized by Google

certi possem commentari. Scis enim quantum referat suspectum certe mihi est nomen illud Vicullieni, & forte adeo abrosum est marmor, vt non possit intelligi. Rectè itaque feceris, si tu ipse in rem præsentem eas adhibito pictore, mittasque ad me Iconem. Interim ne nihil respondeam apud Homerum Iliados XII. Polidamas Aquilam Anguem ferentem significare ait rem infeliciter ceptam, & ex præscripto minus succedentem. Habes hac de re longum poetæ carmen. At Artemidorus libro θυροκριτικων II. Aquilam Indicium mortis esse Virorum illustrium ait, quod veterum moris fuerit, vt insignes viros mortuos, & Immortalitatem adeptos depingerent ab aquila vehi. Sed de hac re hactenus. Idem Alciatus Castillionum putat olim Castrum Stiliconis extitisse, a quo, & familia per longa temporum interualla originem traxerit. Cuius quidem familiæ domum, quæ ab Atila multos ante annos cum vrbe ipsa Mediolani direpta, & solo æquata reparauit Anspertus Mediolanensis antistes. Hanc rem satis ostendit Marmorea tabula ad sinistram oranti ad altare Maius in templo Diui Ambrosij in vrbe: In qua carmine, musis [vt inquit ille] & Apolline nullo, & Stiliconis, & domus memoria legitur.

Homer⁹ Aquila anguẽ ferens quid significet Artemidorus.

Alciatus. Castrum Stilliconis.

Atila.

Anspert⁹ ꝑsul mediol.

Rursus a Castilliono vltra Oronam procedenti ad occidentem solem recta in cliuo velut in specula totus Giuiratius lacus, quasi (vt opinor) Glareatus oculis subijcitur: mox Morasentium vicus occurrit, Familiæ Sentiorum longæ celeberrimæ æternum ferè monumentum, in Sacra Aedicula duo saxa Ingentia; Quadratissimaq; & litteris semicubitalibus exculpta visuntur. Horum, qui Insculpti sunt, Characteres, tantò libentius hic adduco, quanto mihi videar Familiam inter Insubres insignem hoc meo labore ab obliuione vindicare.

Giuiratius lac⁹. Morasentiũ vicus. Sentiorũ familia.

L.

Digitized by Google

L. SENTIVS
L. F.
OVF. NIGER
SIGNIF. LE
GIO. IIII
SCYTICAE
HIC NATVS
HIC SITVS
EST

Eiuſdem Magnitudinis Lapis alter Marmoreus Fratris memoriam continet; In quo & Legionis quartæ; quæ Scythicis gentibus oppoſita fuerat; mentio non Ingrata legitur.

Legio. IIII. Scythicis gẽtibus oppoſita.

M. SENTIVS
L.F. OVF.
MACER
VETERA
NVS LEGIO
NIS IIII
SCYTICAE
SIBI ET
FRATRI
V F

Sentiorũ familia.

QVòd Sentij, quorum meminit Cor. Tacitus; Insubres extiterint: etiam declarat Lapis ille, in Aedicula Diui Petri ad vineam Mediolani. Cuius inscriptionem non grauarer huc adducere, ni vererer ligna (quod aiunt) in Syluam ferre: vtpotè in antiquarijs Alciati adnotatam.

In eodem phano Morasentiorum in pariete marmoreo in lapide, fractoque litteræ visuntur alias fortasse Sentij, memoriam continentes. Coniecturam facit verisimilem mentio legionis Quartæ, in qua Sentij militabant. Et quanquam imperfecta sit, & iniurias ætatis passa grauissimas, eam tamen memoriolam hìc annectam.

VETERANI
LEGI [redacted]
IO. VI
VSSLM

Sanè

Digitized by Google

SAnè nobis arbitrari licet propter Sentiorum militiam pro Rep. vel ſub Imperatoribus ægregiè abſolutam, poſt multa pericula exanclatoſque foris labores tandem domi in patria otium cum honeſtate, & gloria ijs fuiſſe conceſſum. Eodem in tractu Verbanum verſus a Morasentio vico Miliario fermè tertio Actiatum eſt familiæ Boſſiorum oppidum ſanè antiquiſſimum, eminentibus in Collibus conſtructum, lacumque Glareatum ad ſeptentrionem ſpectans. Quòd quidem Actiacum appellare non dubitarem, niſi vererer ad ſeueros huius ætatis grammaticos, velut ad Amphictiones hiſtoricorum ordinem cauſa mea trahi. Hoc enim tempore vſus inoleuit, vt ſtatim quod non habetur a Coſmographis, vel hiſtoricis, tanquam nullæ prorſus deſiderentur Hiſtoriæ, vel quod omnia Coſmographi diligentiſſimè obſeruarint, repudietur. Obganiant igitur quicquid velint noſtri temporis Ariſtarchi, quod ipſe ſentiam ingenuè ſemper fatebor. Arbitror ergo oppidum ego iſtud vel a Græcis, quos in Coloniam. C. Cæſar deſcriptos miſit: quos cum regionis eius propter aeris inamænitatem tederet: In apriciores Inſubrum Colles relicta Colonia ſe recepere, eſſe conditum: denominatumq; ab Actio Epiri promontorio, vel potius ab Inſubribus in gratiam Auguſti, ob Victoriam contra. M. Antonium, cui erant hoſtes Infenſiſſimi, vt legere eſt in tertia, quarta, & quinta Philippica apud Ciceronem, & Cleopatram ad ipſum promontorium, de quo diximus Epiri. Idcircò Populi, vt fauorem Imperatorum facilius aſſequerentur Vicos alij, alij Aras, ludos, Trophæa, & huiuſmodi aſſentationum genera certatim ædificabant, erigebant, vouebant. Vnde Maximus Vates.

Actiatũ opp.

Amphictiones.

Græcorũ Coloni.

Nouocomenſes.

Actiũ Epiri promõtoriũ.

Auguſtꝰ Cæſar.

Virgilius

Actiaque illiacis celebramus littora ludis.

Et Horatius.

Horatius

Iurandaſq; tuum per numen ponimus aras.

In

Nicea vrbs. Trophea Augusti. Villa franca.

In Liguſtico item littore non procul a Nicea vrbe vicus eſt, oppidum olim florentiſſimum, quem Trophæa Auguſti veteres nominabant, nunc audio ab ijs Liguribus Villam Francam vocari. In Inſubribus item (vt infra dicemus) Cæſaris Ara fuerat. Nulla igitur aliquem detineat admiratio, ſi oppidum iſtud Actiacum nominauimus nullum ſequuti authorem; ſed ſolam coniecturam. Id autem fecimus, cum ob ſitus, tum ob nominis ſimilitudinem. Imminet.n. Glareato lacui, quem Giuiratum diximus appellari, velut Actium Epiri Ambracio mari, quod noſtra ætate Larte nuncupant. Fuerit igitur vel a Græcis in Coloniam deductis a Cæſare Nouocomum a Rhetis vaſtatum: ſiue ab Inſubribus in apertam erga Cæſarem Auguſtum adulationem conditum oppidum eſt hac noſtra commemoratione digniſſimum. Gaudentij quoq; Merulæ ſequor opinionem, qui in antiquitatibus ſuis Ciſalpinæ Galliæ montem Robium inter Brianteos colles, quos melius Briganteos diceremus vini, & copia, & præſtantia celebrem; Orobiorum non Robium plurimis argumentis, quæ recenſendi non eſt locus dici debere, exiſtimat. Multa ipſe prætereo oppidorum nomina planè græcanica inter Inſubres, hac tantùm de cauſa, quod in ijs Andreas Alciatus fuit pluſquam oculatiſſimus. Poſſem ſi hiſtoriam vel Coſmographiam abſolutam ſcriberem ſuper hac re centenas [ſi tamen ocium mihi ſcribendi concederetur] inſcriptiones adducere: in quibus nomina ſunt pelaſga: Qualis eſt illa, quam Lomacij haud longè a Nouocomo nuper repertam in Marmore Pario Vidimus,

Ambracium Mare Larte.

Gauden. Merula. Mõs Robius. Colles Briantei

Alciatus vir pluſquam oculatiſſimus.

Lomatiũ.

M A-

MATRONVS IESIXTIVS AGATHON

VOtum (vt suspicor) Veneri, & Iunoni exsolutum. Crathera Insculpta cum Vrceolo, è regione vtriusq; sacrificium notat. Hunc porrò Iesixtium non absurdum esset arbitrari vnum ex Colonis, quos D. Cæsar Nouocomum misit. Credibile item Actiacum maioris cum amplitudinis, tum dignitatis, quàm nunc sit, oppidum extitisse. Huius rei facili argumento est Buguciacum illinc non procul pagus: ac si Barbarè diceres Burgum Actiaci: paulò q; inferius in lacus eiusdem margine Cactiacum iacet villula, & ipsa satis exigua: ac si dixeris Castrum Actiaci. Non possum aliquando non plurimum admirari, cum plures Bossiæ familiæ, quæ adhuc hac in Vrbe florens est; eruditiores viros, & qui satis diligenter nostræ vrbis annales conscripserunt, & circumadiacentium populorum (de ijs maximè loquimur; quæ ad eius familiæ honorem, gloriamq; pertinebant) origines, & nomenclaturas non obseruasse. In Castro Actiaci plurima antiquitatis monumenta satis Insignia visuntur. Sed pleraq; in Cementum, & calcem soluta: Accolarum quoq; Ignauia a viatoribus obtrita interpretationem non admittunt. Quorum primus est Tauius, nescio quis loci illius accolæ Tauium pro Octauio pronunciant, vt pleraque alia nomina, T. Auium magis legerem. Et quicunque is Tauius fuit, & ab imperitis male habitus, cæteris tamen annectetur.

Bugucia cũ pag⁹.

Cactiacũ villula.

Bossiorũ familia.

Tauius. Octauio.

TA-

Digitized by Google



AB oppido Actiaco ad Giuirati Lacus initium quindecim tantùm ſtadia intercedunt. In lacus ortu Cælebre Monaſterium viſitur: Quod a loci ſitu caput lacus amœniſſimo in colle aquis vndique ſcaturientibus Vniuerſæ circum regioni imminens; cognomentum ſeruat. Sunt, qui dicant Templum cum cœnobio a viro eius regionis primario, Regibuſq; Longobardorum Chariſſimo conditum fuiſſe: Cui Cœnobio nunc præeſt Hermes Stampa Apoſtolicus Prothonotarius Cæſareus Senator litteris, ac ſingulari humanitate præditus.

Hermes Stampa.

AD leuam lacus Glareati; cuius longitudo ſtadia LX. non excedit. occidentem ad hyemalem duo lacus minoris quidem longitudinis, & latitudinis Glareato adhærent, in quem etiam ſe exonerant a diuerſis quidem pagis circumiacentibus nomina ſortiti: ab inſignioribus tamen, Anterior Monacij, ſeu Monecij, poſterior Ternati vel Terlacus; & Marchalli oppidorum ſeruant nomina. In lacuum ambitu & Collium verticibus tot ſunt ruinarum Moles ingentes; quot alibi videre licuerit mihi. Hoc etiam in tractu Gallorum Inſubrum robur ad militiam expeditiſſimum fuiſſe frequentia diſiectorum oppidorum veſtigia facilè arguunt. Idem præterea notant, quæ ſuperſunt oppidorum nomenclaturæ: Veluti Marchallum, quæ quidem

Lacus Monacij Lacus Ternati.

Digitized by Google

dem dictio Celticam magis, quam Latinam vocem ſonat. Marcham etenim celtæ equum dicunt: vnde & Marcare hoc eſt equitare. Tametſi doctiſſimus Vadianus Heluetius in Commentarijs ſuis in Melam Mark germanicam dictionem, quæ limitem exprimat, eſſe contendat: Vnde & Marchiones limitaneos duces, vel limitum cuſtodes, & defenſores dictos arbitratur. A Marchallo haud longè abeſt Dauerij vicus haud ignobilis. E regione Dauerij occidentem verſus collis in altum extollitur, ita ſenſim in acutum tendens, vt obeliſci magis, quam collis effigiem præſtet intuentibus. In cuius vertice olim turris fuit altiſſima: Cuius etiam nunc veſtigia, & quidem ingentia viſuntur. Turderiam vulgo collem ipſum nuncupant: Veriſimilius tamen Turrim aerem olim fuiſſe appellatam exiſtimamus. Eo quoq; in tractu verſus Ticinum Cimbrorum eſt vicus olim, vt arbitror, celeberrimus: nunc verò Colonis ſemiuacuus neglectui eſt. Cuius tam manifeſta cognatione nominis arbitramur poſt inſignem illam. C. Marij, & Catuli de Cimbris in agro Nouarienſi; (ibi ſiquidem & victoriæ, & conflictus typi ſunt Candium, & Caſtra Mariana oppida intra Ticinum, & Seſitem flumina: adhuc celeberrima) patratam cædem, eorum reliquias ad Inſubres, qui nondum pacato erant in Romanos animo ſe recepiſſe, & ab illis per id locorum ſedes fuiſſe conceſſas, facilè crediderim. An magis eſt veriſimile Cimbros illos in Inſubres nomini Romano hoſtes infenſiſſimos: vt ibi ſedes firmarent, & ſe mutuis cædibus conficerent, immiſſos eſſe? vt huiuſmodi Barbarorum colluuies aduerſus Inſubrum conatus ipſis veluti propugnaculo eſſet. Traductionis facilitas, loci opportunitas, rei quam ſucceſſuram Romani arbitrabantur vtilitas, nomẽ denique pagi eius non procul a Ticino flumine facile arguunt, atq; etiam mentecapto perſuadent Cimbrorum captiuorum ſex Myriadas, quas ſeruatas a Romanis in vita. C. Marij Plutarchus refert,

Marchallum opp.
Marchare.
Vadianus Heluetius.
Mark.
Marchiones.
Dauerij vicus.
Turderiæ collis.
Cimbrorũ vicus.
Cimbri
Cãdium.
Caſtra mariana.
Ticinus.
Seſites.
Cimbrorum.

Cantuorum. Sex myriades. Plutarchus in Marij vita. his in locis Romanis concedentibus desedisse. Credere .n. debemus victis loca ad habitandum fuisse permissa, quibus victores vitam, quam Iure belli poterant extinguere, condonarint. Sed postquam de Cimbris mentionem fecimus (tametsi Instituti non sit nostri: limites Insubrum transgredi) libet tamen referre paulò vltra Cimbrum Angleriam esse diximus: ab eoque oppido ad occiduam partem altius ad. XV. milia passuum Thosam fluuium in

Thosia fl. Verbanum influere. Amnis hic haud dubie olim Athisi

Athiso. dictus est. Cuius ripas Catulum. C. Marij Collegam vallo, & fossa muniuisse legimus, vt Cimbros & Theutonas a transitu Alpium prohiberet, quos ab earum saltu

Theutones. arcere non poterat. Recentiores male græcum Plutarchi codicem sunt interpretati: dum pro Athisone Athesim fluuium, qui Veronam præterfluit posuere, Titi Liuij errorem sequuti, qui celebritatem Gallicam pertesus, & Venetæ gloriæ studiosissimus Athesim pro Athisone scripsit, quodillud Veronensis, hoc Nouarienſis flumen esset agri. Constat siquidem inter Authores omnes [illum vnum semper excipio] flumen illud, apud quem superatis alpibus Cimbri consedere duorum tantùm dierum itinere ab eo loco, in quo superati sunt Cimbri a Vercellis distare. C. n. Marius castrametatus fuerat citra Sesitem, non procul a Vercellarum vrbe, in agro tamen

T. Liuij error. Athisi flum. Agri Nouarien. Camarianum. Castra Mariana. Candia. Lacmellinus. tractus. Nouarienſi, quem locum accolæ Camarianum vocant, peritiores Castra Mariana. Porrò Candius ager nunc Candia dicitur Lacmellini tractus oppidum non longè a Pado. Huic nostræ opinioni calculum adijcit Eusebius Cronographus diligentissimus, qui Cimbros attestatur a Romanis profligatos, non procul ab vrbe Vercellarum, & Pado. Verum cum castra Mariana, licet agri sint Nouarienſis, proximè tamen sunt Vercellas quàm Nouariam. Idcirco falso hæc in Vercellensi agro gesta produnt ab authoribus, qui hæc interstitia prorsus ignorabant:

huius-

Digitized by Google

huiuſmodiq; Victoriæ nomina ſemper ſumunt a locis proximioribus. Porrò Atheſim ſex dierum ſpatio, cuiuſcunque etiam exercitui expeditiſſimo diſtare ab illis alpibus, per quas Cimbri tranſiuere, nemo eſt, qui ambigat. Thoſa igitur fluuius, ſeu Athiſo a ſummis alpibus, a quibus, & Ticinus ortum ducit, effluit: non tamen eodem, vt Ticinus in Auſtrum, curſu, ſed hiemalem in Orientem, primò per Antigoriam vallem preces ruit, mox in vernalem Orientis plagam conuerſus ad Creolæ pontem, ita Inalpini populi illi nominant, fluuio veteri immiſcetur, hinc mox dilapſus Oſcellam oppidum quæ, & Domoſſula vocatur, quaſi Domus oſcellana, deinde præcipiti curſu Vogoniam alluit. Cuius incolas miræ eruditionis vir, & diligentiæ, Aegidius Tſchudius in libello, quem edidit de antiqua Rhetia Agones nuncupat. Vniuerſam igitur vallem duo flumina iuncta in verbanum ſimul influunt. Fluuius porrò, quem ad Creolæ pontem Thoſæ diximus admiſceri, a valle per quam curſus eſt illi, veteris nomen ſumpſit: ab ijs Alpibus incipiens, quibus recta itur in Sedunos. Quas quidem Alpes eas eſſe crediderim, de quibus tertij commentariorum libri initio Cæſar meminit: quas quoniam magno cum periculo, magniſque portorijs mercatores adire conſueuerant, patefieri voluit. Quo quidem itinere ijdem memoria noſtra vtebantur, dum Nundinæ quæ nunc Lugduni habentur, Geneuæ exercerentur. Breuiori etenim itinere, minoribus quæq; impenſis è Gallia per eum tranſitum in Italiam Lemano, & Verbano Lacubus, demum per Ticinum, & Padum apportabantur merces, hæ alpes tranſalpinorum lingua Seduna videlicet, quam Tſchudius celticam arbitratur Graij vocitantur. In Ptholomæi annotationibus ex recentioribus ſunt qui vocem hanc gratas, hoc eſt, faciles interpretentur. Quæ res effecit, vt non defuerint qui Alpes ipſas, eas eſſe exiſtimarint, quas priſci Graias appel-

Atheſis flum.
Thoſa fl.
Ticinus.
Antigoria vallis
Pōs Creolæ.
Oſcella opp.
Domoſſula.
Vogonia
Aegidius Tſchudi
Agones
opp.
Vetus fl.
Seduni.
Lugdunum.
Geneua.
Lemanus
Verbanus
Grai alpes.

larint quod omnino falsum est. Alpes. n. Graiæ sunt iuxta Tarantasiam Centronum metropolim ad Vallem Augustæ prætoriæ: porrò inter Alpes Graias, vbi Tarantasia est, & vallem oscellæ quà ad montem Sempronij in Sedunos itur, plurima regio intercipitur. Itali materno ferè idiomate Sempioni, eruditiores montem Sempronij appellant. Pleriq; & quidem docti (nomina eorum honoris gratia subticeo) falso ex commentariorum verbis arbitrati sunt Alpes summas hoc in loco esse. Sed de hac re plura, redeo in veterem Vallem in qua propter itineris angustias, plurima ex parte mons operariorum manu incisus visitur, maximum omnino Cæsarianæ munificentiæ testimonium nisi in montis excisi fornice insculptæ saxo litteræ notis quidem græcis, sed quæ tamen in hanc vsq; diem intelligi nequeant, Gallorum (vtreor) vel Germanorum opus esse indicarent. Quicquid ibi contineatur, quin inspicientibus non sit obuium, Barbarum arbitror: Fortasseq; Burgundiorum idiomate confectum. Hi siquidem populi, quos Buguntas (vt existimo) appellat Ptolomeus olim ad Vistulam vsq; fluuium Germani incolebant hosq; postera ætas Burgundos vocauit. Qui paulò post primam Gothorum in Gallias eruptionem, Sequanorum prouinciam occuparunt, cuius metropolis est Besuntium, ab antiquioribus Vesuntium nuncupatum. Cum verò gentes Burgundionum bellaces in Italiam ad bella vocarentur, Gothis a præsertim contra Mediolanensium vires rebelles, qui Bellisario adhæserant: a quibus tandem post longam difficilemq; obsidionem vrbs ipsa ferro, fame, flamma vastata est. Haud dubiè in Italiam conuolantibus eorum iter expeditius fuit a Besuntio per vallem, quam dubis fluuius alluit, in Ararim se exonerans: mox in Antuates populos, quorum meminit Cæsar, vulgo Pays de vuaut, deinde traiecto Lemano lacu, vel Rodano flumine, per Veragros & Sedunos, superatis Alpibus, quas

Mons Sempronij.

Error de summis alpibus. Val. vet. Mons incisus in valle veteri.

Besuntiũ vrbs.

Sequanorum Gothi.

Mediolanuersio.

Besuntiũ Sequanorum.

Dubis fl.

Araris fl.

Antuates Pays de Vvaut,

Sem-

Sempronij esse diximus, vulgo Mont Sempion, per vallem veterem, vbi mons excisus visitur, nouissimè in Vallem Domossulæ descendisse crediderim. Traiecto postmodum Verbano in Insubres irrupisse per Lauenum; qui portus est, Verbani celeberrimos.

Neq; lectorem locus hic moueat quòd Antuates ad latus Lemmani Lacus pro Pays de vuaut, iuxta Cæsaris sententiam locauerimus. Et quòd idem Cæsar libro quarto Rheni fontem describens, per fines Nantuatum primò fluuium ipsum ferri asserat, qua è re Cæsaris descriptio integra esse non posset: Populos videlicet eosdem ad Rheni ortum, & ad Lemmanum Lacum pertinere, locis haud dubiò trium dierum itineris spatio inter se distantibus; animaduertat igitur prudens lector Cæsarem in nullo sibi non constare: idcirco in quarto commentariorum non Antuatium: sed Aetuatium ipse potius legerem. Populi etenim ipsi teste Strabone libro IIII. ortum Rheni incolunt, cuius verba subijciam. Rhæno autem vicina omnium primi colunt Aetuatij. Quibus fluminis origo vicina est in Diaduella monte, quem alij adulam vocant. Hunc locum dominus Aegidius Tschudius Heluetius diligentissime annotauit. Populos eos qui anteriorem Rheni fontem habitant. (habet enim Rhenus duos fontes diuersos, & vterque Rhenus appellatur) etiamnum Tuitscher vel Tuerascha nuncupar corruptè vt (ipse existimat) Aetuatiorum vocabulo. Decimo a Laueno lapide versus vrbem Besutium occurrit oppidum in apricissimo colle; Vnde Besutiorum nobilis Familia traxit originem. Eo in oppido vetustissima Imperatorum, & Regum priuilegia leguntur. Et quoniam euersa a Gothis Mediolanensis vrbe lectum est apud idoneos authores octo millia mulierum Mediolanensium dono a Gothis Burgundionibus datas, non absurdum esset existimare cum Sarcinarum onore, tum mulierum lachrymis, & precibus delinitos in illo amoeniſſimo

Aetuates

Diaduella mons. Adula mons.

Besutium opp. Besutiorum familia. Mediolani euersio. Burgundiones.

Digitized by Google

nissimo tractu Burgundiones substitisse: aut eorum saltem partem ibi sedes firmasse. Oppidumq; ipsum ab eorum metropoli Besuntio, Besuntium nominasse. Cæterum cum. N. illud ante vulgi auribus nimis intonaret, paulatim ea subducta littera dixere Besutium. Sed a diuerticulo (quòd aiunt) repetatur fabula. Siqui sunt qui minus credant gentes istas Græcis Characteribus non vsas fuisse, conferant se ad Commentaria Cæsaris libro Primo, & ibi aspicient Tabulas in Castris Heluetiorum repertas notis græcanicis scriptas; quos tamen constabat idiomate Græco non locutos; sed quo & hodie vtuntur Celtico, alioqui Caio Cæsari, qui græcam æquè vt latinam linguam nouerat, cum Heluetijs, & Germanis opus interprete non fuisset. Hæc obiter diximus, in Athisonis seu Thosæ præter spem, mentionem incidentes: Nunc (vt dicitur) ad pensum redeo. In Agro Dauetij antiquissima marmora non desiderantur, quæ facilè arguunt eius pagi vetustam nobilitatem qualia sunt, quæ sequuntur, duo ista,

MERCVRIO
VSLM
ANTONIVS
MAXIMVS

Eodem in oppido ante fores Templi in lapide duas in partes fracto in prima legere est.

V F
SEX
ATILIVS
SILENVS

Daue-

Digitized by Google

DAuerio vico Ternatus viculus ſuccedit, qui ſuperiori lacunculo nomen indidit: cui collis Diuo Iacobo dicatus imminet: habens in vertice caſtri diruti veſtigia. Mirum eſt videre eas Turrium, & mænium diſiectis moles: quæ vel ſtulto poſſunt arguere, quanta fuerit caſtri eius authoritas. Ab eo montis cacumine breui ſpatio tres lacus oculis ſubijciuntur Glareatus, Ternatius, qui oppido nomen indidit, & Monatius. Ternatum porrò dictum arbitrarer a terna natatione, vel vt quibuſdam placet, quaſi Trilacum hoc in oppido alterius Atilij tumulus inſpicitur. Ternatus vicus. Trilacus.

APud Dauerium, Veriorum ſedem vel domum, quam plures familias nobiliores olim habitaſſe, quæ penitus interierint, credibile eſt. Veriorum cognomento, ex Pagi nomine tantum retento, Argumento ſunt ſitus amœniſſimus & perſpicuus: tum & antiquorum monumentorum Spiræ, & epiſtylia quamplurima: adſunt præterea inſcriptiones ex quibus duas tantum annotauimus, Antonium maximum & Sex. Atilium: Huic & alterum. C. Atilium annectere libuit, vt ſimul opera noſtra (ſi quid tamen mea carmina poſſunt) viuerent, cum Accolarum incuria pedibus penè obtritæ, ac breui omnino perituræ eſſent memoriolæ. Veriorū familia.

CATILIVS LEPOLLIO

DE Monaco, ſeu Monetio vico, qui vlteriori Lacui cognomen dedit, nihil eſt, quod referam, præterquam quòd eius nominis oppidum inter Iapides populos, cuius accollas Gallico more armari Strabo meminit. Nos Lacum ipſum, cum oppido a Mona Sanctiſſimo Mediolanenſium Monatis vicus. Monas Epus Mediolan.

nensium Præsule, nomen traxisse existimamus: qui primus in Vrbe nostra CHRISTO HVMANI GENERIS REDEMPTORI (vt in annalibus vetustissimis, quæ apud me sunt, legere est) Templum erexit: idemq; Apostolis alterum in Monato, quod quidem ac etiam tempestate Sacerdotum Collegio decoratum videmus. Floruit Monas post Virgineum partum annum circa Octuagesimum post Centesimum. A duobus Lacubus, & Cimbris recta in vrbem tendentibus in colliculorum velut faucibus obijcitur Cloniola villula olim Colonia absq; dubio eò loci a Romanis deducta. Cum enim. M. Claudio & C. Cornelio Cos. in Ro. ditionem a multis illatis, acceptisq; cladibus vi tandem Mediolanum deuenisset: Reliquumq; Gallorum Insubrum. Qui ne seruitutem subirent, exilium potius honestissimum sibi elegere, robur in proximas alpes se recepisset: huic nonnulla loca in montibus Romanos concessisse Polybius refert, quod ne Irruptionem molirentur Colonioiam hanc fuisse deductam quis est, qui sibi id non persuadeat. Huiusce rei nec Leue præstat argumentum, quod paulò superius Angleriam ad Verbanum lacum inter Besuntium seu Besutium, de quo mox dicemus, & Lauenum Verbani portum ad Cuuiæ vallis ingressum Legiunum (ita oppido nomen est) adiacet. Cuius dictionis denominatio (vt in plerisque alijs videmus] paululum detorta est dempta O littera, & vltima A in M. mutata, a Legione vna factum est Legiunum. Porrò ad cohibendos tam Gallorum, quàm Germanorum tumultus a Romanis olim legionem vnam locatam fuisse: nominis similitudo primum facit: tum oppidi antiquitas ex tot ruinarum congerie, & lapidum inscriptionibus, loci quoq; opportunitas: adiacet .n. Laueno portui ad quem ex summis Alpibus, & a Veragris, Seduniscque barbarę gentes in insubres primum, mox in totam Italiam confluere assueuerint. Et eò facilius ab vna legione Legiunum Opp. nomen sumpsisse

Monas quo tempore floruit.

Cloniola.

Legiunũ.

Lauenus portus.

Digitized by Google

fisse crediderim, cum & in Terraconensi Hispania Vrbs celeberrima a Romanis legionibus, quæ diutius eo in loco subsitere nomen sumpsisse, passim omnes authores tradant. Quæ quidem paucis ferè mutatis, Legium nomen adhuc retinet. In prouintia quinetiam Narbonensi Arelate vrbs antiquissima Sextanorum, & Biterra Septumanorum, haud dubio a sexta, & septima legione cognomenta obtinuere, veluti & Narbo; quam Decumanorum Coloniam appellat Pomponius Mela a decima legione, & Arausio secundanorum. A legionibus igitur ipsis in plerisq; regionibus vrbes, & oppida a militum ordinibus nomen deflexisse est clarissimum, Capitolinus in Clodio legionis quartanorum meminit. Tacitus quoq; in primo libro de quintanis, & vndecimanis militibus mentionem facit. Sciebant igitur Romani insubrum bellaces gentes mortis contemptores paratos potius quodcunq; excidium, quàm seruitutem pati. Idcircò ad cohibendos tumultuosos eorum impetus legionem hanc statutam eo in loco fuisse, & Coloniolam deductam, quæ eorundem plusquam virilem audaciam exciperent, credere non est absurdum, licet de hac re ne verbum quidem apud authores reperies, si quis tamen hac in re negotium mihi facesceret, ei possem respondere, historias eorum præsertim temporum; quas habemus mancas, & mutilas non modo existere; sed vitio temporum eorum partem maximam desiderari. Ad hos igitur Gallorum Cisalpinorum conatus, quorum nomine [si Salustio, Polybioque credimus] nihil a Romanis terrius, horribilisque audiebatur, credibile est Coloniolam hanc a Romanis constitutam fuisse, & legionem vnam, vt diximus, vbi nunc Legiunum est, locatam: ex oppiduli ruinarum reliquijs quanta olim eius fuerit amplitudo, facilè dignoscitur. Ea in villula Neuij Secundini memoria visitur in stylobathe elaboratissimo.

Legium.

Arelate.
Sextani
Biterra.
Septumani.
Narbo.
Decumani.
Pōponi⁹.
Mela.
Arausio.
Scḋani.
Capitolinus.
Quartani
Tacitus
Quintani
Vndecimani.

Digitized by Google

SACRVM
NVMINI
APOLLINIS
L' NAEVIVS
SECVNDINVS
PRO
SALVTE SVO
RVM
TVMVL
VSLM

In oppido Legiuno.

D M
VFGIVLIVS
GRATTIANVS

Eodem

Digitized by Google

Eodem in Templo.

✠HIC SCI PRIMI MARTYRIS CORPVS VENERANDVM IN XPO HVMATVM QVIESCIT. QVOD DEO DIGNVS SERGIVS PAPA IVNIOR EREMBERTO INLVSTRI VIRO CONCESSIT AB VRBE ROMA CVM HYMNIS AC LAVDIBVS SPIRITVALIB. Q. CANTICIS DVM ESSET TRANSLATVM QVEM INTER SCTOS EIVS SPVS TENEAT PRIMATVM IN MVLTIS VIRTVTIB. ET SIGNIS EST DECLARATVM; RECONDITVM EST CORPVS BEATI PRIMI MARTYRIS CVM RELIQVIIS SCI FELICIANI ANNO INCARNATIONIS DNI NRI IHV XqI DCCCCVI KL AVG. INDIC. VIIII. ORDINANTE DOM. ANGILBERTO ARCHIEPO ANNO. XXIIL PASSIO SCTORVM VI ID. IVN.

Digitized by Google

PAulo infra Legiunum & Besuntium seu Besutium; æqua in planitie; quæ tamen colliculis sensim assurgentibus adhæret haud longe a Verbano lacu Brebia oppidum visitur, tot antiquissimis monumentis refertum, vt maximam sui etiam nunc præseferat Maiestatem, in eo Templum Mineruæ fuit. Cuius adhuc ingentia cernuntur vestigia, Balnea quinetiam, lauationesq; eo in loco fuisse lapis vetustissimus, inscriptusq; docet: Templa quoque duo insignia continet, in quibus maxima pars Antiquariorum locata est: Oppidi nomenclatura (vt eruditioribus placet) Græcam refert Dictionem Bræbium quasi victoriam, seu victoriæ præmium dicas, vel ἀπὸ τῆς βραβείας, quo nomine vtitur Clitophon pro decore & pulchitudine, Vtraq; Interpretatio nobis arridet, Loci tamen situs indicat hoc in tractu inter duos Lacus. Verbanum & Giuratum, circum vicinos populos olim Quinquatrios Ludos Mineruæ celebrasse, tametsi ob politiorem structuræ formam Oppidum ipsum a pulchritudine nomen sumpsisse potuerit, Omnino olim maximum, nunc propè funditus dirutum, Vitelliano tamen ex Vicecomitibus Illustri Comite, integerrimoq; Viro gloriatur, qui oppido ipsi, vt & plerisq; alijs vicis & Castellis vltra citraque Ticinum amnem paterna hæreditate dominatur: Ex eodem quoque oppido Brebiorum familia Mediolanensis originem traxit; ex qua Hieronymus Brebius noster, cui ob singularem prudentiam & fidem a Carolo V. Imperatore in Insubribus suprema Aerarij cura demandata est originem ducit: Ex pluribus monumentis quæ eo in oppido visuntur, duo nec facis integra adduxisse sat fuerit.

Brebium oppidum

Mineruæ Templū.

Quinquatrij Ludi.

Digitized by Google

C N TERENTIO PRIMO Inl VIR TE-
RENTIAE C IVCCV QVI VICIN. HA-
BITANTIB. LAVATIONEM BAL-
NEO [redacted] OPTATISS.

Item.

D M
L COELIVS L.F.OVF
[redacted] BARONIS
VIVIR PONTIFICII
Inl VIR ITEM TEMPLI
MINERVE ET ALBV-
TIAE VXORI EIVS
COELIVS PAREN. OPTATISS.
M [redacted]

AD montium radices, quorum in vertice Phanum eſt totius ferè Italiæ, Lauretano dumtaxat excepto, celeberrimum DEIPARAE VIRGINI dedicatum; vltra Glarearum Lacum ad Septentrionem, quo in loco tum primum Colles in altum extolluntur, Varilium iacet omnium Gentium Alpinarum, quæ inter ſummas Alpes Lucumonem, & Adulam, vt Tſchudio placet, ad nos attinent, præfectura frequentiſſima, & opulenta. Non deſuere ſumma eruditione viri, qui iſtud oppidum vicum Varonis

Phanum Deiparæ ad Montes.

Variſium opp.

Varonis appellarint, leuissima admodum similitudine nominis adducti. Ego ex Blondo didici inter Aequicolos olim vicum Varronis extitisse, qui ætate sua Amænis diceretur. Sunt item qui a græca dictione Varisium deductum velint Theopompi authoritate moti; qui Varetinam regionem haud longè ab Hadria constituit. Cumque nullus locus eius nominis per eas partes reperiatur facilè ad Varisium oculos adiecere. Sed ego loci situm inspiciens (vt interim taceam eruditorum nonnullorum opinionem) a Vallium exitu, quæ in id oppidi plurimæ finiunt, Vallexium siue Vallexitum potius dixerim. A duobus. n. lacubus, Verbano, & Lucano, de quo mox dicendum erit, Valles, & circumiacentia itinera in Vallexitum recta extenduntur, & ab alpibus ipsis ad Lacus, & a Lacubus plurimi montes in Vallexitum procurrunt; Sed postquam in id loci incidimus: vbi de earum Alpium tractu, quæ Ticinum emittunt, sit mentio, vnum, & illud annotasse operæ precium fore duximus. Inter Leopontiorum Vallem, quæ hodie Leuentina dicitur, per quam Ticinus amnis rapidissimus a summis alpibus nunc Sancti Gothardi decurrit, & Vallem vulgo Mesochi, quam Mesus fluuius alluit a culmine Ocelli, vulgò Sancti Bernardini monte defcendens. Tertia Vallis interduas continetur, Breuniam vocant. Quæ, & ipsa a Lucumone monte nunc Sancti Barnabæ nuncupato flumen euomit, quod supra Bilinzonam oppidum seu Bilitionis Castrum, vetustiores volunt apud Polegium vicum cum Ticino in vnum coalescit, vt inquit Quidius,

Maiori perdit nomen in amne minor,

In Valle ipsa habitare populos, qui Brennij vocentur nominis cognatio declarat, vt interim taceam Plinium hoc loco, qui in eo Alpium latere, quod ad Insubres spectat penes Leopontios locat. Sed cum de oppidi ipsius nomine inter eruditos non satis conueniat (plurimum enim diuer-

Vicus varronis

Aequicoli.

Amænis vicus.

Varetina regio.

Vallium exitus.

Leponti Vallis leuentina.

Mons Sancti Gothardi.

Vallis Mesochi

Mesus fl.

Culmen ocelli.

Mons Sancti Bernardini.

Val. Breunia Lucumonis.

Mons nunc Sancti Barnabæ.

Bilinzona Bellitio.

diuersisq; appellationibus nuncupatur) quid, & nos de oppidi ipsius nomenclatura sentiamus dicere non grauabimur. Sunt qui Birinzonam, Bellizonam alij, seu Bilinzonam vocent. Quo argumento recentiores Bilicionis castrum dixerint, nec illi aperuere, nec ipse video. Nos oppidum a Breunis populis cognomentum obtinuisse facile crediderimus. Itaq; non Bellinzonam, vel Bilinzonam, vel cum neotericis Bilicionis castrum, sed potius Breunorum castrum, vel Breunizonam dicetem, quasi Breuni agri zonam siue sectionem, aut finem, calculum huic opinioni addunt Alpium, & Vallis Breuniæ accolæ, a quibus ætate hac etiam Bronzona pronunciatur, quæ quidem vox cognatione ipsa ad priscam populorum appellationem satis videtur alludere. Nunc ad Vallium topographiam, quibus a duobus Lacubus in Vallexitum iter esse diximus, nostra festinet oratio. Plures a Verbano, & Lucano Lacubus Valles in Vallexitum finiunt. Sed quinq; sunt insigniores. Prima ad Lauenum Verbani portum extenditur, cui è regione vltra Lacum est Interium, & Pallantia, haud procul a Thosæ siue Athisonis hostijs in Verbanum. Et quo in loco Sequanotium, seu Burgundionum iter a Besuntio eorum metropoli in Insubres descripsimus. Adhæret huic Valli Cuuia a vico olim, & nunc vallis præcipuo nomen sortita. Cuius ditio antiquissimæ Cottarum familiæ inter Insubres patet. Hanc vallem carmine elegantissimo olim Io. Stephanus Cotta Poeta percelebris vallis ipsius Regulus qui descripserit, ad Gannen hoc meo ordine tertiam redeo. Hæc aurifodinis, & prisco æquè, vt, & opulento Monachorum Cœnobio celeberrima est. Hæc in oppidum Lotinij iuxta Verbani partem alteram viatorem sistit. Sunt qui hoc Lauinium vocent: Quam ob rem viderint ipsi: ego communem vsum loquendi, quò planius intelligar, sequor. Louinio proximum est Germiniacum oppidum vulgo

nis castrū Polegiū oppid. Breunj opp. Plinius.

Breunzona. Breunorū castrū.

Quinque valles in vallexitum desinunt. Lauenus portus Verbani. Vall. prima. Interium, oppid. Pallantia oppid. Sequani. Burgundiones. Secunda vall. Cuuia. Cottarū familia antiquissima Mediolan. Tertia vallis.

Digitized by Google

Stephanus Cotta. Gannæ. Aurifodinæ. Vallis gannæ. Louinio oppid. Lauinio. Germin. opp. Triffia. Aur. Albutij. De Lucano lacu opinio. Geminus lacus. Vallis 4. Por. lacani lacus.

vulgo nuncupatum. Inter hoc, & illud Triffia fluuius qui Lucanum Lacum exonerat in Verbanum, dilabitur. Putarem aũt huius breuiſſimi tractus fluui quo abundant; Alosa piſce, qui a græcis θρισσω dicitur, denominatum. Lucanum porrò lacum Aur. Albutius noſtri temporis Poeta inſignis, & qui olim magis nominabitur partem Verbani exiſtimat Germiniaci nomenclatura motus, quaſi velit interpretari Geminum Lacum: tam contracto. n. curſu Triffia Verbanum ingreditur, vt vnus, idemque Lacus videatur, præſertim cum de Lucano, de quo, & a nobis aliquid referetur nulla ab antiquis authoribus quam ipſe viderim, facta ſit mentio. Quarta vallis per vicos Induni, Arciſatis, Vigluuij cliuum vſq; protenditur, indeq; ad Lucanum excurrit Lacum, & ad eam lacus partem maximè, quam portum vocant. Quinta, & vltima a ſtabio ad ripam Sancti Vitalis viculum, qui caput lacus appellatur, excurrit. In alteram mox Lucani partem recta tendentibus occurrit vallis hæc Nouocomenſis vrbi vicina eſt, & proximior. Elegantiſſimæ in Vallexio, ſiue Vallexito antiquitatum Inſcriptiones leguntur. E quibus ne ſequentia perirent: hæc tria monumenta, viua reddidit ſua commendatione Alciatus. Quartum in ordine nuper Ambroſij noſtri Calimeri opera, qui huiuſmodi delitijs oblectatur, apud nos viuit.

Alciatus Ambroſius, Calimeri.

I O M
C C A N I A
N V S A R A M
V O T A M
F
L M

Alio

Digitized by Google

Alioquoq; in loco.

MAXIMA
VERA
IDEA
IOVIS

Id etiam antiquitatis ibidem visitur.

SEX
PAEONIS
MARCELLI
FIL

Hoc Calimeri nostri diligentia repertum est.

MACRINAE
VERINAE
VALERIVS
LVPIO
CONIVGI
CARISSIMAE

Digitized by Google

Arcisate opp.

A Vallexio recta ad Lucanum Lacum contendenti; in Valle, cuius a nobis habita mentio est, Arcisate oppidum sanè (vt ipse arbitror) vetustissimum est. Antiquitatem luce clarius arguunt elaboratissima plurimarum inscriptionum monumenta. Sunt qui arbitrentur, & pro certo habeant municipium hoc a priscis Aram Cæsaris fuisse nuncupatum: Sed dictionem aiunt contaminatam a vulgo passim corrumpente omnia. Argumentum huius rei trahunt a Marmore, miræ cum vetustatis, tum elegantiæ nuper a ruderibus sterquilinij, & obliuione extracto diligentia Nicolai Castillionei Iurisconsulti, & mea: auxilio autem Mayni Moccioni, eius Vallis opum magnitudine primarij. Ex cuius inscriptione, qui aderant docti homines, argumentabantur id oppidi a vetustioribus Aram Cæsaris fuisse appellatum. Nihilque referre attestantur Mercurio an Cæsari hæc dicata fuerit Inscriptio a L. Cominio. Quando Augustum constet fuisse Mercurium appellatum a Romanis. Superq; hoc negocio Horatij carmen celebratissimum illud adducebant.

Ara Cæsaris.

Nicolaus Castillioneus Iurisconsul.

Maynus Moccionus.

Augustus Mercurius dictus.

Horatius

Siue mutata iuuenem figura
Ales in terris imiteris almæ
Filius Maiæ patiens vocari;
Cæsaris vltor.

Itaque ego, qui nolo in re tam tenui superstitiosum nimis videri, potius illis assentitus sum, quàm aduersarios in me concitare. Cum verò quid & ipse de hoc sentiam paulò post sim dicturus. Redeo ad L. Cominium, de quo vt plenior cognitio habeatur, ipsam prius Inscriptionem adnectam, deinde qui fuerit, conabor explicare.

L. Cominius.

MER-

Digitized by Google

MERCVRIO
L. COMINIVS
POLLIO
MILES LEG
XIIII GEM.
BENEFICIA
RIVS LEGATI
CONSVLA
ARAMET
TECTVM
VSLM.

CVm ex primo belli Gallici commentario. C. Cæsarem ex hac nostra Cisalpina Gallia delectum in Heluetios traduxisse existimatur; non ab re aliqui L. hunc Cominium Insubrem a Cesare in militiam ascriptum fuisse: deinde cum diu & felicissimè rem nauasset; vacatione militiæ non donatum modo, sed Priuilegijs & muneribus a Galba, vel aliquo alio Cæsare honestatum in patriam secessisse in otium perpetuum. Huic opinioni, nec refragabor, nec assentiar. Ipse autem arbitror L. hunc Comminium, cuius & familia apud Insubres aliquid ne minis decoris q; retinet; non Cæsari; sed Mercurio, qui Insubribus maximo honori fuerat; cum quod mercibus, & Lacubus præesset, tum quod Maheseos periti Clima hoc nostrum sub Mercurij tutela esse velint; Aram dicauit. Cæterum cum huius rei gratia in hanc Arenam minè descenderim, ad tria illa elementa GEM. interpræfanda

L. Cominius.

Commiorum familia.

Insubres sub quo climate.

Digitized by Google

me recipio: Verum hac in re sciant omnes non dici a me, quod sit certissimum: Sed quid ipse sentiam. Sunt qui Geminatæ interprætentur. Ego Geminæ potius dixerim velut ex duarum reliquijs vnam factam legionem. Cuius etiam mentionem habemus in Commentarijs de bello ciuili. Cor. etiam Tacitus historiarum author diligentissimus Libro decimo nono, legionem hanc geminam ijs verbis celebrat. Vulgata (inquit) Victoria post principia belli secundum Flauianos duæ legiones. VII. Galbiana: XIII. Gemina cum Vidio Aquila Legato Patauium Alacres veniunt. Hæc ille. Ex ijs itaq; verbis colligimus Legionem. XIII. agnomento geminam fuisse. Occurret hoc loco Sciolus mihi aliquis Gallico nomini infensissimus dicens authoritate. T. Liuij non emitti optimum peditatum a Gallia Cisalpina. Huic autem ego Ciceronem, qui fide, & authoritate decem. T. Liuijs antecellit; fortiter opposuerim. Qui tertia, & quarta Philip. Citeriorem hanc nostram Galliam Florem vocat Italiæ: Imperij Ro. præsidium, & pacis ornamentum. Peditatui præterea Alpino palma datur ab historicis. Lectum ad hæc est a Galba duas legiones has in Gallia scriptas esse. Arbitrantur ergo Legatum hunc multi, de quo in lapide fit mentio, cuius beneficiarium. L. Comminius se fatetur: Vidium Aquilam fuisse. Dum hæc memoriæ proderem mea, & Merulæ diligentia in Herculearum Thermarum fundamentis in vrbe hac nostra, vbi nunc Diui Laurentij Phanum colitur: Marmoreus lapis est inuentus, in quo eiusdem Leg. XIII. Geminæ memoria inest, cui Rufinus non solum Tribuniciæ: sed alius generis authoritatis pollens præerat. Inscriptio plurima ex parte confracta est, & tot super agestis ædificijs ita inter Cementa fuerat obruta, vt nisi ruina eam aperuisset, lucem nunquam erat visura. Vtrunque Marmor vnius eiusdemque Lapidicinæ, qui Comminij memoriam sculpsit eandem præsefert manum. Ex ijs porrò inscriptio

Gemina legio.

Cor. Tacitus.

Flauiani. Galbiana legio Vidius aquila.

T. Liuius arguitur authoritate Ciceronis.

Thermæ Herculeæ Templum Diui Laurentij. Leg. XIII.

Digitized by Google

tionibus duabus, ignauissimus quisque sibi persuaserit. Legionem hanc inter Insubres scriptam ab Imperatore, quando & milites, & Tribunus ipse Mediolanensis inueniatur. Curtiorum Familia siquidem ex qua erat Rufinus Mediolani egregiè floret. Porrò quot dignitates apud Imperatorem (vt aliqui volunt) Galbam, hic Rufinus obtinuerit, hæc declarat Inscriptio: Tribunatum eius. XIII. Leg. VI. Gem. Viratum. III. Viratum, vt æquitum turmas duceret. Nouissimè vt monetis: monetarijsq; præesset auri argenti, & Aeris conflandis.

Curtiorũ familia.

[illegible]R [illegible]R VFINO
[illegible]TRIMILLE D XIII.
VIVIRTVRMIS
DVCENIIIVIR
AAAFF[illegible]CCVRTI
VSPATR[illegible]
[illegible]L D D[illegible]

SEd iam ad susceptam Vallis, in qua Ara Cæsaris est, descriptionem redeamus. Porrò cum Aram Cæsaris dico; oppidum intelligo, vt nonnullis placuit, quod nunc vocant Arcisate, tametsi, quid de eo oppido certius sentiamus, inferius describemus. Eo in oppido Lapis quoq; visitur in quo Martialis quidam Mercurio vouit. Omnino vt iam dictum est Insubribus maximo fuit honori Mercurius Tutelaris, vt opinor Deus: Quòd mercium, & Lucuum, quorum magnus apud nos prouentus est, custos haberetur. Eius lapidis hæc est inscriptio.

Ara Cæsaris in Insubrib.

Arcisate.

Mercurius Lucũ mercũ Deus

MER.

Digitized by Google

MERCVRIO
C F
MARTIALIS
MAR[redacted]

Lutenij. Memoriola.

INnumera prope eo in oppido sunt saxa litteris insculpta: Sed omni ex parte contracta ac mutila. Quae omnino a nobis compositq praetereuntur.

Lutenij tantùm memoriola silentio a me non inuoluetur. Quod nomen adhuc nostris Insubribus gratissimum est. Caracterum politia hunc antiquissimum esse DECLARAT. non vt quidam volunt hominem Celticum, aut Germanum,

LLVTE
VIVS
LATER
NVS

Vicus Bisusti.

IN eadem Valle illinc quinto fermè stadio Bisusti Vicus accedit. Pagus omnino bis terq; vstus, si loci reliquiae inspiciantur. In eo, quod memoratu dignum sit, reperitur nihil, praeter Aedes Mayni Moccioni satis sumptuosè structas, quibus non Vicus modo ille sed ea Vallis ita ornatur, vt de ijs illud merito dici possit.

Maynus Moccionius.

Vnaq; iam tota stabat in vrbe domus.

Cliuium vicus.

E regione orientem versus æstiuum Solem Colli imminet Cliuium: Vicus est sanè conspicus, qui sibi ipsi nomen indidit in Cliuo constructus, a quo velut è specula ante-

anterior, posteriorq; Vallis latè prospicitur. In posteriore Stabula sunt, oppiduli id nomen est, quod Stabium modo vulgus appellat. Arbitror autem fuisse Equorum Stabula eorum militum, qui præsidij loco eas partes tutabantur ab excursione Inalpinarum gentium, quæ subito agmine illum tractum populabantur. Ad Collis dorsum, cui Cliuum imminet, duo municipiola visuntur; Psaltrium Lapicidinis percelebre, & Isarsum: vbi antiquissimi populi Alpinarum gentium a C. Plinio Hisarci appellati, sedes habuerunt. Quod si quispiam oppidum Arcisate Hisarcis populis pertinuisse existimarit: nec incongruum fuerit, cum loci vicinia, tum nominis similitudine arguere Arcisate dictum, vel Hisarcorum aram vel arcem, non autem, vt supra dictum est Cæsaris Aram: vt multis placuit in Vico Cliuij memoriolæ sunt Albutiorum qui mihi sunt acceptissimi, quod ex ijs tam antiquissimis natalibus orti sint Aurelius poeta egregius ab Alciato etiam celebratus, & Io. Iacobus Harmonicæ musices peritissimus: mihiq; non ob hanc causam solum; sed morum suauitate charissimus. In horum igitur gratiam memoriolam hanc Albutiorum hìc annectam.

Stabula

Stabium.

Psaltriũ

Isarsum

Hisarci populi.

Arcisate. Hisarcorum Arx.

Aurelius. Albutius poeta. Io. Iacobus Albutius.

LAPI-

LAPICIO
BRTVTTIDIO
SOTERICO
QVAESTORI
ANNI
PRIMI
CVR PRAESIDI
ET ALBVTIAE
SEX FIL
EXORATAE
EIVS CENT
CENTOR

Eodem

Digitized by Google

Eodem quoque in oppido.

DOLOBRA
SCALARIOR
L D D C

MAgistratus hic, quem Fabrorum Præfectum vocant; non infimæ sortis est in Castris: vtpotè cui cura nó modo metãdorum Castrorũ, Fabrorũ, Lignariorũ, Carpentariorum, Ferrariorum demandata fuerat: Sed etiã qui Machinas bellicas ad expugnationem vrbium nouas commentaretur, veteres reficeret, subterraneos cuniculos faceret. Aquarum detrimentis occurreret. Porrò ex notis illis quatuor intelligimus locum dediſſe diuum Cæſarem. In collis (vt à diuerticulo repetetur fabula) radice, in quo Cliuium imminere diximus Vigluuium iacet, vicus olim Cliuij, id ergo magis Vicluuium. Hoc eſt vicus, Cliuij, dicerem, quam Vigluuium: In eo nulla, quæ ipſe viderim, vetuſta ſunt monumenta. Vallis quinta, & in noſtro ordine vltima; quæ plurimis Oppidis, Caſtellis, arcibus, vaſtatis eſt frequens. Eius regionis incolæ velut per manus acceperint a maioribus conſtanter aſſerunt eo in tractu fuiſſe Equorum ſtabula, vel Inſubrum Principum, aut Ro. Cæſarum: Vnde Stabio adhuc nomen eſt oppidò Vallis ipſa aperta ſatis eſt, & herbidam, habet planiciem ad æquorum greges alendos. Hic fermè tractus, qui memoria noſtra Inſubribus parebat, circum alpes omnis Principum negligentia nunc Heluetijs paret. Plurima in Stabio antiquario viſuntur, & ea quidem elegantiſſima, verum ne longior efficiar, ex multis vnum dumtaxat adnotandum duximus,

Fabrorũ præfectus.

Vigluuiũ Cliuij vicus.

Val. quin.

Equorũ ſtabula.

Virg. poeta Gallicus.

mus, vt ex eo liquidò cognoscatur, quid antiquitatis, leporisque sit reliquum, vel vt inquit conterraneus poeta noster.

Et Crimine ab Vno.

Disce omnes.

Gallis Insubribus ét fuit æternitatis & memoriolas cura.

Cæterum antequam vlterius progrediar, refellenda eorum opinio est, qui arbitrantur, quicquid est huiusmodi ornamenti per orbem terrarum, a Romanis fluxisse. Intelligant igitur ét nostris Mediolanensibus hanc curam, vel vt significantius loquar diligentem solicitudinem æternitatis extitisse. Immo (vt ingenuè fatear, quicquid de hac re sentio) huiusmodi opinionis sum, vt quæ hìc sunt ab Insubribus, non aût a Romanis erecta fuisse arbitrer: nisi fortasse huiusce rei præcipua mentio constiterit. Sed ipsam tandem Inscriptionem legamus.

V F
C. VIRIVS VERVS
OVF. MED. VIVIR
IVVPONTIFEX
DECVRITEM
MANIBVS
FILIORVM SVORVM
C. VIRIOVERIANO
ET VIRIAE C. F. VERAE
QVI VIXERVNT
A N N
QVINOS DENOS

Digitized by Google

M. Cice. per Cor. Balbo. cõditiones fœderum inter Insubres & Romanos.

Dicet forsasse Virum hunc aliquis ex Romano ciue factum Mediolanensem, at nos respondebimus huic authoritate Ciceronis in oratione pro Cor. Balbo (si tamen rectè memini) lege cautum fuisse ne quis Insuber Romanæ Ciuitate, vel Romanus nostra donaretur. Hæc Vallis nouissima ad Lucanum lacum, & ad eam partem, quæ caput Lacus nomen tenet, terminat, quo in loco ab oppidi eiusdem nominis vicinitate nomen sortitus est; mons Mindricius. Hunc Alpinæ gentes Montgerosum; quasi cum peritioribus dicere velint generosum montem, nuncupant. Ad hunc Herbipolæ; siuæ mauis Herbilegas appellare per Maij mensem simplicium colligendorum gratia ex tota ferè Cisalpina Gallia certatim confluunt. Paulò inferius est ad Nouocomum iter satis arduum & difficile, quod in montium radicibus & ad ripam Lucani Lacus constitutum, per quod tamen a Vallexio ad eam vrbem mercatores portorij difficilimus ire consueuerunt. Descriptus est tandem a me tractus vniuersus, qui a Lario ad Verbanum, & ad Alpium crepidines extenditur. Inter hos autem Lacus Lucanus est ab oriente in occidentem excurrens.

Mindricius mõs Mons generosus.

Lucani Lacus descriptio.

Porrò an Lucanum oppidum Lacui nomen, an lacus oppido dederit non satis scio. Satis verò aliquando admirati sumus (hæc obiter dicta sunto; postquam in huius mentionem lacus incidimus) tot Geographiæ authores, tam Veteres, quam Neotericos, qui vt alijs alij diligentiores haberentur, quæq; minima (& vt inquit ille) Apinas Tricasq; sunt sectati, huiusmodi lacus non meminisse: Cum tamen a Prositio Illustris familiæ Triuultiorum ditionis, quod oppidum ad lacus initium statim iacet, ad finem vsq; vbi Trisia fluuius in Verbanum lacum se exonerat. XXV. passuum mil. intercedant. Eiusque latitudo alibi sit XVI. alicubi. XXIIII. stad. constet. Hi tamen Eupilis exigui admodum Lacus quem vulgo Pusiani nominant, vnde Lambruserumpit, inter Insubres meminerunt. Qui non pro-

Adagiũ de Apinis Tricisque. Prositiũ oppid. Triuultiorum.

Eupilis lacus.

Lacus pusiani.

cul

culabest a Licinoforo, quod a pleriſq; Incinum inter inſubres oppidum existimari diximus. Lacus porro huius originem, rationemq; olim adoleſcentes audiuimus a Ioanne Antonio Caſtillioneo fratre inſigni Philoſopho, & Matheſeos peritiſſimo. Qui demum Franciſci Gallorum Regis Phyſicis, & quidem chariſſimus apud Luthetiam Parhiſiorum fato functus est. Is Ariſtotelis ſententia aiebat. Non ſemper eadem loca terræ aquoſa eſſe: aut arida, ſed permutari ſecundum fluuiorum generationes & defectus, & non ſemper hoc quidem fieri mare: hoc autem terram perſeueraſſe, ſed ſit vt vbi nunc mare olim arida, vbi aũt nunc arida; olim fuerit mare. Hac Philoſophi ſententia, fieri potuiſſe exiſtimabat eo in loco Lacunam quidem fuiſſe, vel Paludes ad inferiora vallium ſtagnantes. Quæ demum erumpentibus per ſubterraneos Cuniculos aquis copioſioribus ſolito Lacus formam receperint. Hanc autem rem factam credebat poſt Imperij Romani inclinationem vndique in Galliam hanc Ciſalpinam, velut in propugnaculum totius Imperij firmiſſimum inuadentibus Barbaris. Quorum ætate litterarum non modo, ſed artium quoq; ſtudia peſſum ierant, & omnia ignorationis nebula prorſus obducta, vt facilè defuerint authores, qui rem tanti momenti ad poſteros tranſmiſerint. Verum vt ad rem redeam omnino conſtat in altiſſimis montibus magnas quoq; & immenſas ſpeluncas eſſe, & in eis aerem ob cauernarum humiditatem in aquas reſolui. Cum igitur immenſus ſit aer, ac perpetuò agat, hinc fluuiorum ſunt origines perpetuæ. Sic Anaximenes putabat ex aere gigni omnia. Sunt qui has aquarum omnium ſcaturigines oceano potius attribuent, & in eundem redire. Idemque teſtantur, & Sacri Codices primo Eccleſiaſtes. Quibus rationibus puto ſatis conſtare in maximis montibus ſubterraneos ſpecus, crebris & redundantibus adeo aquis oppleri, vt aliquando montium latera erumpi ſit neceſſe; vel arua ſtagnari, atq; obrui,

Lãbrus fl. Licini forum.

incinum Io. Antocaſtillio. Phyſic⁹.

Anaximenes Phil. putabat omnia ex aere procreari Eccleſiaſtes.

Digitized by Google

obrui, vel conualles aquis insolitis subitò in paludes, & plerumq; in lacus conuerti. Huic fratris opinioni suffragatur res, quam ipsi postea vidimus, dictu mirabilis, & quæ humanam penè fidem videtur excedere; eam tamen hic annectere non grauabor, Dum Campilioni (vicus est ad ripam Lucani Lacus expositus, vulgus Campionum vocat) bellis in patria sæuientibus agerem anno Virginei partus, XXVIII. supra mille, & quingentos per Octobrem mensem [nisi me fallat qualitas temporis] quarta fermè noctis vigilia a montis latere, qui oppido ad orientalem plagam imminet, tantam aquarum illuuionem; subitamq; præter omnium opinionem terra euomuit nullis pluuijs, nulla seuiente tempestate, terræve motum præeuntibus vnius diei & noctis; & quinque horarum spacio; vt iam de omnium salute desperaremus; Vniuersique Lacus accolæ non de ventura vniuersi orbis conflagratione, sed de secundo Aquarum Cathaclismo vererentur. Tantus verò pauor nos, qui huiusmodi innundationibus viciniores eramus, inuasit; vt ædibus derelictis non cacumina montium, quæ & aquis operiri hæsitabamus ascendentes, sed consensis piscatorijs Lembis, quos casus offerebat, aquarum procellas fugientes in aquis salutem ipsam constituerimus. Eedem ferè Aquarum innundationes sexto fermè hinc anno in Suburbijs Nouocomensibus a latere montis, qui Templo diui Abondij imminet subito eruperunt; quæ breuitamen temporis spacio exsiccatæ sunt. Eius Templi Antistes, vel [vt aiunt] Commendatarius est Philippus Castillioneus Insubrum Senator integerrimus, vir omni ex parte reuerendus, qui collabentes vetustate eius Cœnobij Ædes magnificentiori forma Angustiores reddidit. Ex ijs colligi nullo negocio potest montes inter lacus Larium & Lucarum exstantes aquis omnino prægnantes esse, Et olim vel illic Lacum fuisse nullum, aut si fuerit, adeo exiguum extitisse, vt cum Cosmographi memoratu indignum

Cāpilionū vicus, & Cāpionū

Mira aquarum illuuio.

Philippus Castil.

Digitized by Google

gnum duxerint. In Lucanum lacum se, quem ipse vidi-
mus, nullus insignis fluuius exonerat, & nihilominus Tri- Tisia fl.
stiam emittit tanta copia, vt is nauium capax esset, nisi
saxosæ angustiæ, præcipitesque Cataractæ penitus ob-
starent. Hæc omnia facilè probant aquis montes præ-
gnantes esse, fluuius ab exitu ad hostia inter Louianum, Lucanus
& Germiaguum oppida stadijs fermè XLVIII. decurrit. Lacus.
Ex lacu igitur ipso, quem Lacunam fuisse existimamus, op- Lucanū
pidum Lucanum, quasi Lacunum diceres, secunda vocali opp.
præposita nuncupatum arbitror. Neque nos latet ex re- Lacunæ.
centioribus, & quidē eruditissimis vocabuli Lucani simili-
tudine deceptos hoc in tractu Gaunos populos locasse: Gauni
Quorum tamen nulla apud Strabonem & Ptholomeum, & pop.
ipsum Plinium diligentissimum antiquitatis obseruatorem Plinius.
mentio. Porrò videntur innuere Lucanum, nunc dici, Ingauni
quod olim Ingaunum mutatione I. in L. N. in V. G. in C.
& abiecta V. Verum vbi hi populi nusquam gentium repe-
ri. Nisi fortasse velint Gaunos eos Populos esse quos (vt Gauni.
inferius dicemus) Plinius in recensendis Alpinis gentibus
Libro tertio Naunes appellat. Veluti plurima apud author- Naunes.
em hunc populorum nomina corruptè legantur. At nos
Gaunos, vel vt alij dicunt Gaunes. In tertio inflexu, in Gaunes
regione Vallis Gaunæ à nobis descriptæ nominis cogna- pop.
tione illecti verius collocabimus, quam apud Lucanum Vallis
Lacum. Sed iam a Lacu ipso paulò inferius recedentes Gaunæ.
ad Solbiatum Vicum peruenimus, qui Orobios ab Insu- Solbiatū
bribus separat: vulgo Diœcesis (tametsi dictio hæc plane Vicus.
græca sit, qua significatur dispositio, siue dispensatio: aut
administratio, vel ut si dicto) Nouocomensis dicitur. Sunt
huiusce nominis plures apud Insubres pagi. Hos Nicolaus Nicola⁹
Castillioneus dictos attestatur, quod in solo sint Beato, Castil.
hoc est diuiti, opulentoq; Porrò hoc quo ager Mediolen- Orobij.
sis a Nouocomensi diuiditur, cæteris longè Beatius arbi- Solū Bea-
tor. Non modo quod inter has vrbes medium sit: Sed tum:

quod

quod ad agrum Nouocomensem attineat, qui non tantum tribus Plinijs celebratissimus est, sed etiam Benedicto Iouio, qui si omnibus huius ætatis viris doctissimis conferretur, non erit huiusmodi collatio iniqua, quando sit non minus omnium bonarum litterarum studio, quam inculpatis moribus spectabilis. Hunc igitur cum sciam Orobiorum, antiquitates tum maxime eas, quæ ad Nouocomenses spectant, diligentissime annotasse: Inde pedem refero; ne in alienam (quod aiunt) messem manum inferam. Cum tamen tractum omnem, qui agro Nouocomensi adhæret; inter vtrumque Lacus Larij cornu adiacentem, iamdudum descripserimus. In primisq; Vallem quam Ascinam nuncupant ab Angulo videlicet terræ extremo, in quo Belasium olim [vt audio] Bilacum dictum oppidum Longobardorum visitur; ad Lacum Eupilim, qui in fluuium Ombronem exonerat. Mira ac propè incredibilia hoc in tractu sunt Gallorum Insubrum Monumenta; quæ ante me annotata, & in lucem edita fuerint, non sat scio: Vnum vel illud tamen non omiserim. In valle ipsa Ascina Francisci Sfrondati omnis Doctrinæ Viri singularis, Amplissimoq; in Senatu Insubrum Cæsareo in Vniuerso Terrarum Orbe celebratissimo, Senatoris, eius Vallis Principis, opera, Lapis Marmoreus grandioribus litteris incisus, in hanc vsq; diem sepultus, in lucem prodijt. Cuius antiquissima Inscriptio, Insubrum Magnificentiam testatur, quorum opibus & animorum magnitudine, ac liberalitate, oppidis Regionibusq; ipsis cognomenta indita esse videmus. In eo siquidem Mediolanensis familiæ Burrorum, quæ etiamnum in vrbe floret memoria legitur. Inscriptio ea est.

Benedictus Iouius.

Cor. Tacitus. Belasium oppid.

Bilacum. Francisc. Sfrõdat. Senator cæsareus Senatus Insubrũ toto orbe celeberrimi.

GE-

GENIO ASCI
PPLINIVS BVRRVS
ETC PLINIVS
AETERNI

GAudentius Merula, vir doctus, & diligens, Burros ipsos dictos existimat non quasi Birrhos a colore, videlicet ruffo: sed quod pro gentilitijs Insignijs bouem habeant caudatum: meminisseque ait huius fermè rei Seruium Grammaticum in illo Georgicorum carmine.

Continuò in syluis magna vi flexa domatur.

In Burim.

Martialem quoq; libro (ni falleretur) quinto, dicit Burrorum mentionem facere, cum inquit ad Musam.

Sic Burrus cito sentiat parentem.

Cuius carminis interprætes aiunt Cornelium Tacitum Burri cuiusdam etiam memoriam commendauisse. Hæc dicta obiter etiam sunto, vt intelligant Insubres, hoc est, Mediolanenses esse se cum antiquitatis, tum Ingenij gloria percelebres. Locus hic etiam me admonet, vt non possimus, & nos doctissimorum hominum sententiæ non aquiescere. Qui C. Plinium Naturæ scriptorem Veronæ præclaræ alioqui, & antiquissimæ Vrbi non esse natum, sed in Nouocomo: aut potius in Insubribus. Faciunt ad horum opinionem Memoriolæ Pliniorum penè innumeræ, quæ passim Mediolani, & per oppida, vicosque Insubrum viatoribus sunt obuiæ. Singulis etiam fermè diebus adeo Pliniorum monumenta prisca effodiuntur inter Insubres, vt sit penè impium, cum tot Pliniorum nomina saxis incisa passim reperiantur; Plinium ipsum ad Insubres non pertinere. Nunc in patriam redeo.

D. Plinius aut Nouocomēsis aut Mediol.

Digitized by Google

Paulo vltra Castillionum ad Valliculæ ingressum, quæ in Vallem Aræ Cæsaris, vel Hisarcorum ducit collis obijcitur, in cuius vertice Vicus situs est, cui Malenato nomen est, Latomijs non contemnendis insignis. Collis ipse aggeris effigiem ostentans Valli opponitur. Huius radices radit Orona vorticosus amnis. Qui duobus milibus pass. a fontibus fluens Vagus, vados vsque labitur. Collectis mox in vnum aquis Vallis faucibus ita coarctatur, vt hoc in loco nequam vadari possit ob aquarum periculosam pernicitatem. Maiores nostri Insubres ob publicum commodum flumen ponte coniunxerunt, in cuius arcu dum in fluminis ripa ego, & Nicolaus Castillioneus æquis insederemus peruetustam illici insculptam inscriptionem animaduertimus, quæ tametsi interpretationem non admittat, gratiam tamen illam antiquam nonnullæ litterarum notæ præseferebant. Porrò crebris fluuij illuuionibus, & pluuiarum procellis plurima ex parte abolita inscriptio est. Non potuimus non amanter dolere opus ipsum cum authoris nomine ferè consumptum. Et si non pontibus modo: sed vrbibus quoq; & regnis florentibus simile excidium euenisse legerimus. Hæc habuimus, quæ de Insubrum Gallorum antiquis sedibus scriberemus. Quod si opinioni satis tuæ minus factum fuerit, aut si quid errati occurret, vel perperam dicti, tui fuerit muneris Lector optime clementius ignoscere: hocq; te facturum præsertim confidimus si cogitabis quanta sit difficultas exoletis splendorem, nouis authoritatem villibus gratiam addere. Ex vetustioribus qui hæc aperuerit, fuit nemo, Plinius, & eo prior Strabo veluti Canes nilotici vix indicata Vrbe Metropolitana diffugiunt. Nouariæ ne quidem meminit Strabo: celebrauit tamen Ascram Vicum villissimum, & Hippocrenen fontem. Sed quid ego Græcos insimulo? Ponponius Mela, & Solinus, apud quos Alpinæ sunt Tricæ [vt iam dictum est] Mediolanum, vrbem toto

Latomiæ

Orona fl.

Strabo
Plinius.
Nouaria.

toto orbe celeberrimam, & lumen Italicarum vrbium ſilentio æterno inuoluerunt. Hæc res effecit, vt cum ruſticarer Vindemiarum tempore, & exhilarandi animi gratia eam Inſubrum regionem, quæ ad Alpes vergit perluſtraſſem, hæc quantulacunque ſunt, annotarim, nulla captandæ gloriolæ aura, aut iactandi ingenij vires mei, quæ nullæ ſunt gratia; Scito igitur hæc a me tantum congeſta fuiſſe, vel vt elegantiora ingenia ad id operis excitarem, vel vt alijs ſcribendi anſam pararem. Turpe .n, fore arbitrabar, vt ſedes earum gentium, quæ vniuerſo poſt euerſam vrbem Romanam Orbi fuere terrori, prorſus ignorarentur. At non defuerit aliquis, qui dicet fortaſſe, quid eſt cur ita a Gallis origines iactes Inſubrum, cum, & Germani varijs temporibus veſtri fuerint authores? Scimus in Romani Imperij occaſu non modo Italiam, Sed Hiſpaniam, & Africam, Ciſalpinam præſertim Galliam Barbaricæ libidini patuiſſe; nihilq; propterea referre a Gallis ipſis, an a Gothis, vel Longobardis Germanica ferocitate ferocioribus nobis ſint ſecunda Incunabula; cum verè Romanus is ſit (vt a Romanis exordiamur) qui Romanorum artes, ſtudia, & mores tenet. Authorum verò nomina è quibus Topographia hæc noſtra emanauit ex antiquis fermè nulla ſunt, cum de Gallorum aduerſus Hetruſcos in Ciſalpina Gallia primò nullus, quem hactenus viderim, author ſcripſit; nec tum erant fortaſſe latinæ litteræ. Hetruſci verò ipſi, quorum opes ante Romanorum arma terra mariq; ſupero, & infero latè, vt Liuius refert, patuere; non modo rerum ſuarum, & geſtorum hiſtoriam poſt ris non reliquerunt: Sed nec litterarum ſæculi ſui Caracteres, quorum reliquiæ adhuc apud nos extant, interpretationem admittunt. Quitamen noſtris rebus lucis aliquid attulere, Græci magis, quàm Latini fuere; hoſq; ſequuti ſumus Polybium, ſ. Scipionis Africani præceptorem, Trogum, & Plutarchum.

Perora-tio.

Gothi, Longobardi.

